



S. 726.





# ANNALES

ACADEMIÆ LEODIENSIS.

11/11/11

\$ 726

RECEIVED BY THE BANK OF AMERICA

# ANNALES

ACADEMIÆ LEODIENSIS

A. MDCCCXII. — MDCCCXIII.

HENRICO-MAURITIO GAEDE,

RECTORE MAGNIFICO,

GEORGIO WAGEMANN

ACTUARIO.



LEODII,

APUD P. J. COLLARDIN, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

MDCCCXXIV.

22 11 1914

11 11 1914

11 11 1914

11 11 1914

11 11 1914

11 11 1914

11 11 1914



11 11 1914

11 11 1914

11 11 1914



INDEX

EORUM, QUÆ HOC ANNALIUM VOLUMINE

CONTINENTUR.

---

**N**OMINA Curatorum Universitatis Leodiensis.

Nomina Professorum.

Nomina eorum, qui muneribus Academicis functi sunt

Series lectionum in Universitate Leodiensi habitarum.

Judicia Ordinum Academicorum de commentationibus ad quæstiones a  
MDCCLXXII. propositas.

Programma certaminis litterarii a MDCCLXXIII. propositi.

Series dissertationum inauguralium hoc anno publice defensorum.

H. M. GAEDE, Rect. Magn., Academiæ regundæ munus publice deponentis  
oratio.

TOSSANI MARQUET commentatio.

JOSEPHI TILMAN commentatio.

THEODORI LENZ commentatio.

JOANNI-HENRICI BORMANS commentatio.

CORNELII-STAR. NUMAN commentatio.

LEOPOLDI GODIN commentatio.



# CURATORES

## ACADEMIAE LEODIENSIS.

---

ALEXANDER COMES DE LIEDEKERKE, Ordinis Leonis Belgici Eques, provincia Leodiensis Gubernator, Curatorum Collegii Præses.

CAROLUS-HENRICUS BARO DE BROICH ab Ordine Equestri provinciæ Leodiensis.

FREDERICUS ROUVEROY, a Comitibus provinciæ Leodiensis, idem e Consulibus urbis Leodii.

HILARIO BARO DE VILLENFAGNE DE INGIHOUL, a Comitibus provinciæ Leodiensis, et Regii Instituti Belgici socius.

ERNESTUS DE BEX, ab Ordine Equestri, Consulurum urbis Leodii Princeps.

J. WALTER, a Comitibus provinciæ Namurcensis, Collegii Curatorum Secretarius, idemque Academiae Inspector.

PROFESSORES HOC ANNO DOCENDI MUNERE FUNCTI :

IN ORDINE DISCIPLINARUM MATH. ET PHYS.

HENRICUS—MAURITIUS GAEDE ;  
JOANNES—MICHAEL VANDERHEYDEN ;  
CAROLUS DELVAUX ;  
RICHARDUS VAN REES, Professor extraordinarius.

IN ORDINE JURISCONSULTORUM.

PETRUS—JOSEPHUS DESTRIVEAUX ;  
JOANNES—GERARDUS—JOSEPHUS ERNST ;  
LEOPOLDUS—AUGUSTUS WARNKÖENIG ;  
ANTONIUS ERNST, Professor extraordinarius.

IN ORDINE PHILOSOPHORUM.

JOANNES—DOMINICUS FUSS ;  
FRANCISCUS GALL ;  
LUDOVICUS ROUILLÉ ;  
JOANNES KINKER ;  
IGNATIUS DENZINGER ;  
GEORGIUS WAGEMANN.

IN ORDINE MEDICORUM.

NICOLAUS ANSIAUX ;  
DEODATUS SAUVEUR ;  
JOANNES—NICOLAUS COMHAIRE.

PROFESSORES HOC ANNO MUNERIBUS ACADEMICIS  
FUNCTI.

RECTOR MAGNIFICUS.

HENRICUS—MAURITIUS GAEDE, in Facultate doctrinarum Mathema-  
ticarum et Physicarum Prof. publ. ordin.

SENATUS ACTUARIUS.

GEORGIUS WAGEMANN, in Facultate Philosoph. Theoret. et Litterar.  
Human. Prof. publ. ord.

ASSESSORES.

L. ROUILLÉ.

J. G. J. ERNST.

J. N. COMHAIRE.

DIVERSORUM ORDINUM DECANI.

IN ORDINE MATHEM. ET PHYS.

J. M. VANDERHEYDEN.

IN ORDINE JURISCONSULTORUM.

L. A. WARNKOENIG.

IN ORDINE PHILOSOPHORUM.

F. GALL.

IN ORDINE MEDICORUM.

N. ANSIAUX.

# SERIES LECTIONUM,

QUÆ

HABEBUNTUR

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

A DIE VII. OCTOBRIS ANNI Æ. C. MDCCCXXII USQUE AD FERIAS  
VERNAS ANNI MDCCCXXIII,

RECTORE MAGNIFICO

HENRICO-MAURITIO GAEDE.

---

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM  
ET PHYSICARUM.

	<i>Hora.</i>
H. M. GAEDE Historiam naturalem Animalium tradet diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	X.
Mineralogiam ad ductum compendii: <i>Traité élémentaire de Mi- néralogie</i> , par A. BRONGNIART diebus Martis, Jovis et Saturni...:	X.
J. M. VANDERHEYDEN Analysin Algebraicam eamque ad Geometriam applicatam explanabit diebus Lunæ, Martis, Jovis et Saturni.....	XI.
Astronomiam Physicam et Mathematicam explicabit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	X.
C. DELVAUX Physicam experimentis innixam tradet diebus Martis,	

Jovis et Saturni.....	III.
Chemiam generalem et applicatam docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	III.
R. VAN REES Matheos elementa tradet diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris.....	XI.
Trigonometriam et Geometriam analyticam exponet diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	IX.

### IN FACULTATE JURIDICA.

P. J. DESTRIVEAUX explicabit Jus Criminale hodiernum diebus Jovis, Veneris et Saturni.....	XI.
Praxin Juris Civilis docebit diebus Lunæ et Martis.....	VIII.
Jus Publicum universale et regni Belgici tradet diebus Lunæ, Martis et Mercurii.....	XI.
J. G. J. ERNST interpretabitur Codicem Juris Civilis hodierni diebus Lunæ, Martis, Veneris et Saturni.....	X.
Jus Naturale et Gentium tradet diebus Mercurii et Jovis.....	X.
L. A. WARNKOENIG Institutiones Juris Romani tradet secundum ordinem libri sui : <i>Institutionum seu Elementorum Juris Romani libri IV, Leodii, 1819</i> diebus Jovis, Veneris et Saturni.....	XI.
Pandectas explanabit duce compendio suo diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni.....	IX.
Historiam et Antiquitates Juris Romani diebus Lunæ, Martis et Mercurii.....	XI.
Ciceronis Orationem pro Cæcina publice explicabit hora cum auditoribus legenda.	
A. N. J. ERNST, <i>Prof. extraord.</i> Encyclopædiam et Methodologiam jurisprudentiæ docebit diebus Martis et Jovis.....	III.
Jus commerciorum tradet diebus Mercurii et Veneris.....	III.

IN FACULTATE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITTERARUM  
HUMANIORUM

J. D. FUSSE alternis vicibus, interpretabitur Taciti Germaniam et selecta ex Horatii Odis, Satiris atque Epistolis diebus Martis, Jovis et Saturni.	VIII.
<i>Idem</i> Gratis semel per hebdomadam Terentii Andriam, die et hora cum auditoribus legenda.	
<i>Idem</i> Antiquitates Romanas secundum compendium suum tradet diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	IX.
F. GALL provectoribus Sophoclis Antigonem et Plutarchi Cæsarem, reliquis Xenophontis Memorabilia et unum alterumve librum Odysseæ Homeri interpretabitur diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	X.
Diebus Martis, Jovis et Saturni.....	IX.
Antiquitates Græcas iisdem diebus.....	X.
G. WAGEMANN Historiam Europæ politicam tradet diebus Mercurii et Jovis.....	VIII.
Die Lunæ.....	X.
Rerum publicarum notitiam diebus Lunæ, Martis, Veneris et Saturni.	VIII.
Historiam universalem diebus Martis, Jovis et Veneris.....	X.
Die Mercurii.....	XI.
I. DENZINGER docebit Logicam diebus Lunæ, Mercurii et Veneris....	XI.
Metaphysicam diebus Martis, Jovis et Saturni.....	XI.
Philosophiam moralem diebus Lunæ et Mercurii.....	VIII.
Historiam Philosophiæ recentioris diebus Martis et Jovis.....	VIII.
L. ROUILLE Litteraturam Gallicam docebit diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis.....	XII.
<i>Idem</i> Historiam Regni Belgii diebus Veneris et Saturni.....	XII.
J. KINKER Eloquentiam et Litteraturam Belgicam, nec non styli bene Belgici præcepta exponet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris.	II.
<i>Idem</i> Nonnulla ad Patrii sermonis Etymologiam pertinentia gratis tradet diebus et horis auditoribus commodis.	

IN SCHOLA PROPÆDEUTICA.

- J. D. FUSSESS lectiones continuabit diebus horisque cum auditoribus legendis.
- G. WAGEMANN continuabit historiam Litterarum historicarum et exercitationes disputationesque moderabitur diebus Lunæ et Jovis..... XII.
- I. DENZINGER expositis anno clapso Pædagogicæ præceptis, Rhetorices systema philosophicis superstruendum principiis tradet, atque discipulorum de quæstionibus prædagogicis disputationes moderabitur diebus Veneris et Saturni..... VIII.

IN FACULTATE MEDICA.

- N. ANSIAUX Pathologiam chirurgicam et operationes explicabit diebus Martis, Jovis et Saturni..... XI.  
Institutioni clinicæ externæ in Nosocomio civili vacabit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris..... VII-IX.
- D. SAUVEUR docebit Pathologiam Medicam diebus Lunæ, Mercurii et Veneris ..... XI.  
Medicinam practicam tradet exercitationibusque clinicis in Nosocomio civili vacabit diebus Martis, Jovis et Saturni..... VII-IX.
- J. N. COMHAIRE Anatomiam generalem et descriptivam, Physiologiamque, alternis vicibus, quotidie tradet..... XII.
-



# SERIES LECTIONUM,

QUÆ

HABEBUNTUR

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

A DIE III. MARTIS USQUE AD FERIAS ÆSTIVAS ANNI MDCCCXXIII,

RECTORE MAGNIFICO

HENRICO-MAURITIO GAEDE.

---

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM  
ET PHYSICARUM.

*Hora.*

H. M. GAEDE Botanicam et Physiologiam plantarum docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	IX.
Anatomiam comparatam diebus Martis et Jovis.....	IX.
J. M. VANDERHEYDEN docebit Dynamicam et Hydrodynamicam diebus Lunæ, Mercurii, Veneris et Saturni.....	X vel XI.
Astronomiam Physicam ter per hebdomadem diebus et horis pro auditorum commodo seligendis.	
C. DELVAUX Physicam experimentis innixam tradere perget diebus Martis, Jovis et Saturni.....	III.
Chemicam generalem et applicatam docere perget diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	III.

R. VAN REES, <i>Prof. extraord.</i> Geometriæ elementa tradet diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris.....	X.
Geometriam analyticam diebus Martis, Jovis et Saturni.....	VIII.
Calculus differentialem et integralem diebus Lunæ, Mercurii et Saturni.....	XI.

### IN FACULTATE JURIDICA.

P. J. DESTRIVEAUX explicare perget Jus Criminale hodiernum, adjunctis medicinæ forensis prolegomenis juridicis, diebus Jovis, Veneris et Saturni.....	X.
Praxin Juris Civilis docebit diebus Lunæ et Martis.....	VII.
Jus Publicum universale et regni Belgii tradere continuabit diebus Lunæ, Martis et Mercurii.....	X.
J. G. J. ERNST interpretari perget Codicem Juris Civilis hodierni diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni.....	IX.
Jus Naturale et Gentium tradere continuabit diebus Lunæ et Mercurii.....	IX.
L. A. WARNKOENIG Pandectas Juris Romani tradere perget secundum compendii sui institutionum ordinem, adjuncto Ortw. Westenbergii opere: <i>Juris Principia Romani sec. Ord. Digeste nov. edit. Berolini, 1814</i> , diebus Lunæ, Martis, Veneris et Saturni.....	VIII.
Institutiones Juris Romani secundum ordinem libri sui: <i>Institutionum seu Elementorum Juris Romani libri IV, Leodii, 1819</i> , diebus Jovis, Veneris et Saturni.....	X.
Historiam Juris Romani diebus Lunæ, Martis et Mercurii.....	X.
Ciceronis Orationem pro Cæcina publicè explicabit die Jovis...	XI.
A. N. J. ERNST, <i>Prof. extraord.</i> Encyclopædirm et Methodologiam Jurisprudentiæ docebit diebus Mercurii et Veneris.....	IV.
Jus commerciorum tradet diebus Martis et Jovis.....	IV.

IN FACULTATE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITTERARUM  
HUMANIORUM.

F. GALL provectoribus Sophoclis Antigonem, reliquis Herodiani his- torias et unum alterumve librum Odysseæ Homeri interpretabitur diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	IX.
Diebus Martis, Jovis et Saturni.....	VIII.
A iquitates Græcas iisdem diebus.....	X.
J. D. FUSS alternis vicibus, Taciti Annalium librum I et selecta ex Juvevalis et Persii Satiris diebus Martis, Jovis et Saturni.....	VII.
Antiquitates Romanas continuabit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris.....	VIII.
Ciceronis libros de Oratore interpretabitur, idque gratis, hora et die cum auditoribus legenda.	
G. WAGEMANN Historiam Europæ politicam enarrabit diebus Lunæ, Martis. Et Mercurii.....	VII. VIII.
Rerum publicarum notitiam universalem et regni Belgii, adjecta OEconomia politica, continuabit diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni.....	VII.
Historiam universalem tradet diebus Martis, Jovis, Saturni...	IX.
Et Mercurii.....	X.
I. DENZINGER docebit Logices præcepta auditoresque cum commenta- tionibus scribendis tum disputationibus exercebit diebus Lunæ, Mer- curii et Veneris.....	VII.
Continuabit Metaphysicam diebus Martis et Jovis.....	VII.
Philosophiam moralem diebus Lunæ et Mercurii.....	XII.
Historiam Philosophiæ recentioris diebus Martis et Jovis.....	XII.
L. ROUILLÉ Litteraturam Gallicam docebit diebus Lunæ, Martis, Mer- curii et Jovis.....	XII.
Historiam regni Belgii diebus Veneris et Saturni.....	XII.
J. KINKER Eloquentiam et Litteraturam Belgicam nec non styli bene	

- Belgici præcepta exponet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. II.  
Nonnulla ad Patrii sermonis Etymologiam pertinentia gratis tradet diebus et horis auditoribus commodis.

IN SCHOLA PROPÆDEUTICA.

- J. D. FUSSESS lectiones continuabit hora et die cum auditoribus legenda.  
G. WAGEMANN enarrabit historiam Litterarum historicarum medii ævi et exercitationes disputationesque historicas moderabitur diebus Lunæ et Veneris. . . . . XI.  
I. DENZINGER continuabit Rhetorices systema Philosophiæ principiis superstruendum atque discipulorum de quæstionibus pædagogicis disputationes moderabitur diebus Veneris et Saturni. . . . . XII.

IN FACUTATE MEDICA.

- N. ANSIAUX Institutioni Clinicæ Chirurgicæ vacabit in Nosocomio civili diebus Lunæ, Mercurii et Veneris horis matutinis. . . . . VI-VIII.  
Duobus prioribus semestris mensibus præcepta artis Obstetriciæ tradet, et posterioribus Medicinam forensem docebit diebus Martis, Jovis et Saturni. . . . . XI.  
Cæterum praxi artis obstetriciæ per totum semestre vacabit in Aula hunc in finem destinata in Nosocomio dicto : *Hospice de la Maternité*.  
D. SAUVEUR Nosographiam tradet, et Therapeuticam seu Medicinam practicam docere perget diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris. . . . . XII.  
Diæticam exponet diebus Mercurii et Saturni. . . . . XII.  
J. N. COMHAIRE institutioni Clinicæ internæ in Nosocomio civili operam dabit diebus Martis, Jovis et Saturni horis matutinis. . . . . VI-VIII.  
Pharmaceuticam et Materiam medicam docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris. . . . . XI.

# JUDICIA DIVERSORUM ORDINUM

## DE COMMENTATIONIBUS IN CERTAMINE LITTERARIO CONCURRENTIBUS.

### JUDICIUM FACULTATIS SCIENTIARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

FACULTATI ad quæstionem de fœtus animalium vertebratorum evolutione, una commentatio oblata est, cum symbolo : *multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post multa sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. SENECA.* Hujus commentationis auctor, licet stylo puro et eleganti facultati nec valde sese commendaverit nonnullasque partes, qua debuisset ubertate, non tractaverit, magnam tamen scriptorum hac de re tractantium notitiam probavit, quam ob rem præmium ei tribuere facultati placuit. Aperta schedula nomen lectum est : *Tossanus Marquet* ex Jemeppe, medicinæ in nostra Academia candidatus.

Ad quæstionem *Mathematicam* ad facultatem duæ pervenerunt dissertationes; quarum una hoc lemmate inscripta erat : « *sutor ne ultra crepidam* » altero his verbis distincta : « *Les sciences mathématiques captivent l'ame et l'exemptent de dangers; elles élèvent l'imagination, elles perfectionnent l'esprit, l'occupent d'une manière noble, délicieuse et elles remplissent et satisfont le cœur, elles éloignent les desseins dangereux et frivoles, elles procurent sans cesse une nouvelle puissance. LALANDE.*

Quamvis facultas auctorum industriam in colligendis iis, quæ de limitum

theoria apud optimos mathematicos scripta prostant, laudandum censeret, neutrum tamen commentationem dignam judicaret quæ præmi ornaretur, auctores enim ea, quæ collegibant, non ita composuerunt, ut ex uno principio totam deducerent theoriam, quod vitium præsertim in secunda animadvertitur commentatione, quæ magna ex parte verbotenus ex aliis operibus conscripta est : dum in priori plures demonstrationes mancas inveniret facultas.

Facultas ad quæstionem physici argumenti duas acceperit commentationes, una hoc lemmate : « *quanto potius est, deorum opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia. SENECA* » ; altera hoc dicto inscripta : « *Præterea solis radiis jactatur aquai, humos et in lucem tremulo rarescit ab æstu. LUCRET.* »

Priori hæc valde præferenda, quippe quæ quæstionis finem melius secuta est, cum præterea, satis magna industria elaborata sit, præmio digna judicata est. Apud schedula nomen prodiiit : HENRICUS-JOSEPHUS TILMAN ex Crasavernus scient. math. et phys. in nostra Academia studiosus.

#### JUDICIUM ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Unica proposita fuit commentatio hoc lemmate inscripta :

*Sit mihi fas audita loqui.*

Licet in ea scriptor non exigua ingenii, juris peritiæ, studii et laboris specimina ediderit, attamen ipsi palmam ordo recusare debet, quia stilus admodum neglectus, non pauca loca gallico sermone conscripta, multa obiter nec sufficienter, non obstante commentationis prolixitate, tractata et præcipue, quæ ad ordinem inter privilegia servandum spectant, ut ipse fatetur auctor dicens : « *Hæc omnia explicatione exemplis et demonstratione forsitan indigerent, sed et temporis angustia, hujusque dissertationis fines jam nimium producti, mihi invito voluntatem coërcent.* »

## JUDICIA FACULTATIS PHILOSOPHICÆ.

Ordini philosophorum et litteratorum ad quæstionem : enarretur historia fœderis, *triplez* quod vocatur anno 1668 inter provincias fœderatas, magnam Britanniam et Sueciam facti.

Tres traditæ sunt dissertationes.

*Prima* inscriptionem : *Dans la naissance des sociétés ce sont les chefs des républiques, qui font l'institution, et c'est ensuite l'institution qui forme les chefs des républiques. MONTESQUIEU.*

Propter dictionis elegantiam et fontium studium laude quidem digna videbatur; attamen neque causas neque indolem fœderis cum rite exponeret, multaque admisceret, ad rem non pertinentia, insuper partium studio interdum abriperetur, non omnis probata erat ordini.

*Alter* lemmate ornata : *Stetit itaque sol!* nec dictione primæ par, neque ex fontibus hausta plures errores continebat, cunctam rem obiter tractans.

*Tertia* denique commentatio Burlamaquii dictum in fronte ferebat : *c'est une loi du droit naturel, que chacun tienne inviolablement sa parole, ou qu'il effectue ce à quoi il s'est engagé!* cujus auctor ad præcipuos hujus historiæ fontes non adiit, qua propter sæpius in errores inductus fœderis naturam et rationes haud juste examinaret, res male disposuit.

Quam ab causam ordo primum quidem locum commentationi Montesquieuii verbis inscriptam cum laude assignans; nullam tamen præmio satis dignam judicavit.

Ad quæstionem historico-philosophicam :

Postulatur commentatio : argumentum ΤΗΛΕΤΕΤΙ ita exponens, ut inde appareat, quænam Platonis de scientia sit sententia et quibus rationibus opposita philosophorum placita refellat?

Ordini unica tantum tradita est commentatio inscripta lemmata : Φαίβοι ἔφασκε βροτῆσι Ἀέκλητοι ἢ δὲ πλάτωνα. Τον μὲνίνα ψυχῆν, τον δ' ἵνα σῶμα σοι.

*Diog. Lært. l. 3. nro. 45.*

Cujus auctor cum non indignam præmio diligentiam monstrasset, corona digna judicata est. Aperta schedula nomen prodiit THEODORI LENZ LUCILIBURGENSIS Universitatis Leodiensis in philosophia theoretica ac litteris candidati.

Ad quæstionem philologicam :

Quum inter recentiores poetas latinos vel insigniter olim, sive arte, sive dictione, sive utraque celebrati nunc vulgo ab indoctis juxta doctisque negligantur et contemnantur, quumque inter lyricos emineat Sarbievius, ut critici Horatium ab eo æquatam lyræ poësi, nonnulli superatum censuerint : postulatur commentatio, in qua præmissa de neglectæ neolatinae poëseos causis, deque ejus sive justo sive immerito contemptu disputatione, in altera parte, quatenus Sarbievius Horatium dictione et poetica facultate vel æquaverit vel superaverit instituta, et universe et carminum aliquot comparitione, dijudicetur.

Ad quæstionem philologicam, inquam, facultati duæ redolita sunt; una votum in fronte gerens : UTINAM!!! altera hoc inscripta lemmate.

*Wie nimmer glorie will behalen*

*Maakt zich de glorie nimmer waard.*

TOLLENS.

Utramque dissertationem ordo præmio dignam habuit; sed diversas propter rationes et cum duo præmia superessent, utramque corona coronandas censuit.

Aperta schedula inscripta vota : UTINAM!!! prodiit nomen JOANNIS-HENRICI BORMANS Trudonopolitani, phil. et litter. in Universit. Leodiensi studiosi.

Altera schedula secundæ dissertationis auctorem nominavit CORNELIAM STAR NUMAN Sappemera-Groninganum Phil. et Litter. in Universitate Rhenotrajectina studiosum

## JUDICIUM ORDINIS MEDICI.

Ordini medico unica missa est responsio ad quæstionem anno præcedenti propositam, quæ sio fuit enunciata.



« Detur accurata Metastaseos descriptio exponatur, experientia duce, quibusnam in morbis frequentius metastases observentur; proponatur denique rationalis earum theoria. »

Commentationem sub iudicio positam, in tres partes divisit auctor, insequendo viam quæstione ipsa monstratam :

Sedulo labore, definitio, speciesque metastasium delineatæ sunt neque ulla pesse theoria, cujus ope earum doctrina dilucidari potest, neglecta est; series titulorum in opere numerosorum ordine congruo collocavit auctor, ac exemplorum ubertate, (selectis scriptoribus exctorum) plane lucideque quæstionis, certamini traditæ, scopum indigitavit. Ideoque censuerunt facultatis medicæ professores opus examinatum, atque lemmate, *opiionum commenta delet dies naturæ iudicia confirmat : Cicero de nat. deorum*. Inscriptum, palma dignum esse; quam cognoverunt, schedula aperta, reportatam esse ab LEOPOLDO GODIN in Universitate nostra studioso, elinicisque internæ in nosocomico præfecto.

---

QUÆSTIONES  
IN UNIVERSITATE LEODIENSI

A

SINGULIS ORDINIBUS,  
ACADEMIARUM BELGICARUM

CIVIBUS STUDIOIS

PRO CERTAMINE LITTERARIO ANNI MDCCCXXII

PROPOSITÆ

E' DECRETO REGIO,

XXV. SEPTEMBRIS MDCCGXVI.

( §. 140. — 147. )

---

AB ORDINE JURISCONSULTORUM.

QUÆRITUR an in republica bene ordinata poena mortis admittenda sit, et quænam crimina, si admittatur, ea plectenda sint. Quo in argumento absolvendo auctori permittitur quam velit sententiam sequi; semper vero alterius quæstionis partis examen instituat oportet.

AB ORDINE PHILOSOPHORUM.

I.

Cum inde a Condillaco usque ad nostram memoriam plures Gallorum philosophi singulas animi facultates ad unam originem reducere statuerint, postulatur commentatio docens : quænam illi studiis suis profecerint, quænam vero iisdem objici queant.

II.

Examinetur historia fœderis triplex quod vocatur anno 1668 inter provincias fœderatas Angliam et Sueciam facti.

III.

Quæritur : cur Athenienses reliquos Græciæ populos non solum patria libera sed etiam sub Romanorum potestate ingenii cultura tantopere superaverint.

AB ORDINE MEDICORUM.

Exponatur doctrina crismum nec non dierum criticorum a Schola Hyppocratica tradita et opiniones recens tum veterum tum recentiorum medicorum, qui eam doctrinam vel admiserunt vel rejecerunt, vel mutarunt.

AB ORDINE MATHEMATICORUM.

I.

Theoria limitum perspicue exponatur ejusque usus exemplis nonnullis e geometria analytica sumtis illustretur.

## II.

Quæ sunt causæ migrationum ariam quas in regiones emigrant nostrarum regionem in calæ æstâte durante, et quomodo migrationes sicas instituunt.

Dissertationes latina tantum oratione conscribendæ, alia, quam auctorum manu exarandæ, ante calendas Augusti anni MDCCCXXIV auctorum sumptibus mittantur ad vir. clar. COMHAIRE, Academiae Leodiensis actuarium. Lemmate autem omnes signandæ, iisque jungendæ schedulæ obsignatæ, auctorum nomina comprehendentes, eodemque, quo commentatio, lemmate in exteriore parte munitæ.

Universa autem certaminis ineundi et dijudicandi norma cognosci potest ex decreto regio articulis supra laudatis.

Leodi mense Octobris MDCCCXXIII.

# SERIES

## DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

### IN UNIVERSITATE LEODIENSI

#### PUBLICAE HOC ANNO ACADEMICO DEFENSARUM.

---

Anno 1822.

- D. 12 Novembr. *Dissertatio de Hydrocephalo*, defensa a Henrico Coyon, Huyensi pro doctoratu medicinæ.
- » 29 » *Disquisitio circa objectiones præcipuas quas Jatro-mastiges in defensionis suæ Basin præsupponunt*, defensa a P. J. de Roose, Opvicena, pro doctoratu medicinæ.

Anno 1823.

- D. 4 Januar. *Dissertatio de conditionibus*, defensa ab Alberto de Corswarem, ex Alken in Provincia Limburgensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 11 » *Dissertatio de mandato*, defensa a Francisco Carolo Mockel, Mosæ Trajectino, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 13 » *Dissertatio de debitore in vincula conjiciendo*, defensa a Theodoro Mottart Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 4 Februar. *Dissertatio de subrogatione*, defensa a Leonardo Henrico Ooms, ex Oostham in provincia Limburgensi, pro doctoratu juris Roman. et hodierni.

- D. 7 Februar. *Dissertatio de Culpa*, defensa a Matthia Simons, Luxemburgi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 14 » *Dissertatio de præsumptionibus*, defensa a Francisco Henrico Leclerc, Luxemburgi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 15 » *Dissertatio de convincendi modis atque causis*, defensa ab Adolpho Bosch, mosæ Trajectensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 17 » *Dissertatio de Homicidio*, defensa a Joanne Baptista Francisco Geradon, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 20 » *Dissertatio de Identate fluidi electrici et magnetici*, defensa a Michaele Gloesener, ex Haut-Charage, in magno ducatu Luxemburgensi, pro doctoratu in Scientiis Mathematicis et Physicis.
- » 6 Martii. *Dissertatio de effectu Hypothecæ quam lex Uxori concedit*, defensa a Natal. Josepho Augusto Delfosse, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 20 » *Dissertatio de grammatica generali*, defensa a Gasparo Prud'homme Huensi pro doctoratu in Philosophia theoretica et in letteris humanioribus.
- » 21 » *Dissertatio de servitute operis intermedii*, defensa a Michaele Klensch ex Abeveiler in magn. Duc. Luxemburgensi pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 5 Aprilis. *Dissertatio de officiorum divisione instituenda deque præcipuarum officii divisionum expositione atque examine*, defensa a Petro Ney ex nospelt in magn. Ducat. Luxemburgensi pro doctoratu in Philosophia theoretica et in letteris humanioribus.
- » 9 » *Dissertatio de rerum immobilium alienationum publicitate ad regimen hypothecarium habita ratione*, defensa ab Alphonso Josepho Delebecque Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 10 » *Dissertatio de præscriptionibus*, defensa ab Everardo Dupont Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.

- D. 10 Aprilis: *Dissertatio de nephritide idiopathica acuta et chronica*, defensa a Henrico Josepho Gendebien pro doctoratu medicinæ.
- » 30 » *Dissertatio de inscribendis Hypothecis et privilegiis*, defensa a Josepho Adolpho Louvat pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 4 Junii. *Dissertatio de membranis muscosis et scrosis in genere*, defensa a Joanne Ludovico Cambresy Verviensi pro doctoratu medicinæ.
- » 10 » *Dissertatio de Jure reversionis legalis*, defensa a Josepho Antonio Schanus ex Hellingen in magn. Duc. Luxemburgensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 10 Julii. *Dissertatio de sociis in crimine*, defensa a Joanne Alexo Huberto Michiels van Kessenich, Ruræmundensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 15 » *Dissertatio de fistula lacrymali*, defensa a Nicolao Josepho Victor Ansiaux Leodiensi pro doctoratu medicinæ.
- » 19 » *Dissertatio de voluntatis in criminibus delictisque puniendis habenda ratione*, defensa ab Alberto Valerio Francisco Josepho Audent Episcopo - Fontano in Hannonia pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 19 » *Dissertatio de præscriptionibus in causis criminalibus*, defensa ab Androæ Josepho Simone Martino Masquelier, Hanno-Montano pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 22 » *Dissertatio de jure et natura legitimæ*, defensa a Francisco Tielemans, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 22 » *Dissertatio de modo privilegia in immobilibus conservandi*, defensa a Carolo Victore de Bavay, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 24 » *Dissertatio de animi pathematibus eorundemque in corpore homano effectibus*, defensa a Joanne Baptista d'Huyvetter ex Nocker prope Aldenardam in Flandria orientali, pro doctoratu medicinæ.
- » 29 » *Dissertatio de emancipatione*, defensa a deodato Michaelae Smets, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.

- D. 29 Julii. *Dissertatio, Quæstionis juris varii argumenti*, defensa ab Eduardo van Meeuven, Sylvaducensi pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 4 Augusti. *Dissertatio de Erysipelate*, defensa a Victor Napoleone Hennau Leodiensi, pro doctoratu medicinæ.
- » 5 » *Dissertatio de scarlatina*, defensa a Hyacintho Sauveur Leodiensi, pro doctoratu medicinæ.
- » 5 » *Dissertatio de observatione in medicina*, defensa a Joanne Theodoro Würth Luciliburgi, pro doctoratu medicinæ.
- » 6 » *Dissertatio de jure vindicandi partem hereditariam a coheredibus in extraneos translata*, defensa a Philippo Deodato Josepho Bouhy, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 6 » *Dissertatio de renuntiandis successionebus sive de omittenda hereditate*, defensa a Francisco Guilielmo Chéfnai, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 7 » *Dissertatio de Testamentifactione activa necnon passiva*, defensa ab Evrardo Collin, ex Barveaux in mang. Ducat. Luxemburgensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 7 » *Dissertatio de Matrimonio ejusque impedimentis*, defensa a Joanne Baptistæ Theodoro de Jonghe, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et hodierni.
- » 8 » *Dissertatio de Hepatitide*, defensa ab Adriano Josepho Versstræten, Bruxellensi, pro doctoratu medicinæ.
- » 9 » *Dissertatio de Encephalitide acuta*, defensa a Ludovico Maximil Josepho Bron, Huensi, pro doctoratu medicinæ.
-



HENRICI-MAURITII GAEDE

*ORATIO*

DE DISTRIBUTIONE CORPORUM ORGANICORUM SUPRA TERRAM  
NOSTRAM

PUBLICICE HABITA

DIE VI. OCTOBRIS MDCCCXXIII.

QUUM ACADEMIÆ REGUNDÆ MUNUS SOLEMNI RITU DEPONERET.

HEINRICH HEIMANN

OTTO

OTTO HEIMANN

OTTO

OTTO

OTTO

OTTO



ACADEMIÆ NOSTRÆ CURATORES AMPLISSIMI, VIRI GRAVISSIMI!

PROFESSORES CLARISSIMI, CONJUNCTISSIMI!

CIVES ET HOSPITES OMNIUM ORDINUM ACCEPTISSIMI!

VOSQUE CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI

ET AMANTISSIMI!

**A**NNUS integer actorum hodie absolvitur, et una dies quin una fere hora nobis tantum concessa est, qua, quod memorabile hoc anno actum sit, publice enuntiamus. Hoc ergo quam brevissime tractandum, facile elucebit. Utinam vos, qui hic præsentes estis, hujus Academiæ quem indicare me accingo, statu contenti essetis, et ego, cui exponendi officium demandatum est, utinam quæ facta et peracta sint, dilucide et succincte, exponere possem.

Nam, facile, confiteor, stylo eleganti, atque dictione sublimes hac in re uti, mihi non datum esse. Quamobrem vos, Auditores humanissimi, rogo atque obsecro ut mihi indulgentiam vestram haud denegare velitis. Hac tantum fretus quadam cum hilaritate facta academica eloqui atque enumerare possum.

Sed antequam hanc enumerationem suscipio, ex amabili, quam hac in universitate profiteor, scientia, aliquid expromam, quod si ob breve tempus mihi concessum haud, qua deberet, amplitudine tractari potest, vestra tamen attentione, ut credo, haud indignum erit. Nempe animo mihi propositum est dicere de distributione *corporum organicorum supra terram nostram*. Quocumque nos convertimus nobis vita occurrit; hac pauca tantum terræ loca carere videntur, et loca maris profundissima, et regiones aëris altissimæ corpora organica nu-

triunt. Hoc præcipue est quod probet Dei summi eximiam benignitatem, qua nullum fere terræ locum vita aut quod idem est, voluptate omnino carere instituit; nam quodeunque creatum est, eum lætitiæ voluptatisque gradum percipit, quem ex natura sua percipere potest. Quod autem ut fieri, Creator optimus diversorum animantium naturam diverso loco diversoque temperaturæ gradui optime accommodavit. Obstupefacti sumus legentes, celeb. Humboldtium in magna montis Chimborazo altitudine insecta alata reperisse. Quin quod altitudine Andibus majori condor, maxima vulturum species, aëris regionem frigidissimam emensa visa sit. Ibi, quo raro hominis passus perveniunt, quia ejus organisationi talis frigoris gradus haud convenit, variæ animalium et plantarum species existere vitæ frui possunt.

Sed non solum eximio frigore organismi quidam non male afficiuntur, caloris quoque gradus valde magnos patiuntur, quod probatur plantis in aquis 49°. Reaum. crescentibus.

Ex observatione Sonnerati pisces in balneis Manilæ temperaturam 140°. Fahr. exhibentibus vivunt. Turbo thermalis in rivulis prope Abano 40°. R. repertus est. Quæ autem de hac re attuli exempla, quibus facile alia adjungere possem, ad animantia nudis oculis conspicienda pertinent; summa sane admiratione perfundimur, dum minimam aquæ guttam sub microscopio perlustrantes mundum, ut ita dicam, miraculorum conspiciamus. Hæc una aquæ guttula animantium formas diversissimas amplectitur, quarum nonnullæ licet minutissimæ, structura sæpe mirabili gaudent, aliæ autem varia contractione et dilatatione præditæ nullo organo peculiari insigniâ conspiciuntur. Nonne tali adpectu in admirationem summi Creatoris raperemur, qui mobilitate et sensibilitate organismos tam parvos præter formam externam nullo organo visibili præditos condonare voluerit!

Vitam ergo ubivis observamus; et mors ipsa nonne conditio est aliorum entium procreandorum? Ex cinere unius aliud suscitatur.

Planta hæc, postquam flores suos pulcherrimos ostenderit, moritur et aëris influxibus exposita decomponitur; sed creator non omnino ejus partes evanescere sinit; nam aliæ plantæ aut animalia ex ejus particulis iterum componuntur. Incredibile

fere et tamen verum est, ut partes vegetabiles aut animales in aquam destillatam conjectæ influxuque aëris et lucis expositæ in alia corpora vel animalia, infusoria dicta, vel plantas quæ cryptogamicæ audiunt commutentur. Hæ partes organicae putrescant i. e. dissolvantur necesse est; moleculæ tunc putredine correptæ iterum nisu formativo uniantur inque novas aliasque formas summi Numinis jussu transformantur.

Cujus autem formationis prima conditio aqua censenda est. Ex hac communi omnium rerum matrice et perfectissimum terræ nostræ ens, homo, et imperfectissimum, monas organica, egreditur; quin quod terra ipsa ex hoc menstruo atque vehiculo generali evecta videtur.

Saxum omnino siccum nihil producere potest; dummodo expositum sit aëri et hanc ob rem aquæ aëri suspensæ variis plantulis mox obtegatur, quæ Proteo similes ex una in alteram speciem commutantur.

Ex his, quæ dicta sunt, patet, corpora organica longe lateque distributa esse, quippe quæ, quo aër; aqua et lux penetrare valent rarissime desiderantur.

Corpora autem organica, quæ terram nostram inhabitant, propius examinantes in diversis terræ regionibus ea diversa videmus; quæ corporum organicorum differentia a diversis causis, præcipua climatis solique natura, pendet. Videamus, quomodo res sese habeat, climatis solique ratione habita, primum in regno vegetabilium et deinde in eo animalium. Vegetabilia creationis deliciæ jure sunt nominanda, quippe quod in ipsarum vitæ tranquillæ contemplatione animus tranquillus purissimas haurit voluptates. Plantæ motus illos violentos quibus animalia prædita sunt, nullomodo exercent; haud sese invicem aggrediuntur, ut una ex alterius morte vitam alat et sustineat. Ex terræ sinu materno tranquille egressæ hunc arcte amplexæ tantum derelinquunt, cum finem ipsis a Creatore impositum assecutæ sunt. Vita hæc plantarum tranquilla, ut omni ætate ab iis alliciamur, efficit. Juvenis non minus quam senex, dummodo innocentia sensus ex pectore haud evulsus sit, suavissima plantarum oeconomia delectatur. Hiemis triste tempus eam ob rem præcipue transgressum gaudemus, quod plantæ, imagines innocentia, verno præsertim tempore ex terra elici possunt; major tunc caloris gradus una cum solis radiis ad terram e cælo descendens e

terræ sinu innumerabilem entium quantitatem, ut luce vitæque fruantur, evocat.

Nostris quod in regionibus ad tempus tantum locum habet, illis in fortunatis terræ regionibus, quæ intra circulos tropicos inclusæ sunt, sine fere interruptione efficitur; ibi nempe æstas et cum hac florum præsentia sempiterna conspicitur, cujus contrarium in terris prope polos sitis evadit, quippe quæ hiemi constanti premuntur; in illis ingens plantarum varietas, in his nullum fere earum vestigium reperitur. Æquatoriales regiones pro centro quasi vegetationis habere possumus, a quo versus boream nos convertentes vegetabilium numerum magis magisque decrescere observamus. Suedia 416, veras plantas, Laponia 374, Groenlandia 24 et Spitzergia 17 tantum scrutatori offerunt.

Quem si numerum cum eo ab Humboldtio citato conferimus, ex quo plus quam 13000 plantarum phænogamarum ex America in Europam allatæ sunt; obstupescamus necesse est, talem immensam plantarum quantitatem intra circulos tropicos reperiri. Præter numerum plantarum, ipsarum quoque magnitudinem intra circulos tropicos auctam videmus; quæ plantæ nanæ in poli vicinitate conspiciuntur, altitudinis giganteæ sunt prope æquatorem. Filices, gramina, malvæ etc., parvæ apud nos herbæ, ad magnitudinem maximam in zona torrida perveniunt.

Nonne admiratione afficeremur, legentes, cl. Humboldt. ex filicibus *Cyatheam* speciosam et excelsam trunco 25 pedali ornata indicare. Ex arundinibus *Bambusæ* in altitudine 50-60 pedum emicantes referuntur. Clima quoque, præter quod numerum et staturam producat, multum ad diversitatem plantarum procreandam valet. Quam ob causam sæpe easdem aut similes saltem species in terris intra eosdem latitudinis gradus sitis observamus. America borealis plantas Europæis quam simillimas nutrit, ut *Veronicam* scutellatam, *Epilobium* angustifolium, *Circeam* lutetianam. Quo major est climatum differentia, eo major plantarum iis propriarum differentia habenda est, quod nonnullis exemplis ex diversis plantarum familiis desumptis demonstrare conabor.

Filices in zona frigida, temperata et torrida crescunt; sed quæ sunt zonæ torridæ ab iis, quæ in zona frigida et temperata occurrunt, toto cælo discrepant dum ibi maximas arbores, hic herbas tantum constituunt.

Glumacearum familia (quo nomine Humb. gramina, cyperaceas et junceas complectitur.) majorem specierum numerum in zona frigida et temperata quam in torrida exhibet; in hac junceæ prorsus fere evanescent. Harum ergo natura magis patiens est frigoris quam caloris. Hic autem est animadvertendum, hanc glumacearum, quoad numerum, distributionem in universum tantum valere; nam sunt quædam tribus graminearum, quæ numero specierum in regionibus calidis pollent, in Europa contra prorsus desunt, aut rarissime inveniuntur, ut Paniceæ, Stipaceæ, Chlorideæ, Sacharinæ, Oryzæ, Olyreæ, et Bambusaceæ. Secundum cel. Kunthium, strenuissimum Humboldtii in re herbaria collaboratorem, Cyperi genus in plaga æquinoctiali fere unice indigena est, cum ex 150 speciebus vix 20 in Europa et America boreali nascentur. Videmus ergo vegetabilia magnopere ab aëris temperatura pendere. Ut ex illa plantarum divisione, quæ nomine monocotyledonum condonatur, Glumaceæ ad frigidam et temperatam zonam pertinent, ita in zona torrida Palmæ unice fere conspiciuntur; nam Europa calidior, Hispania nempe et Italia 2 tantum palmas: Chameropem humilem et Phænicem dactyliferam producent. Optimo jure Palmis pulchritudinis pretium debetur, cum eam, quam in palmis admiramur, trunci proceritatem formæque elegantiam in nulla arbore conspiciamus. Sublimitatis sensu peregrinatoris animus afficiatur necesse est, cum in palmarum Americanarum sylvam intrans, nonnullas, ut Ceroxylum andicolum, pane turrium magnitudine (160-180 pedum) conspicit. Sed ad summum pulchritudinis culmen Palmæ prope æquatorem tantum perveniunt; quo magis sese ad zonam temperatam adpropinquant eo deteriores evadunt. Angustioribus adhuc limitibus Musaceæ plantæ comprehenduntur, dum unice fere ad zonam torridam pertinent. Haud intelligere possumus quænam sit causa, quæ certas plantarum species paucissimis terræ regionibus, quin unica sæpe regione, circumscribat. Organum Tournefortii, anno 1700 a Tournefortio in uno tantum saxo parvæ insulæ Amorgos detectum scimus; nemini hanc speciem alio loco reperire contigit. Duæ ex familia orchidearum plantæ, Disa longicornis et Cymbidium tabulare in monte Tabulæ promontorii bonæ spei a Thunbergio visa, usque eo in nulla alia terræ parte repertæ sunt.

Quædam terræ quoad vegetationis, ut ita dicam, characterem ab invicem valde discrepant. Africa in parte montis Atlantis meridionali plantas omnino peculiare nutrit; nam ibi Geraniorum, Protearum, Ficoidearum patria est. Harum plantarum eximium florum splendorem non æstatis tempore expectes; hoc enim tempore vasta illa deserta, Karro dicta, radios solis ardentissimos, nullam autem pluvie guttam absorbentia, viriditate omnino carent; hieme autem, vero pluviorum tempore, plantæ abundanter pullulant viatorisque oculis colorum pulcherrimum decus exhibent. Generis Cacti formæ singulares in America fere unice occurrunt. Columnarum aut serpentium speciem præ se ferentes e rigido et hispido trunco flores sæpe emittunt jucundissimos. Nonne omnes qui æstate preterita in hibernaculis nostræ universitatis cactum grandiflorum florentem viderunt, flores pulcherrimos in deformi trunco pendentes mirati essent? Structura omnium eorum partium tenerrima una tantum nocte conspicienda, color jucundissimus et odor, quem exhalant suavissimus naturæ Deique amanti voluptatem incredibilem procreet necesse est, ejusdem in mentem revocet poetæ sancti Davidis verba: « Opera *Jehovæ* magna! exposita omnibus qui delectantur illis; gloriosum et decorum opus ejus. « Plantæ quæ Indiæ orientalis sunt, aromatum præcipue divites sunt. *Eugenia* cariophyllata, *Myristica* moschata, *Laurus* cinamomum, *Laurus* camphora, *Styrax* benzoin aërem odoribus gratissimis implent; summum tantum caloris gradus illa olea ætherica coquere potest, quibus hæ plantæ præ omnibus ceteris excellunt.

Vegetatio autem haud solummodo a climate sed a soli quoque constitutione et natura mutatur. Videmus enim solum graniticum plantas producere, quæ valde ab iis in solo calcareo provenientibus discrepant. Família Orchidearum, Genera: *Teucrium* et *Thymus* in universum solum calcareum indicant. Solum salinis substantiis imbutum, sicuti Sibiariæ Tartariæque deserta, plantas formæ singularis nutriunt, quippe quæ omnis fere flores incompletos, folia aut nulla, aut parva et angusta exhibent. Huc pertinent: *Polycnemum*, *Camphorosma*, *Salsola*, *Reaumuria*, *Salicornia*, *Anabasis*, etc. Plantæ aquaticæ diversum ab terrestribus nobis offerunt adspectum, dum in illis plerumque folia tenuia atque divisa, in his in universum lata magisque integra conspiciuntur. In universum va-



let regula, plantas in aqua crescentes structura imperfectiori, quam quæ terrestres sunt, gaudere; quod idem quoque in animalium regno observatur; nam quæ in aqua vitam degunt, organisationis gradum inferiorem gradu in terra et aëre viventium exhibent; quin quod ea animalia, quæ aquam cum terra commutare possunt, iis, quæ per totam vitam in aqua manere coacta sunt, perfectiora censenda sint.

Quæ de plantarum distributione a nobis prolata sunt, ad animalia quoque pertinent; hæc enim, ut illæ a climatis solique natura afficiuntur. Numerus et magnitudo animalium a climatis temperatura determinatus ita ut, quoad numerum in zona frigida minimum in torrida maximum animalium numerum offendamus. Frigus trium graduum Reaum. Quod in altissimorum montium cacumine et in terris prope polum situs observatur, vitam animalium omnino excludit.

Quod ad magnitudinem adinet, maxima animalia intra circulos tropicos occurrere constat; elephantum nempe giraffæ, struthionis, crocodilorum maximorum ibi patria est. Lux cum in illis calidis terræ nostræ regionibus majori intensitatis vi prædita sit, colores quoque animalium intensiores pulchrioresque sint, necesse est. Eum colorum splendorem et varietatem, qua tropica animalia, ea quæ in nostris regionibus reperiuntur, tam longe antecellunt, haud sine summa admiratione adspicere possumus. In certis avium insectorumque speciebus a natura colores fulgentissimos distributos videmus. Aves quædam trochili nominatæ, gemmarum more splendent, dum eundem quem in Rubino, Topazo et Smaragdo miramur splendorem, in his parvis avibus quoque observamus. Papiiones occurrunt, in quorum alas auri argentique guttas stillasse diceres. In animalium diversitatem clima influere quoque videtur.

Quædam animalium species ut e. gr. ursus maritimus, cervus tarandus et canis lagopus in zona frigida tantum vita frui possunt; aliæ contra, ad quas vesp. vampyrus, struthio, paradisea et multæ aliæ pertinent, calidas terræ nostræ regiones nunquam aut rarissime relinquunt.

Familia, cui nomen *feræ* datum est, per omnes zonas distributa est; sed formæ mammalium hujus familiæ pro diverso climate diversæ observantur.

Canis genus omnibus climatibus proprium est, sed species quædam ut e. gr. C. lagopus in zona frigida, quædam contra, ut canis aureus (chacal.) in zona

torrida et parte, quæ zonæ temperatæ adjacet, reperitur. Clima frigidum et temperatum ex genere felis species parvas et timidas continet, dum ejusdem generis species magnæ ferocitatisque plenæ in regionibus æquatorialibus vivunt. Sed nullus contendo, specierum diversitatem unice a climate pendere; alias adhuc causas naturæ scrutatores usque eo fugientes existere credunt. Hac e re clarum fit, quod nonnulla animalia unica sæpe terra circumscripta sint. Elephas in Africa degens omnino ab eo in Asia vivente distinguitur. Rhinoceros Africanus haud solum duobus cornibus sed aliis adhuc indiciis ab Asiatico differt. Hyæna, quam Asia nutrit, striata, quæ autem in Africa occurrit maculata est. Antilopæ Africanæ valde discrepant ab iis quæ Asiam inhabitant. Trochilorum species in America solummodo reperiuntur.

Nova Hollandia animalia structura valde singulari prædita procreat. Ornitorynchus, Echidna, Halmaturus exemplo citentur; quin quod Ornitorynchus ex trium classium, mammalium nempe, avium amphibiorumque, partibus conflatus sit; rostrum si adspicis, hoc animal speciem Anatis diceres, si autem corpus pilis tectum quatuorque pedibus instructum, ad mammalia illud esse referendum censebis; cultri anatomici ope in corporis interiora penetranti magna intra inter ornitorynchum et amphibia analogia offertur.

Animalia, exceptis iis, quæ inferiorem animalisationis gradum occupant, minus a solo pendent quam plantæ, quæ tam arcte cum eo conjunctæ sunt, ut eas ejus productâ fere crederes. Transitus a plantis ad animalia creaturis structura simplicissima gaudentibus præparatur, quæ cum ut actiniæ, Polypi, Ostreæ et multa alia, locum, in quo nascuntur, haud relinquere possint, magis quoque a soli constitutione afficiantur, necesse est.

Expositis iis, quæ ad corporum organicorum distributionem spectant, ad ea, quæ et bona et adversa Academiæ nostræ anno elapso contigerunt, enumeranda me accingo; qua in re malum a bono magnopere superari valde gaudeo. Præ ceteris de Augustissimi Regis Guilelmi I nec non filii, optimi Principis Frederici adventu in nostra urbe hic mentio est facienda. Regi nostro benignissimo tam multa, quibus Academia nostra gloriatur, debemus. Nonne ergo consentaneum est, nos talem Regem, scientiarum fautorem dignissimum apud nos videntes, gratissimo erga illum

animo affectos esse? Intrare Academiae aedificia atque invisere quae in bibliotheca, quae in collectionibus zoologicis et anatomicis, quae in horto botanico memorabilia sunt, Rex suavissimus dignatus est. Fieri non poteat, quin omnes, quibus tunc temporis contingebat, Regis vultum candoris atque benevolentiae plenum, quo haec omnia animadvertibat, conspiceret, summa veneratione summoque erga eum amore incensi fuissent. A Deo optimo maximo precor, ut Regem augustissimum ejusque filium dilectissimum in multos annos incolumes servet, ut optimis bonis totam Regiam domum accumulet, et spero atque confido fore, ut omnes, qui hic adsunt, et quos non fugit, quænam sint Regis merita de civitate nostra, quæ Academia hac, munificentiae regiae monumento splendidissimo, gaudet, preces ferventissimas ex animo mecum faciant.

Præsentem quoque vidimus in Academia nostra, bibliothecam et diversas collectiones conspiciendi causa, virum humanissimum Van Ewyck, studiorum publicorum moderatori secretarium; cui studiorum nostrorum fructus placuisse, non solum nobis sperare licet, sed ex ore ejus percepimus. Vos, Academiae hujus Curatores amplissimi, et te, qui Collegio curatorum ab actis es, vir gravissime, hoc die solemniter salvos atque sospites a nobis conspici mihi gratulor. Utinam Academiae status, quem indicaturus sum, vobis gratus atque acceptus sit, ita ut laboris et officii pro ea suscepti vos non poeniteat. Vos quoque, Professores Academiae nostrae doctissimi atque humanissimi, bona gaudentes valetudine hic conspicio. Morbis periculosissimis hic annus insignis fuit, cladesque frequentes multis, quin vestris quoque familiis attulit, dum dira mors uni carissimam conjugem et alteri filiulam dilectissimam abstulit. Attamen vestrum nemo nobis morte ereptus est, quamobrem Deo omnipotenti gratias quam maximas agere debemus, qui benignitate sua nos amplexus, nos omnes maximis variisque vitæ, periculis circumdatos incolumes salvosque servavit. Meliores autem gratias Deo haud agere possumus, quam digne et religiose officio satisfaciendo et præstando ea quæ jure a nobis requiri possunt. Num ullum officium majus vel præclarior est illo, quod Deus nobis commisit. Voluit enim Numen supremum, nos scientia non solum, sed virtutibus egregiis juvenes augere. Ille enim qui putat, imo credit, scientias religione carere posse, errat;

versutos atque in rebus agendis versatos viros reddere potest, bonos autem atque probos et Reipublicæ vere deditos nequaquam efficiet. Viri enim boni tales ex ista sola Academia prodeunt, in qua scientia et religio firmissimo vinculo conjunctæ et unitæ sunt. Hac veritate ducti summam operam demus, Collegæ honoratissimi, ut juvenes curæ nostræ commissos, non solum diversis scientiis ornatos atque imbutos sed vero quoque religionis amore, sine quo virtus nullo modo consistere potest, impletos parentibus et civitati reddamus.

Ad vos jam me converto, juvenes amantissimi, parentum gaudium atque solatium, patriæ optima spes. Parum refert dicere, vestrum numerum, me rectore, valde auctum fuisse, nam vera Academiæ gloria minime e numero studiosorum pendet, sed hoc dicam, cives academicos anno elapso in universum bonis moribus, studiorumque amore professoribus suis sese valde commendasse. E numero vestro unum acerba morte nobis ereptum doleo, Joannem-Josephum de Marneffe juris studiosum. Feriæ juvenibus iis, qui per annum fere integrum studiis assidue operam novarunt, animi relaxandi, viriumque novarum recuperandarum causa concessæ, funestissimæ optimo illi juveni fuere, qui doloribus acerbissimis iis affectus erat, qui nonnisi morte leniti sunt. Vos amicissimi, scholas nostras denuo intrare parati estis, ut in scientiarum vastissimo campo animos vestros melius pascere possitis; defunctus autem, his non amplius indigens, in campis illis æternis veritatis clarissima luce, quam in nostris scientiis errores humani sæpissime obscurant, continuo clarus illustratur.

Breviter nunc quonam in statu subsidia litteraria sint quibus nostra Academia fruitur, enarrandum est, primumque; quæ Bibliothecam, commune omnium ordinum bonum, spectant, enunciabo. Egregium hoc anno Bibliotheca augmentum cepit, dum nongentis fere voluminibus aucta est, quorum nonnulla munificentiae fautorum quorundam et amicorum instituti nostri debemus. A ministro excellentissimo *De Coninck* pharmacopœam Belgicam acceptam referimus. D'Omalius d'Halloÿ, gubernator provinciae Namurcensis, de geologia Belgicæ terræ valde meritis opusculum geologicum dono dedit: *Observations sur un essai de carte géologique de la France, des Pays-Bas, et des contrées voisines; Paris, 1823.*

Non minus grato animo doctissimos viros C. F. Nieuwport, Haus et professorem

Kinker hic cito, qui ex scriptis suis benevole cum nobis communicarunt. Catalogos librorum brevi omnino ad finem perductos sperare licet; difficile sane atque laboriosum opus; quo in tractando diligentiam summam viri industrissimi Fless præfecti bibliothecæ secundarii magnopere laudare debemus:

Aulæ academicæ extractio, ut ad finem perduci posset, summa regis liberalitas, eam pecuniæ summam, quæ ad ingens hoc opus terminandum atque suppellectili idonea ornandum necessaria erat, viro gravissimo qui collegio curatorum ab actis est, et cujus industriæ universitas nostra tam multa jam debet, addixit.

Quod ad historiam litterariam nostræ Academiæ spectat, libri insequentes a professoribus nostris conscripti sunt. Cl. Kinker, de jure naturæ litteras Paulo van Hemert deditas scripsit. Cl. Denzinger, compendium logices, quo duce ejusdem doctrinæ præcepta exponet, præmissa de studio academico in genere et de studio philosophico in specie institutione, mox prelo proditurum comperi. Cl. Fuss, opusculum edidit, quod inscribitur: ad Lycocriticum epistola, in quo loci metamorphoseon et fastorum Ovidii nec non alii nonnulli sive defenduntur et illustrantur, sive emendantur, Conradii Sprengel emendationes exempli causa refutantur. Ab eodem professore scriptum sed nondum editum scimus: de versuum homocoteleutorum sive consonantiæ in poesi neolatina usu dissertatio.

Ad singulorum ordinum statum jam pervenio; quo in explanando ex facultate scientiarum mathematicarum et physicarum initium ducam.

Professore doctissimo van der Heyden, decano, 14 candidati ad medica studia transituri creati sunt, unus autem doctor, Michael Gloesener ex Haut-Charage, qui, quanto ardore scientias amplexus sit, eo patet, quod ter tribus annis insequentibus commilitonibus suis in nostra universitate palmam eripuerit. Viro huic doctissimo et amicissimo optima quæque fata a Deo maximo imprecor.

Hortus botanicus hoc anno eximio plantarum numero locupletatus est; et in primis summa liberalitas virorum clarissimorum Thuin, Nees ab Esenbeck et Reinwardt commemoranda est. Horum prior, clarissimus botanices professor Lutetiæ Parisiorum, vere ineunte 200 species seminum benevole nobiscum communicavit. Amicitiae et benevolentiae Nees ab Esenbeck, suavissimi doctissimi-

que professoris in universitate, quæ Bonnæ floret, 290 species debemus; qui, licet nihil ex nostro horto accepit, quotannis, summò quo erga nos est officio ex seminibus horti botanici, cujus præfectus est, nobis offert. Clarissimus et expertissimus peregrinator Reinwardt, in Academia Leidensi professor, horto nostro 240 seminum species misit. Præter hos viros, alii adhuc, ut Bellefroid van Hove, cui tam multa jam debemus, Lejeune medicinae doctor, et Courtois in nostra universitate scientiis physicis deditissimus, quidquid horto botanico acquirere poterant, labore indefesso, dono dederunt.

Hoc loco silentio transire non possum, quam maximas gratias tibi, Vir humanissime, qui curatorum collegio, ab actis es, debeam, cum, quo nihil exoptatius mihi evadere poterat, in universitatis ædificio domicilium mihi concedere dignatus sis; quo fieri potest ut, quæ mihi officia a Rege optimo injuncta sunt, facilius persequi possim.

Tuæ quoque curæ, vir gravissime, Museum zoologicum specimina nonnulla rara beneque conservata debet; ex quibus attentione præcipue digna sunt: Tupinambis stellatus et magnum Chelonie Mydæ specimen. Collectio zootomica egregii juvenis Würth, in præparandis animalium partibus internis versatissimi opera valde aucta est. Juvenis hic doctissimus, ut rarissimas, quæ Parisiis conservantur, gazas, conspiceret, et ad majorem in medica scientia peritiam perveniret, universitatem nostram reliquit; qua de re ei ex animo gratulor; mihi autem difficile erit reperire aliquem, qui in dissecandis et præparandis animalium partibus eandem, quam ille mihi opem ferat. Nonnulla animalia, ut insecta et conchylia, diu minus apte exposita erant, quam ob rem Academicæ juventutis curiositati satisfieri haud bene poterat; nunc autem armario nitide fabricato Museum nostrum ornatum lætamur, quo, ut speramus, brevi hæc animalia recipientur.

Collectio instrumentorum chemicis et physicis experimentis inservientium hoc quoque anno aucta est. Conclave priori melius et amplius physicorum instrumentorum collectionem nunc continet, in quo in armariis satis amplis hæc disposita conspiciuntur.

Facultas medica, decano professore doct. Ansiaux, 7 candidatos, undecim

autem doctores creavit. O! utinam hi, qui peracto studiorum cursu, peritiam suam publice probare parati sunt, officii etsi difficillimi semper memores, dulcedinem omnem, solatium optimum hac in conscientia quærent: sese nihil omisisse ut doloribus et ægritudinibus levamen invenirent! Quod ad collectiones ordinis medici attinet, collectionem præparatorum prælectionibus de materia medica inservientium præcipue præparatis pharmaceuticis, quæ prius acquiri haud poterant, auctam comperimus.

Quod ad collectionem anatomicam, hæc hoc anno tribus tantum speciminibus condonata est, quæ liberalitati doctoris Hammelrath, in hac Academia olim studiosi, nunc medici Ipriensis debet. Hæc specimina constant: cranio Aethiopsis, cui larynx in statum fere osseum redactus adhæret; præterea præparato aneurismatis arteriæ, aortæ, nec non corde eximia amplitudine insigni, quod e cadavere foeminae, omnia aneurismatis cordis symptomata exhibentis, extractum erat. Cl. professor Comhaire, cujus curæ collectio anatomica commissa est, diversas collectiones anatomicas, quæ Lutetiæ occurrunt, hoc anno, ut præparata quædam nostræ Academiæ arcesseret, perlustravit, hæc quidem prompta non reperit; a viris autem, artis partes corporis humani præparandi peritissimis petiit, ut in usum prælectionum anatomicarum in nostra Academia diversa præparata osteologiam, osteogoniam, dentitionis doctrinam nec non angiologiam spectantia conficerent. Labor, quem hanc ob rem collega noster doctissimus suscepit, ut successu, quem meretur, haud careat, ex animo opto. Hic quoque cranii monstruosi imaginis gypso confectæ mentio facienda est, quam collega noster a summo Cuvierio dono acceptam collectioni anatomicæ, cujus præfectus est, adjungere non recusavit. Cranium illud, cujus imaginem collectio possidet, licet infantis, ut ex Cuvierii disquisitionibus patet, cum ob magnitudinem præternaturalem, tum ob ossium, quibus constat, eximiam crassitudinem adspicuum valde singularem offert.

Chirurgicorum instrumentorum collectioni nova nonnulla adjecta sunt.

In ædificio, in quo de diversis medicinæ clinicæ partibus prælectiones habentur, novum conclave operationibus chirurgicis destinatum constructum est. Præterea hoc nosocomium suppellectili utilissima hoc anno condonatum est,

lectu mechanico ægris iis destinato, qui nullos corporis motus exercere debent.

Facultas philosophiæ et litterarum, Decano profess. doctissimo Gall, candidatos 48 nominavit. Doctoris titulo 2 tantum ornati sunt; parvus sane numerus. Sed considerantes, quam multæ severioresque doctrinæ ab iis, qui hac in facultate doctoris pileo digni evadere cupiunt, teneri debeant, quamque raro has possidentibus magnum ex eis lucrum externum et terrestre paretur, mirari sane non possumus, quod pauci tantum his scientiis unice operam navent.

In facultate juridica, Professore doctissimo Warnkoenig Decano, 40 candidati, doctores autem 25 creati sunt; horum plures, laudanda thesium conscripitarum defensione publica, sese ex prælectionibus suorum professorum bonos fructus reportasse exhibuerunt. Fata academica, auditores honoratissimi, enarravi; hæc, quæ in universum bona sunt, ut in dies meliora evadant, summis in votis habeo.

Ad vos iterum me converto, cives academici amantissimi, nonnullos vestrum spectans, qui ob insignia scientiæ industriæque documenta edita non solum laudandi, sed præmio decorandi judicati sunt. Optimi juvenes! multum laborastis, per integrum fortasse annum, ut ad quæstiones propositas bene respondere possētis, studiis operam dedistis. Horæ subsecivæ, quibus multi a scientiarum campo abducuntur, vobis exoptatissimæ fuerunt, quia ex his bene collocatis optimos fructus capturos vos putastis. Hæc spes vos non frustrata est. Non incassum dies noctesque in studia incubuistis; nam laboris ac diligentiae vestræ fructus vos jam expectant. Virum doctissimum, qui senatui ab actis est, rogo, ut facultatum judicia legere velit.

#### JUDICIUM ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Jurisconsultorum ordo hanc quæstionem proposuerat : *Concinnò ac dilucido modo exponatur doctrina juris civilis, quo adhuc utimur, de illis qui potiores in pignore vel hypotheca habentur : seu indicentur credita privilegiaria, eorum causæ, conditiones, effectus, et, si concurrant, ordo inter ea servandus, ita ut simul critica istius doctrinæ discussio instituatür et difficiliora loca huc pertinentia explanentur.*



Unica tradita est ordini commentatio, hoc lemmate inscripta : *sit mihi fas audita loqui*. Licet in ea scriptor non exigua ingenii, jurisperitiæ, studii et laboris specimina ediderit, attamen ei palmam ordo dolens recusare debet; quia stylus admodum neglectus, non pauca ratiocinia Gallicò sermone conscripta, multa obiter nec sufficienter, in tanta commentationis prolixitate, tractata, præcipue quæ ad ordinem inter privilegia servandum spectant, ut ipse fatetur auctor dicens : « hæc omnia explicatione, exemplis et demonstratione indigerent, sed et temporis angustia, hujusque dissertationis fines jam nimium producti, mihi invito voluntatem exercent. »

## JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ordini ad quæstionem anatomico-physiologicam : *Quæritur historia formationis et evolutionis foetus in animalibus vertebratis; quæ succincte sed ita tractanda est, ut duarum præcipue membranarum, allantoidis nempe et vesiculæ umbilicalis usus appareat*, una commentatio oblata est cum symbolo, multum restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post multa sæcula : præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. SENECA. Cujus commentationis auctor, licet stylo puro et eleganti ordini non valde sese commendaverit, nonnullasque partes, qua debuisset, ubertate, tractaverit, magnam tamen scriptorum hac de re agentium notitiam probavit, quam ob rem præmium ei tribuere ordini placuit. Aperta schedula nomen lectum est : *Toussanus MARQUET* ex Jemeppe, medicinæ in nostrâ academia candidatus. (Orator ita eum est allocutus :)

Juvenis dilectissime! Quæstionem magni momenti licet difficillimam alacriter aggressus es; historia enim foetus evolutionis, quamquam a multis tractata; obscuritatis adhuc plena est; quamobrem, quæ manca et incompleta in tua dissertatione occurrunt, haud magnopere curantes ob summam, quam operi gravissimo adhibuisti, industriam, præmio aureote dignum habuimus. Accedas ergo

ad virum illustrissimum, qui collegio curatorum præest, et quam meruisti, mercedem ex ejus manibus accipias. Ad quæstionem mathematicam : *Limitum theoria perspicue exponatur, ejusque usus exemplis nonnullis, ex geometria et analysi sumtis illustretur*; duæ ordini traditæ sunt dissertationes, una inscripta hoc lemmate : *sutor ne supra crepidam!* altera his verbis, *Les sciences mathématiques captivent l'âme et l'occupent d'une manière noble, délicieuse et exempte de danger; elles élèvent l'imagination, elles perfectionnent l'esprit, elles remplissent et satisfont le cœur, elles éloignent les desseins dangereux et frivoles, elles procurent sans cesse une nouvelle jouissance.* LALANDE. Quamvis facultas auctorum industriam in colligendis iis quæ de limitum theoria apud optimos mathematicos scripta prostant, laudandam censeat, neutram tamen commentationem dignam judicavit, quæ præmio coronetur. Auctores enim ea, quæ collegerant, non ita comparuerant, ut ex uno principio totam deducerent theoriam; quod vitium præsertim in secunda animadvertitur commentatione, quæ magna ex parte verbotenus ex aliis auctoribus conscripta est, dum in priori plures demonstrationes mancas invenerit facultas.

Ordo ad quæstionem physicam : *Exponantur phænomena physica fluidorum aeriformium, quæ vapores nuncupantur, eorumque detur theoria*; duas accepit commentationes. Una hoc est inscripta lemmate : *quanto potius est deorum opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia.* SENECA; altera his versibus Lucretii est ornata :

*Præterea solis radiis jactatur aquai*

*Humor et in lucem tremulo rarescit ab æstu.*

Illi hæc valde præferenda est, quippe quæ quæstionis finem illa melius assecuta sit, et cum præterea satis magna industria elaborata sit, ab ordine præmio digna judicata est. Resignata schedula nomen prodiit : *Henricus Josephus TILMAN* ex Cras-avernas, scientiarum mathematicarum et physicarum in nostra academia studiosus. (Ad quem præsentem hæc verba fecit orator :)

Et tu, mi Tilman, laudes tuas percepisti. Cum alio adhuc commilitonum in are-

nam descendere conatus hunc longe vicisti. Perge ut incepisti, rectam doctrinae viam calcare, et pro certo habeas laborem tuum successu nunquam cariturum esse. Te conferas ad virum illustrissimum, qui industriae diligentiaeque mercedem distribuere haud recusabit.

## JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHÆ ET LITTERARUM.

Ordini ad quaestionem : *Enarretur historia fœderis, triplex quod vocatur, anno 1668 inter Provincias fœderatas, magnam Britanniam et Sueciam facti; tres traditæ sunt dissertationes. Prima inscriptionem fert : Dans la naissance des sociétés ce sont les chefs des républiques qui font l'institution, et c'est ensuite l'institution qui forme les chefs des républiques.* MONTESQUIEU.

Hæc propter dictionis elegantiam et fontium studium laude quidem digna videbatur; attamen neque causas neque indolem fœderis cum rite exponeret, multaque admisceret ad rem non pertinentia, insuper partium studio interdum abriperetur, non omnis probata est ordini. Altera, lemmate ornata : *Stetit itaque sol!* nec dictione priori par, neque ex fontibus hausta, plures errores continebat, cunctam rem obiter tractans. Tertia denique commentatio hoc dictum in fronte ferebat : *C'est une loi du droit naturel, que chacun tienne inviolablement sa parole, ou qu'il effectue ce à quoi il s'est engagé.* BURLAMAQUI. Auctor ad præcipuas hujus historiae fontes non adiit, quapropter sæpius in errores inductus fœderis naturam ac rationes haud rite examinavit, res præterea male disposuit.

Quam ab causam ordo, primum quidem locum commentationi Montesquievii verbis incriptam cum laude assignans, nullam tamen præmio satis dignam judicavit.

Quæstio philosophica hæc erat : *Postulatur commentatio argumentum Theæteti ita exponens, ut inde appareat, quænam Platonis de scientia sit sententia et quibus rationibus opposita philosophorum placita refellat.* Ordini una tantum tradita est commentatio his incripta verbis : *Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς Ἀσκληπιῶν ἠδὲ Πλάτωνα· τον μὲν ἵνα ψυχὴν, τον δ'ἵνα σῶμα σοιο.* Diog. Laert. lib. III. Quæ dis-

sertatio cum non solum dialogi, sed etiam reliquarum rerum huc pertinentium haud contemnendam notitiam, magnamque auctoris diligentiam probaret, corona digna judicata est. Aperta schedula nomen prodiit: Theodorus LENZ, Luciliburgensis, universitatis Leodiensis in philosophia theoretica ac litteris candidatus. (Orator his verbis victori gratulatus est.)

Gaudeo, mi Lenz, te victorem conspiciere in nostra Academia. Strenue pugnavisti; pugna enim tibi committenda erat cum duriori fortuna; nam hanc, ut vinceres diu multum temporis ad alios in litteris informandos adhibere coactus eras. Tali autem pugna, qua multi pereunt, animus tuus non modo non depressus, sed, ut apparet, ad altiora petenda praepratus est. Nam quae plures, fortasse minus experti, tentarunt, tu, amice, forti fretus animo tentasti, et quae magni laboris praemia sunt, jure reportasti. Gratulor tibi de hoc honore, tibi, quem, scientias cum religione conjunctas fovere scio. Nunquam desinas optime juvenis, vitae et morum philosophiam e purissimo fonte, nempe ex fonte verbi divini, haurire: quippe qui aquam illam purissimam continet, quae hac in terra sollicitos erigit eosque praepratur et confirmat, ut relicta hac vita (1) miseriae laborisque plena, vita aeterna melius frui possint. Ah! utinam haec mea verba pectori tuo fixa haerent, et utinam eos qui aliam viam ingredi volunt, corripent et ad optimam viam statim conducerent! Accedas, Juvenis dilectissime, ad virum humanissimum ut, quod aliis, tibi quoque religionis, doctrinae et modestiae praemium tradat.

Ordo hanc quaestionem philologicam proposuerat: *Quum inter recentiores aetas Latinos vel insigniter olim, sive arte, sive dictione, sive utraque cele-*

---

(1) Ex qua jam discessit optimus juvenis; in regiones illas aethereas intravit, quae ipsi praemia virtutis meliora, quam quae mortales tribuere possint, praebent. Perpaucis tantum post diebus quam gloriosam in nostra universitate reportaverat victoriam, acerba morte patriae parentibus et amicis ereptus est. Quanto amore omnes quibus virtus et scientiae cordi sunt, eum amplexi sint, ex dolore profundo, quem ejus commilitones ex ipsius morte ceperunt satis elucet. Natus est Th. Lenz, ut monumentum sepulchrale ab amicis defuncto positum indicat, XV Nov. 1801, in pago Schrondeweiler mag. Duc. Luxemb., certaminis litterarii praemio ornatur VI, mortuus XVI Octob. 1823.

*brati nunc vulgo ab indoctis juxta doctisque negligantur et contemnantur, quumque inter lyricos ita emineat Sarbievius, ut critici Horatium ab eo æquatum lyrica poesi, nonnulli superatum censuerint: postulatur commentatio, in qua, præmissa de neglectæ neolatinæ poëseos causis, deque ejus sive justo sive inmerito contemptu disputatione, in altera parte, quatenus Sarbievius Horatium dictione et pætica facultate vel æquaverit vel superaverit, instituta, et universe, et carminum aliquot comparatione, dijudicetur.*

Duas ordo accepit de hac quæstione dissertationes, unam votum in fronte ferentem: *Utinam!* alteram hoc inscriptam lemmate:

*Wie nimmer glorie will behalen  
Maakt zich de glorie nimmer waard.*

TOLLENS.

Utramque ordo præmio dignam habuit, sed diversas propter rationes, et cum duo præmia superessent, utramque corona ornandam censuit. Aperta schedula inscripta voto *utinam!* prodiit nomen Joannis Henrici BORMANS, Trudonopolitani philosophiæ et litterarum in universitate Leodiensi studiosi. Altera schedula auctorem nominavit: Cornelium Star NUMAN Sappermera-Groningianum, philosophiæ et litterarum in universitate Rhenotrajectina studiosum. (Quos ita allocutus est orator:)

Laudes vestræ, mi *Bormans* et *Numan* prolatae sunt. Sæpissime, dum duo pugnant, accidit, ut unus tantum victor abeat. Vos autem ambo ea virtutis et industriæ signa dedistis, ut a facultate pretio digni judicati sitis. Præmia, quæ vos expectant, ut vir amplissimus, qui præmia distribuendi officio benevole fungitur, vobis offerat, observantissime rogo.

## JUDICIUM ORDINIS MEDICI.

Ordini unica commentatio tradita est ad quæstionem propositam, quæ hæc erat *Detur accurata metastaseos descriptio exponaturque, experientia duce,*

*quibusnam in morbis frequentius metastases observentur ; proponatur denique rationalis earum theoria.* Commentationem in tres partes divisit auctor, secutus viam quaestione ipsa monstratam. Sedulo labore definitio speciesque metastasium delineatae sunt, neque ulla pæne theoria, cujus ope earum doctrina explicari potest, neglecta est; series titulorum in opere numerosorum ordine congruo collocavit auctor, atque exemplorum ubertate plane lucideque quaestionis scopum indigitavit; quam ob causam ordo opus examinatum, lemmate inscriptum : *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat* Cic. de nat. deorum; palma dignum esse censuit. Scheda aperta cognovit eam reportatam esse a Leopoldo GODIN Huensi, in universitate nostra studioso clinicesque internæ in nosocomio præfecto. (Ad eum orator hæc verba fecit : )

Difficilis est scientia medica. In una parte bene versatum esse probasti, in cæteris quoque ut brevi excellas opto; et sperare hoc licet, nam juvenus tua magnam adhuc viæ, quam ingressus es, partem tibi relinquit; hanc doctrinæ et experientiæ viam indefesso labore sequi perge, et magnam certe utilitatem et scientiæ et patriæ tuæ adferes. Accipias, quam meruisti, mercedem laboris tui.

Distributa sunt præmia, quæ optimi Regis benevolentia iis, qui in certamine litterario victores abierunt, conferenda voluit. Vestrum plures, commilitones honoratissimi, certamen fortasse anno præterlapso inierunt sine fructu, ut credunt. Optimum quidem, hoc verum est, fructum, honoris palmam hi expugnare non valebant; fructus autem, licet minores, tali ex certamine ipsis redundare nullo modo negandum est, cum tali contentione animi vires augeantur beneque præparentur ad sublimiora altioraque tentanda. Quamobrem animo abjecto et demisso hunc coetum vos relinquere, optimi, nolo. Audentes fortuna juvat, quod anno elapso efficere non potuistis, proximo anno fortasse effecturi estis. Denuo certamen inire poteritis; meliori ut successu ex animo opto.

Superest ut Rectoris dignitatem, qua Optimi Regis clementia per annum integrum frui mihi licuit, successori, Viro clarissimo Destriveaux, in facultate juridica professori publico ordinario tradam. Sed antequam hoc faciam, Deo optimo maximo, patri nostro cælesti, gratias quam maximas persolvo, quod per hunc annum officii laborisque plenum me conservaverit. Tu pater valetudine adversa

sæpe degressum exexisti et confirmasti, quamobrem tuam benignitatem et clementiam haud satis celebrare possum. Salvus erit et manebit qui in te omnem suam fiduciam ponit, nam tu, pater et, quem in terram nostram mortalium servandorum causa misisti, filius tuus Jesus-Christus, fons es vitæ et beatitudinis æternæ. Obtutu benigno mi Deus adspice Regem Guilelmum I; patriæ patrem scientiarum artiumque promotorem atque fautorem diligentissimum. Conserva totam Regiam Domum, et quid adversi ei accedere possit, longe remotum teneas. Salvos et incolumes sinas esse Curatores hujus Academiæ; salvum novum ejus Rectorem; bonam semper valetudinem ipsi largire, ut labores atque officia ei demandata qua debent diligentia atque attentione ab eo persolvi possint. Singulari tuo amore, mi Deus, amplectere universitatis nostræ professores; tua effice voluntate, ut eorum incepta, quæ ad tuam gloriam, et veram juvenum salutem spectant, prospere succedant. Conserva denique hanc juventutem academicam, dirige ejus animum ad omnia, quæ vera et honesta sunt, ita ut ejus studia patriæ et parentibus quondam quam maxime prodesse possint. Hæc omnia ut fiant a te, Deus omnipotens, toto animo precor.

DIXI.





TOSSANI MARQUET,

EX JEMEPPE,

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

MEDICINÆ CANDIDATI

COMMENTATIO

DE

FOETUS ANIMALIUM VERTEBRATORUM FORMATIONE  
AC EVOLUTIONE,

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST.

TOBACCO MARKET

1901

BY THE BOARD OF DIRECTORS

OF THE AMERICAN TOBACCO COMPANY

NEW YORK

1901

PRINTED AND PUBLISHED BY THE AMERICAN TOBACCO COMPANY

NEW YORK

1901

---

## COMMENTATIONIS DIVISIO.

---

COMMENTATIONEM in quinque partes dividi.

Prima pars animalium generationem , organaque præcipua in mammalibus , avibus , amphibiiis , et piscibus , illi inservientia , diversa tandem generationis systemata exponit.

In parte secunda de ovo , de fætus evolutione , ejusque nutritione sermo est.

In parte tertia de avium ovo et specialiter de ovo gallinaceo , scilicet de ejus compositione , fœcundatione , incubatione , et de pulli nutritione in ovo tractatur. In parte quarta de amphibiorum ovo , nempe de ejus compositione , fœcundatione et de fætus evolutione dissero.

Pars quinta denique , de piscium ovo , de illius compositione , fœcundatione , ac de fætus evolutione agit.

SENECÆ TRAGÆDIÆ

Multum adhuc restat operis, multumque restabit; nec ulli nato post  
multa sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

SENECA.

---

## PARS I.

### DE GENERATIONE.

---

#### CAPUT I.

##### DE GENERATIONE IN GENERE.

**G**ENERATIO, græce γενεσις, a Cl. Virey (1) hoc modo definitur : « *La génération est la fonction par laquelle les corps vivans et organisés reproduisent des individus semblables à eux, et perpétuent ainsi leurs races et leurs espèces dans le cours des siècles* ».

Hæc functio plantis, animalibusque communis est, varia autem in variis corporibus organicis : plantæ seminis seu taleolæ ope plantas sibi similes producunt, cryptogamicæ vero ex ovis haud fœcundatis nascuntur : polypi aquas dulces habitantes, plura infusoria atque vermes quidam divisione propagantur. Corporum organicorum alia utroque sexu gaudent et individuum quodlibet, altero haud juvante, procreare potest; alia autem, licet utroque sexu gaudeant, sine individui ejusdem speciei auxilio gignere nequeunt, v. g. nonnulli limaces; in plerisque tandem animalibus sexus masculinus et femineus separantur. Præterea reperiuntur animalia neutra, id est, individua quæ procreare haud possunt v. g. apium, formicum opifices et hybridæ. Ex veterum, nonnullorumque recentiorum opinione, corpora viventia duplici modo gignuntur, scilicet putredine (*generatione æquivoca*), et vera generatione (*generatione univoca*); animalia quæ generatione *vivipara* producuntur aut *vivipara* aut *ovipara* sunt. Generationem æquivocam confirmare videntur sequentia :

---

(1) Dict. sc. med. art. génération.

Zoophyta, Mucosae, quæ in substantiis putrescentibus nascuntur, et præcipue Entozoa quæ non solum in tubo intestinali, sed etiam in contextu celluloso, in oculis et aliis visceribus reperiuntur; attamen vasa quæ, v. g. ad oculos pergunt propter angustiores diametrum ova vermium intestinalium admittere nequeunt, Phthiriasis, in qua, breve post tempus, ingenti pediculorum copia corpus impletur. Needhamius succo vervecis calidissimo, sanguine, urina etiam calidissimis ampullam vitream vicissim implevit; attamen animalcula magnitudine diversa his in liquidis abundarunt. Experimenta de infusoriis hunc etiam generationis modum stabilire possunt. Illi qui generationem æquivocam rejiciunt, Harvæi, Linnæi et aliorum sententia nituntur: horum animaculorum ova in putrescentibus substantiis deposita, seu in aëre suspensa esse. Quod ad entozoa attinet, hæc lumbricos terrestres esse, quos simul cum alimentis nos haurire, credidit Linnæus; hi autem quomodo corporis nostri temperaturam perferre possint sane non intelligo.

## CAPUT II.

### DE ANIMALIUM VERTEBRATORUM FŒCUNDATIONE.

Fœcundatio ita definita est: *la fécondation est cet acte par lequel l'organe mâle communique au germe le mouvement vital; il n'a lieu que dans les générations sexuelles.*

Hæc igitur functio organa supponit, quæ aut in uno individuo, aut in duobus reperiuntur.

Separata autem sunt sexus organa in animalibus omnibus vertebratis præter Petromyson qui, ut Everard Home vult, hermaphroditus est. In mammalibus, avibus, plerisque amphibiis, nonnullisque piscibus, ut fœcundatio peragatur fœmina semper semen a mare accipere debet: hæc sexuum conjunctio vocatur *copulatio*, quæ plerumque in generationibus sexualibus, ubi intra corpus fit fœcundatio, locum habet.

## CAPUT III.

## DE ANIMALIUM VERTEBRATORUM GENITALIBUS MASCULINIS.

Genitalia masculina sunt *testiculi*, *vesiculæ seminales*, *prostata*, *Cowperii glandulæ* et *penis*.

§. I. *Mammalium genitalia masculina.*1° *De testiculis.*

*Homo.* Duo testiculi ovati reperiuntur. Membranæ, fibrosa, serosa, cellulosa, testiculum involvunt. Adest præter has membranas musculus tenuis (*Cremaster*) Pars cutis rugosa subnigra (*scrotum*) omnes illas partes complectitur. Omnia tenuia vasa spermifera dicta numerosis anastomosibus conjuncta, super testiculum flexuosum efformant canaliculum (*epididymidem*), qui mox ab organo separatus sub nomine *ductus deferentis* ad inguinalia pergit, et ubi ad vesicæ urinariæ collum pervenit, ab una parte in vesiculas seminales, ab altera in urethram terminatur.

2° *De vesiculis seminalibus.*

*Homo.* Vesiculæ seminales sunt organa duo membranacea sub vesicæ urinariæ fundo posita, spermati per quoddam tempus retinendo inservientia, cum canalibus deferentibus ac urethra, mediante canali ejaculatorio, junguntur. Mammalia carnivora; *Ornithorynchus*, et *Ceti* vesiculis seminalibus carent. Unica tantummodo adest in *Cuniculo* quæ ductus deferentes excipit; in omnibus aliis mammalibus duæ vesiculæ observantur.

3° *De prostata.*

*Homo.* Prostata corpus est glandulosum colli vesicæ partem anteriorem occupans, fluidum persæpe colore semine obscurius secernit, quod per varios ductus tenues in urethram funditur.

*Mammalia.* Omnibus in mammalibus glandula prostata reperitur, apud Simias et Glires unica parte, duabus autem apud Ruminantia et Solidungula, quatuor denique in Herinaceo componitur.

#### 4° De Cowperii glandulis.

*Homo.* Hæ glandulæ parva sunt corpora sub bulbi partisque urethræ membranaceæ latere posita.

*Mammalia.* Ceti, Solidungula, nonnullaque Ruminantia et Ursus hiscè carent glandulis. In aliis mammalibus glandulæ uniuscujusque ductus urethræ partem perforant.

#### 5° De pene.

*Homo.* Penis corporibus cavernosis duobus; spongiosa urethræ parte, et glande præcipue formatur.

*Mammalia.* Sunt mammalia quæ unico tantum corpore cavernoso tendineis cellulis conflato gaudeant. Præterea in plerisque, cutis abdominis vaginæ instar penem involvit; in aliis diversis modis v. g. in Gliribus retrorsum recurvatur; quomobrem animalia, urinam ac semen retrorsum mittentia, retromingentia nominantur.

### §. II. Avium genitalia masculina.

Testiculi in abdomine super renes semper remanent; tempore hiberno fere omnino evanescent; Corpus Hygmerii deest: membrana albuginea tenerrima conspicitur, ductus deferentes in cloacam concurrunt, et in coitu duarum papularum formam exhibent. Vesiculis seminalibus, et pene, multæ aves, v. g. Gallus, Columba carent; aliæ autem, v. g. Struthio Camelus, Casoarius, Anates, illo instruuntur.

### §. III. Reptilium genitalia masculina.

Testiculi in abdomine sub renibus collocantur: trigoni sunt in Testudinibus. Apud Salamandras vero contractione dividuntur; ductus uterque deferens in



cloacam terminatur : in Testudinibus ac Ophidibus verus conspicitur penis ; horum glans aculeis hirsutus est.

§. IV. *Piscium genitalia masculina.*

In Raia et Squalis testiculi cum epididymide , et ductu deferente in cloacam conducente cernuntur. Omnibus autem in piscibus spinosis , duo prælongi sacci partim membranacei , partim glandulosi testiculos referunt ; quamobrem horum piscium ductus deferentes brevissimi sunt. Hi sacci sæcundationis tempore materia quadam albescente , seu liquore spermatico replentur , deinde in anum foramine communi per quod semen ac urina expelluntur , patefiunt. Petromyzon ; ex Everard Home hermaphroditus est ; Cl. Gaede prof. ord. in univers. Leodiensi organa , qua ab illo testiculi denominantur , renes esse posse , opinatur.

CAPUT. IV.

ANIMALIUM VERTEBRATORUM GENITALIA FÆMINEA.

Genitalia feminea *ovariis , tubis fallopianis , utero , vagina , magnis parvisque labiis et clitoride* constant.

§. I. *De Mammalium genitalibus femineis.*

1° *De ovariiis et tubis.*

*Mulier.* Ovaria parva sunt corpora in pelvis cavo ad uteri latera posita. Membrana anteriori fibrosa involvuntur , interne vero celluloso contextu formantur , in quo quindecim seu viginti vesiculæ defixæ conspiciuntur.

Tubæ dicuntur angusti duo canaliculi , quorum unus dexter , alter sinister , ab ovario ad uterum ducunt , eorum extremitas externa fimbriata est.

*Mammalia.* Simia Sylvanus , et Didelphis Opossum tubas in orbem multoties recurvatas offerunt. In multis mammalibus tubarum fimbriæ desunt.

2° *De utero.*

*Mulier.* Uterus in pelvis cavo, intestinum rectum inter et vesicam jacet; in partem superiorem sive corpus, inferiorem sive collum, et in cavum dividitur. In cavo uteri tria adsunt foramina, quorum duo superiora tubis respondent, unum inferius in vaginam spectat.

*Mammalia.* Uterus in genere major ac magis membranaceus est quam in muliere. Simplex in specie humana, in Simiis, Bradypode, Myrmecophaga; bifidus est, seu introrsum emarginatus in Carnivoris, Gliribus, multungulis in duo cornua profunde dividitur. In universum eo magis divisus est uterus, quo magis imperfecta animalia.

3° *De vagina.*

*Mulier.* Vagina canalis est membranaceus in pelvis excavatione sedens, longus sex aut septem pollices. Apud virginem ejus orificium externum membrana tenui, lunæ crescentis effigiem referente (*hymen*) adornatur.

*Mammalia.* Membranæ virginæ, in nonnullis, fibræ vaginæ transversæ locum tenent.

4° *De labiis et clitoride.*

*Mulier et mammalia.* Labia minora seu *nymphæ* signum proprium speciei humanæ habita sunt; in aliis revera mammalibus deesse videntur. Ex Linnæi opinione, clitoris apud mulierem duntaxat reperitur; quod autem falsum videtur.

§. II. *De Avium genitalibus femineis.*

Aves unico ovario fruuntur, exceptis tamen carnivoris, in quibus duo ovaria quorum sinistrum magis evolutum reperiit Cl. Emmert. Ovarium supra renem, ante aortam et jecur sedet.

Magna ovorum quantitate, ope membranæ tenuis calicis dictæ, peritonæo conjunctorum efformatur. *Infundibulum*, membrana tenuissima ac tenera cons-

tans, ovario connectitur; cum infundibulo jungitur oviductus qui diverso modo sese inflectens in cloacam desinit. Illius orificium sphinctere peculiari intercluditur. Bursa a Fabricio ab Aquapendente reperta in cloaca cernitur; in illam, ut Fabricio placet, gallus semen immittit. Bursa Fabricii apud mares quoque reperitur. Casoariorum et Struthio Camelus solummodo clitoride gaudent (1).

### §. III. De Reptilium genitalibus femineis.

Ophidiorum ovaria super renes jacentia conspiciuntur. Oviductus bini valde longi ova continent, quæ in nonnullis speciebus v. g. in vipera, ibi excluduntur, Testudinum et Lacertarum ovaria in ductus duos flexuosos coeunt. Chelonia clitoridem possident (2). Apud Ranas uterus vesicam verticali diaphragmate in duas cellas divisam exhibet. Bini oviductus, longissimi, maximeque tortuosi ex illo procedunt, et prope cor aperiuntur; quamobrem ova ex ovariiis in abdomen dilabuntur, et quasi attractione oviductuum orificia petunt. Bufones utero carent; oviductus in cloacam abeunt.

### §. VI. De Piscium genitalibus femineis.

In piscibus cartilaginosi ovaria duo parva ad oviductus duos ducentia sub jecore, in spinosis autem maxima ovaria; oviductus contra mnimi conspiciuntur. Salmo fario, ex Cari sententia, oviductibus caret; ova in abdomen decidunt.

## CAPUT V.

### DE PRÆCIPUIS ANIMALIUM GENERATIONIS SIVE CONCEPTIONIS SYSTEMATIBUS.

Rerum naturalium investigatores generationis hominis, aliorumque animalium sexu gaudentium explanationi incumbentes, multa diversaque emisissent syste-

(1) Cuvier leçons d'anatomie comparée, t. V. page 135.

(2) Cuvier op. cit. t. V. pag. 136.

mata. Quæ omnia ad duo præcipua referri possunt. Horum alterum entium organicorum formationem mechanico modo exponit, alterum autem entia organica præexistentia supponit. Prius systema ab Hippocrate, Galeno maximaque medicorum parte defensum omnes fere auctores, et maxime cl. Buffon vario modo commutarunt. Inter posterioris systematis sectatores, alii in matre, alii autem in patre foetum præexistere, crediderunt. Hi animalcula spermatica pro foetibus habuerunt (Hartsoeker, Leuwenhoeck; Boerhaave, Lieutaud, Andry, et plurimi alii); illi contra in ovis oviparorum, in vesiculis ova referentibus foetum adesse putarunt. Multa systemata quorum præcipua, duntaxat exponam, ad modum mechanicum propagationis referuntur.

### §. I. *De Hippocratis systemate.*

Excepta Platonis hypothesi, Hippocratis systema omnium est antiquissimum. Hic illustrissimus medicus, qui 50 aut 60 annis ante Aristotelem natum vixit, mari non secus ac feminæ liquorem prolificum concessit; præterea in unoquoque sexu duos seminales liquores, quorum unus fortior ac potentior, adesse contendit; (1) foetum masculinum ex fortiorum liquorum maris ac feminæ, ex debiliorum autem mixtione femineum exoriri existimabat. His addidit: si pater plus partium quam mater afferat, sibi similior quam matri foetus erit et vice versa. Suam opinionem hæc confirmare sibi persuadebat: plurimas feminas primo marito conjunctas foetus femineos, cum altero autem mares genuisse; viros quoque ex prima uxore puellas, ex altera autem mares accepisse.

### §. II. *De Aristotelis systemate.*

Aristoteles (2) in mare duntaxat principium generationis admisit, dum maris liquorem haud pro materia sed pro causa generationis habuit; licet enim feminæ semen concesserit, hoc principium generans non esse credidit. At tamen ipsius dicto, femina totam materiam generationi necessariam præbet, quæ

---

(1) Hippocrat. lib. de genitura, et lib. de diæta.

(2) Arist. de gener. lib. 1 et lib. 2.

sanguis menstruorum est, eamque foetus formationi, evolutioni, ac nutritioni inservire credebat. Averrhoes, Avicennius alique philosophi hanc opinionem amplexi sunt, et feminam liquore prolifico carere, probare studuerunt.

### §. III. De Cartesii systemate.

Cl. Cartesius utriusque sexus seminum mixtione fermentationem qua foetus formaretur oriri posuit.

### §. IV. De molecularum organicarum systemate.

Hippocratis systema valde excoluit cl. Buffon, cujus sententia sequentibus satis elucet :

» Je pense donc que les molécules organiques renvoyées de toutes les parties  
 » du corps dans les testicules et dans les vésicules séminales du mâle et dans les  
 » testicules ou dans telle autre partie qu'on voudra de la femelle y forment la  
 » liqueur séminale, laquelle dans l'un et l'autre sexe est comme l'on voit une  
 » espèce d'extrait de toutes les parties du corps ; ces molécules organiques au lieu  
 » de se réunir et de former dans l'individu même de petits corps organisés sem-  
 » blables au grand, comme dans le puceron et dans l'oignon, ne peuvent ici se  
 » réunir en effet que quand les liqueurs séminales des deux sexes se mêlent, et  
 » lorsque dans le mélange qui s'ensuit il se trouve plus de molécules organiques  
 » du mâle que de la femelle, il en résulte un mâle, au contraire s'il y a plus  
 » de particules organiques de la femelle que du mâle il se forme une petite femelle.»

Foetus itaque ut formetur in moleculis organicis vim peculiarem admittit ex qua v. g. moleculæ a capite allatæ, eodem modo ac in hac parte ordinentur ut caput foetus fingatur et sic porro de cæteris partibus. Hoc systema similitudine liberorum cum parentibus præcipue nititur, sed ex eodem systemate sequitur, si quis parte quadam corporis careat, foetum eadem parte carentem generare debere ; quod tamen non evenit. Alia præterea objici possunt, exempli causa, hac hypothese, placentæ ac velamentorum foetus formatio haud

---

(1) Buffon histoire nat.

recte explicatur. Semen ab ovariis allatum nunquam apud feminam repertum est. Non in utero, sicut censuit Cl. Buffon, sed in ovario prima foetus lineamenta conspiciuntur.

§. V. *De systematibus quæ germinum præexistentiam supponunt, et primum de ovorum systemate.*

Primum de ovis dicamus. Cl. Stenon primus in feminarum testiculis ova reperit. Deinde Harvæus, Graaf, Malpighius, Vallisnerius (qui nunquam illa conspexit) aliique bene multi in viviparis non secus ac in oviparis ova admiserunt; sed inter eos de ovarii parte hæc continente non constat. Si physiologiæ recentissimis operibus credatur, sequenti modo fit conceptio: mas semen emittit, uterus illud quasi aspirationis modo arreptum tubis Fallopiæ ad ovarium ducit, tubæ fallopiæ extremitas simbriata illo tempore ovarium arcte amplectitur, ovum spermatis contactu incitatum in uterum delabitur, sive duntaxat ruptum, liquorem quemdam emittit.

Hic autem quærere possumus 1° an sperma aut solummodo ipsius vapor quidam (*aura seminalis*) in ovarium perveniat?

2°. Quomodo foetus efformetur?

Quod ad primam quæstionem attinet, Harvæus, Graaf, Vallisnerius, etc. in utero, tubis, et ovario sperma reperire frustra tentarunt.

Ruischius autem in utero et tuba semen vidit. Motum quo tuba ovarium amplectitur nemo unquam vidit, attamen in feminis mammalium, excepta femina humana, uterus et tubæ motu peristaltico gaudent (1). Qui seminis tantum vaporem tubarum seu circulationis ope in ovarium pervenire contendunt, angusto tubarum diametro, exigua colli uterini amplificatione, conceptione denique apud quasdam mulieres, ubi membrana hymenea intacta erat nixi confidunt. Graaf, Vallisnerius, aliique bene multi auræ seminalis hypothesim defenderunt. Ex Harvæi (2) opinione semen maris contagionem quamdam affert, feminæque viam prolificam ipsam subito foecundam reddit.

---

(1) Magendie *physiol.* t. II. pag. 422.

(2) Harvæus de generatione animalium.

Nullam vim generantem vapori spermatico inesse, ex Cl. Spallanzani experimentis in reptilia elucet; præterea piscium, reptilium, et avium conceptio, quæ spermatis contactu cum ovis perficitur, idem apud mammalia evenire satis confirmat. Insuper apud hæc in ovario conceptionem fieri Cl. Graaf, Halleri, Morgagni (1) aliorumque observationes, et gestationes extra-uterinæ demonstrant. Nunc ad secundam quæstionem sive ad fœtus formationis modum veniamus.

Bonnet, et Spallanzani germina fœcundationi præexistere, et inde a mundo creato formata, involuta, et vicissim evolvenda esse contenderunt. Singulare hujus dispositionis exemplum allatum est (2): ubi nempe fœtus femineus alterum continebat; attamen hoc mihi nihil aliud quam monstruosa deformitas esse videtur.

Argumenta quæ evolutionis hypothesi opponuntur hæc sunt: divisio in infinitum materiei quam hujus systematis fautores necessario admittunt; ingens germinum numerus quæ in femina sterili pereunt; hac quoque hypothesi matri similes semper esse deberent pueri; hybridæ naturæ matris ac patris haud participes essent; monstra præformarentur.

Halleri et Spallanzani experimentis fœtum fœcundationi præexistere satis superque probatum videtur.

Hallerus enim (3) internam vitelli membranam, internæ intestini tenuis membranæ, externamque externæ continuam esse, hujus arterias ac venas ex arteriis venisque mesentericis factus enasci, observavit; vitellus igitur pars est pullum constituens; atqui vitellus in ovo haud fœcundato reperitur, ergo pullus ante fœcundationem in ovo existit. Cl. Spallanzani (4) ex multis in bufones, ranas,

(1) Tertio die iude a copulatione apud cavem tubæ fallopianæ ligaturam apposuit *Hallerus*. Deinde supra fasciam ab ovario duos fœtus reperit. Idem vesiculam adhuc ovario sustentam et jam in tuba admissam apud coniculum feminam vidit. *Morgagni* sterilitatem morboso ovariorum vitio seu obstructione seu vitioso tubarum trajectu productam esse observavit.

(2) Dissert. Ch. G. Aug. Otto de fœtu puerpera seu de fœtu in fœtu epistola.

(3) Mémoires sur la formation du cœur dans le poulet, sur l'œil, sur la structure du jaune, et sur le développement.

(4) Expériences sur la génération.

tritonesque observationibus institutis foetum eorum ante fœcundationem quoque existere dilucide demonstravit.

Malpighi, ovarum recentium nondum incubatorum cicatricula examinata, in illa bullam agnovit, cujus in medio embryonem vidit, et ex hac observatione foetum in ovo incubationi haud submisso existere recte concludit. Illi qui foetus præexistentiam acceperunt ejus evolutionem sic exposuerunt : semen maris foetum penetrans ad cor pervenit, hoc tangit, ejus cavernulas leniter irritat, quo facto, fluida in vasa propelluntur, hæc dilatantur, fluidorum adaugetur quantitas, inde solidorum fit formatio, et denique animalis evolutio. Hallerus, Bonnetus, Spallanzani et multi alii autem cor ante fœcundationem paulisper pulsare credunt, ita ut semine ad frequentius, fortiusque pulsandum solummodo impellatur. Omnes igitur vim excitantem in semine admiserunt.

Bonnetus (1) puerorum cum parentibus similitudinem, hybridorum et monstrorum conformationem explicare studens, insuper vim quamdam alibilem in spermate agnoscit. Sed ut monstrorum conformatio explicetur, ad germinum monstruosorum hypothesim confugiendum esse fatetur; tot quoque elementorum species semini inesse quot in germinis compositione supponit. Cristæ Galli, cornuum Cervorum præsentiam hanc secutus hypothesim explicare conatur.

Spallanzani (2) ob spermatis quantitatem perexiguam qua opus est ut fœcundetur Gyrimus vim alibilem denegari posse credit : « Outre cela (inquit) si la nutrition des tetards dans les premiers temps de leur développement provenait de la femme, ceux-là devraient croître et se développer le plus qui seraient baignés dans une plus grande quantité de semence, mais nous savons qu'ils naissent et se développent également quand ils sont légèrement touchés par cette liqueur, ou quand ils en sont abondamment environnés. »

*Epigenesis*, id est foetus partium successiva conformatio Aristoteli, Galeno jampridem probabilis visa, postea a clis. Descartes, Harvæo, Tuberville, Needham, Muller, sed maxime a cl. C. F. Wolfio in lucem vocata est.

(1) OEuvres d'histoire naturelle et de philosophie, t. V. corps organisés, page 100-113.

(2) Expériences sur la génération, 9<sup>me</sup> réflexion, pages 200 et 201.



Epigeneseos fautores formativis viribus in substantiam generantem agentibus corpora organica generare contendunt.

Verumtamen Hallerus et Bonnetus ex suis observationibus partes omnes corporis ab initio coexistere et suam propter pelluciditatem haud conspici recte concludunt. Præterea ex Malpighi experimentis cor non solum, sed universum quoque fœtus rudimentum ante incubationem in ovo existere constat. Formatio partium attractionis vi a Maupertuis defensa ex epigeneseos natura fluere videtur. Hic, quem adhuc nonnulli recentiores sequuntur, moleculas organorum formationi idoneas ad centrum quoddam attrahi contendit.

### §. VI. *De animalculorum systemate.*

Leuwenhoeck et Hartsoëker animalcula spermatica primi observarunt. Andri, Vallisneri, Bourguet multique alii eorum observationem confirmarunt. Varia in variis animalium speciebus est animalculorum conformatio. Alii vitalitatem illis concesserunt, alii autem denegaverunt. Omnes autem pro generationis opificibus illa habuerunt; de modo autem quo ad generationem conferebant inter se discrepantes, alii feminae viviparæ ovaria denegantes ad partem quamdam uteri animalculum adhærere, indeque nutrimentum excipere; alii autem ovaria apud vivipara admittentes, horum unum in vesiculam ovarii sese introducere ibique sese evolvere condiderunt. Cl. Buffon animalcula spermatica pro organicis moleculis habens ea inter se conjungi ad individuum efficiendum contendit.

Multa autem animalculorum systemati opponi possunt: etenim in nonnullis animalibus desunt hæc animalcula.

Spallanzani duorum Bufonum semen nulla animalcula exhibens ad fœcundationem nihilominus aptum reperit. Systema de quo agitur etiam infirmat ingentissima animalculorum inutilium copia; etenim perpaucis exceptis, omnia in fœcundatione pereant necesse est. Hac hypothesi admissa, pueri modo patris, modo matris similitudinem exhibeant, cum feminae semen animalculis omnino careat. (In Canis et in Vaccæ semine animalcula reperit Buffon.) Denique Spallanzani de Bufonis specie, de Tritonibus, necnon Halleri de ovo gallinaceo experimenta quibus fœtum ante fœcundationem in ovo existere patet, animalcu-

lorum systema plane evertunt. Panspermia molecularum organicarum, germinum quoque præexistentiæ hypothese prope similis est : ex panspermia hypothese, omni in orbe terrarum disperguntur germina, et in corporibus sibi convenientibus contenta solummodo evolvuntur (1).

§. VII. *De sexuum procreatione.*

Hippocrates, Galenus et alii e testiculo et ovario dextris mares, e sinistris autem feminas provenire contenderunt; quodque nonnulli recentiores admiserunt; sed Ambrosius Paré, Diemerbroek, Hoffmann, etc. hominibus unico testiculo gaudentibus, foetus utriusque sexus procreatos fuisse observarunt. Insuper foetus masculinos in sinistro uteri, femineos autem in dextro latere repertos fuisse retulerunt.

Aristoteles feminarum austro, marium autem aquilone generationem adjuvari credit.

Millot (2) in ovario dextro mares, in sinistro autem feminas adesse existimat.

Claudius Quillet (3) pulchros, Robert (4) vero ingenio præditos pueros procreandi rationem docere voluerunt.

Hæc omnia incongrua et falsa ac vera mentis deliria esse credimus.

(1) Bonnet, *OEuvres d'histoire naturelle et de philosophie*, t. V. corps organisés, pag. 84.

(2) *Art de procréer les sexes à volonté.*

(3) *Callipédie.*

(4) *Mégalanthropogénésie.*

---

 PARS II.

 DE MAMMALIUM OVI EVOLUTIONE.
 

---

## CAPUT I.

Paulo post conceptionem nihil in utero reperitur, sed quodam tempore elapso, gerinen sacculi membranacei formam exhibens in uterum transfertur. Sacculus ille in homine et in animalibus viviparis foetum includens, *Ovum* nominatur. Veterum auctorum alii duas in ovo tunicas, scilicet : *Chorion* et *Amnion* admiserunt, alii autem Chorion et Amnion *allantoideam* addiderunt. Ex Halleri et Hunteri indagationibus, membranarum numerus ac dispositio in variis gestationis temporibus differre dicuntur : ita ut primo gestationis tempore quatuor, sub fine autem tres membranæ conspiciantur.

 §. I. *De membrana caduca.*

*In muliere*, primis gestationis temporibus, substantia molli, floccosa uterum interne vestiente formatur membrana caduca, tribus foraminibus tubarum fallopiarum et colli uterini orificiis respondentibus instructa formatur. Facies ejus interna microscopii ope examinata, tenuissimis foraminibus perfossa Huntero visa est. Nec illi desunt vasa sanguifera; Placenta formata, scilicet : gestationis mense secundo, membrana de qua agitur, ad internam uteri faciem proxime applicatur : præterea membrana alia tenuis placentæ versus ambitum cum illa juncta est, et alias vasculorum ope cum eadem communicans, chorion induit. Membrana hæc tenuis *caduca reflexa* nominata ex Hunteri, aliorumque opinione a caduca uterum interne vestiente profluit. Gestatione procedente, membranæ in unam coalescunt, quæ, sensim tenuior facta sub finem vix distinguitur. Caduca

alii ex uteri membrana mucosa oriri (cl. Sabbatier (1)), alii e lymphâ plastica (Hunterus) aut e sanguine, aut e lymphâ exsudata (J. Hunterus (2)) alii tandem ex influxu peculiari (Lobstein (3)) oriri credunt. *In mammalibus*, membrana caduca etiam observatur: Stalpart Van der Wiel (4) vaccæ deciduam descripsit; Hallerus (5) omnibus in quadrupedibus deciduam existere contendit. J. Hunterus solummodo apud simias illam magna crassitudine gaudere dixit.

Bojanus (6) fœtus canini membranam caducam sic exposuit: « membrana decidua a decidua humani fœtus abhorre non videtur, ut cui laminosa pariter fabrica, cellulis sinuata, decidua non absque laceratione a pariete uteri dimoveatur. Qua sejunctione facta cellularum membranæ quo loco utero cohærebant passim laceratæ, apparent. Cellulæ vero majores, hexagonæ, subrotundæ, quadrangulæ, irregulares aliæ sunt.

Ostia cellularum ad alias interiores cellulas penetrant. Incisa decidua cellulosa aliud proxime comparat stratum reticulare albescens; molle vero est hoc stratum, a tenaci et solidiori membranarum textura remotius, lacerabile etc; cæterum crassiusculum et spongiosum, quare decidua spongiosa nuncupari posse videtur. Hoc stratum ostiolis foratum villos chorii substrati excipientibus. »

## §. II. De Chorion.

*In muliere*, ut primum in utero cernitur ovum, Chorion membrana est robusta, fere pellucida, intus lubrica, reliquas embryonis membranas et funiculum umbilicalem usque ac fœtus cutim, cui adjungitur, ambiens. Hujus externæ superficie adhærent flocci, qui sub tertium gestationis mensem in punctum quod

(1) *Traité d'anatomie*, t. II. p. 456. edit. 3.

(2) *Expériences sur le sang, l'inflammation et les plaies d'armes à feu.*

(3) *Nutrition du fœtus.*

(4) *Observ. rarior.* t. II. p. 561.

(5) *Element. physiol.*, t. VIII. p. 186.

(6) *Boj. observ. (de fœtu canino 24 dierum nato ejusque velamenti, nova acta Academiæ Naturæ Curiosorum t. IX.)*

dam coeunt, et inde efformatur placenta. Progrediente gestatione, magis ac magis tenue fit Chorium.

Cl. Hallerus (1) Blumembach, Mayer et Lobstein vasa sanguifera chorio denegant; dum Wrisberg (2) hæc a vasis umbilicalibus, Sandifort (3) a deciduæ membranæ vasis provenire credant.

Vasis lymphaticis caret chorium; unicum tamtummodo se vidisse credit Mascagni (4).

Sensibilitate non gaudere valet, ex eo quod nervi nondum in illo reperti fuerunt.

In mammalibus, apud Glires, procedente gestatione, chorium magis ac magis tenue evadit et demum evanescit.

In carnivoris, Canis ac Felis chorium glutinoso liquore (*caduca Hunteri*) externe obtegitur. Chorium fœtus canini, teste Bojano, vasis sanguiferis scatet.

In solidungulis, carunculæ rubræ omnibus chorii partibus externis annectuntur.

In unguatis, v. g.; in Porco, facies externa chorii exiguis discis omnino induitur.

### §. III. De Amnio.

In muliere, amnion dicitur membrana alba, semipellucida, humorem limpidum continens, fœtum atque funiculum umbilicalem usque ad embryonis epidermidem cui inseritur obvolvens.

Amnion et Chorion, teste Huntero, primis gestationis temporibus, lamellis cellulosis ac liquore quodam intercedentibus sejunctæ, sub secundum tertiumve mensem inter se cohærent; quod autem ab omnibus anatomicis non admittitur. Cl. Hob, Oken, Needham, Graaf, Hallerus aliique vasa sanguifera in amnio admiserunt; attamen non magis quam in illo adesse videntur.

(1) Element. physio. t. VIII.

(2) De structura ovi etc.

(3) Observ. anat. L. I. Cap. v, p. 95.

(4) Vas. lymph. corp. hum.

*In mammalibus*, per totum gestationis tempus amnion a chorio sejungitur, in illo multæ venæ et arteriæ reperiuntur. Hæ crassissimæ sunt, præsertim in solidungulis, tam numerosæ in Castore ut in funiculum omnes penetrare non possint.

#### §. IV. *De amnii liquore*

Liquor amnii in muliere exemplo habeatur. Copia varius, sed, ineunte gestatione, copiosior reperitur. Modo limpida, modo albescens; hujus odor fere nullus, sapor subsalsus est; materia albuminosa, muriate sodæ et substantia quadam alcalina constat (Vauquelin et Buniva). Acidum quoddam amnioticum etiam in illo suspicatur. Illi qui amnii liquorem pro fœtus sudore seu urina habuerunt, ab Hallero merito refutati sunt: quo minor enim fœtus, eo major liquoris copia; embryo mortuo, aut quum nulla illius vestigia cernantur, liquor amnii adhuc reperitur; hunc ex utero provenire Hallerus et plerique auctores censent; e placenta vero oriri nequit, quum in piscium oviparorum ovis, in quibus nec placenta, nec funiculus umbilicalis adest, etiam reperiatur. De illius usu disseram, quum de fœtus nutritione sermo erit.

#### §. V. *De vesicula umbilicali.*

*In muliere*, vesicula umbilicalis a cl. Diemberbroeck (1) Albino (2) Brochmer (3) G. Huntero (4) Sandifort (5) Blumenbach, (6) Sœmmering (7) et nuper a Lobstein (8) reperta est.

Diemberbroeck et Sœmmering illam in amnii aqua innatantem, alii autem amnion

(1) Opera omnia P. 363 a 365 edit. 1697.

(2) Anat. acad. lib. I. Cap. 19.

(3) Descript. anat. embryonis observationibus illustrata, obs. 2, 3, et 4, fig. 2 c.

(4) Anat. uteri hum. gravid. tab. illustr. tab. 33, fig. 5, 6, tab. 3, 4, fig. 2 c.

(5) Observ. anat. pathol. l. 3 Cap. 6, pag. 93, tab. VIII. fig. 45.

(6) Commentat. Gœtting. vol. 9, pag. 28, fig. 1; inst. physiol §. 593 edit. 1798.

(7) Icon. embr. hum.

(8) Nutrition du fœtus §. 40.

inter et chorion jacentem, et eo magis ab umbilico distantem, quo major erat foetus, atque una extremitate filo albo instructam viderunt. Wrisberg se filum duplex, cujus pars una mesenterium, altera autem membranas foetus duodenum involventes attingebat, in funiculum procurrere conspexisse dixit. Recentiores investigatores illud filum arteria ac vena constare; arteriam ex arteria mesenterica superiori foetus oriri, venamque in mesentericam superiorem aperiri probarunt.

Vesicula umbilicalis, proportionem servata, apud mulierem minor est quam apud mammalium feminas. Circa tertium quartumve mensem occluditur.

Ineunte gestatione, teste cl. Oken (1), embryonis intestina in abdomine haud continentur, sed a vesicula umbilicali oriuntur: in vesicula tanquam in sacculo non continentur, sed illi continua sunt, quemadmodum duodenum ventriculo. Dividitur vesicula in duos canaliculos quorum, unus (*intestinum tenue*) os, alter autem (*intestinum crassum*) anum attingit. Utrique quamdiu in funiculum umbilicalem procurrunt invicem juxta ponuntur. Vesiculae collum nonnullis elapsis hebdomadis, occluditur, atque a vesicula distractum, intestinum caecum, serius autem ejus appendicem efficit; quamobrem intestinorum continuatio hoc loco interrumpitur; intestina tenuia crassis angulo acuto conjuncta versus umbilicum abeunt et denique ventrem ingrediuntur. Omnes igitur foetus herniam umbilicalem ante partum gerunt.

*In Mammalibus.* (2)

I. *In Carnivoris*, Canes et Feles membranam umbilicalem in intestinum longum, subrubrum, utriusque chorii extremitati *chalazarum* ope junctam productam, atque per omne gestationis tempus, cum foetus corpore parallelam, duobus tribusve vasis omphalo-mesentericis instructam exhibent. Bojanus (3) ita de vesicula umbilicali foetus canini dicit: « ceterum tenuis pedicelli ope, medio amnio pendens, in cylindricam vesicam producitur cujus extrema utrumque ovi polum

(1) Isis. 1818 1<sup>tes</sup> heft. beytrage zur vergleichenden Anat. und Physiol. von Oken und Kieser.

(2) Confer. Cuvier. l. c.

(3) Boj. observ. anatomica de foetu canino 24 dierum, ejusque velamentis.

petunt, atque allantoïdis limites ita transgrediuntur, ut appendiculatas eas partes exhibeant, quæ solo chorio obductæ, ultra deciduæ involucrum eminent. Neque vero hæc partium ubique obtinet proportio : priori embryonis stadio evolutionis soli pertinet. Adulto vero foetui ad umbilicum descendit, indeque mox, notabili angulo facto, deorsum redit, in cæsam aliquam appendicem extumescit, et levi anfractu proutinus in rectum intestinum dilabitur. »

II. *Solidungula* vesiculam oblongam exhibent quæ unicam tantummodo chazam extremitati foetui adversæ junctam, lateribus vero suis fixam gerit. Tenuissima sunt vasa omphalo-mesenterica.

III. *In Ungulatis*, apud Porcum, vesicula foetui obliquo modo respondet. Pedicellum (dequo cl. Oken. disseruit) cujus ope vesicula intestino adhæret, conspexit cl. Cuvier.

IV. *In Ruminantibus*, vesicula umbilicalis ac vasa omphalo-mesenterica citius quam in aliis mammalibus evanescent.

V. *In Gliribus*, vesicula umbilicalis allantoïdeam magnitudine superat.

#### §. VI. De Allantoïde.

*In Mammalibus*, allantoïs amnion inter et chorion longissimæ vesicæ adinstar producta ad utrumque uteri cornu persæpe porrigitur; humoremque subflavum, salsum, ad partum usque in nonnullis permanentem, et materiam coagulata, pinguem continentem includit. Allantoïs prima omnium embryonis partium, ex Halleri observatione, apparet, et eo major cernitur, quo minor est foetus. Meatus quidam, *Urachus* dictus, e media allantoïde oritur, et una cum vasis umbilicum prætergressus, in vesicam urinariam abit. Cl. Hallerus et Lobstein vasa sanguinea numerosa in allantoïde, nulla autem lymphatica conspexerunt.

*In Muliere*, de allantoïdis in foetu humano existencia multum disputaverunt auctores : Hunterus primus illam non admisit. (1) Alii hanc ad priorem embryo-

---

(1) Spigelius Andrianus de formatu foetus liber singularis, etc. in-folio. Patavii 1626-idem in-4<sup>o</sup> fig., Francofurti 1631.



nis evolutionem pertinere, vasaque illi deesse dixerunt; nonnulli vesiculam umbilicalem ab allantoïde haud bene distinxerunt. (1)

I. *In Carnivoris* v. g. in cane, fele, chorii partem vesiculæ umbilicali respondentem allantoïis non investit.

II. *In Solidungulis* hæc vesicula amnio ubique subjicitur. Hujus liquor grumos fuscus hippomanes dictos continet.

III. *In Ungulatis*, in porco allantoïis botelli formam excipit, inde nomen allantoïdis, et juxta amnion reperitur.

IV. *In Ruminantibus* allantoïis amnion non amplectitur. Urachus vero a funiculo umbilicali liberatus, intumescens longum intestinum uni amnii tantum lateri alligatum, refert; et utramque chorii extremitatem petens inseritur.

V. *in Gliribus*, vesicula umbilicalis chorion inter et amnion, allantoïis autem tunica erythroïdea minor inter vasa umbilicalia posita est, quo cl. Oken deceptus, minorem vesiculam tunicam erythroïdeam esse contendit. Sed urachi existentia et vasorum omphalo-mesentericorum ac umbilicalium dispositio illum in errorem ductum probant.

#### §. VII. *Vesiculæ umbilicalis usus.*

De vesiculæ existentia haud dubitatur, de ejus autem usu nondum sunt compositæ lites: anatomici qui primum illam descripserunt, de ejus analogia cum quadrupedum allantoïde judicare non ausi sunt. Diemerbroeck (2) vesiculæ humorem foetus alimento esse credidit. Quem secuti sunt Blumenbach et Soemmering (3). Ii vesiculam umbilicalem cum sacco vitellino pulli conferentes, ejus humorem filorum a multis auctoribus repertorum ope, in embryonis intestina transfundi contendunt. Observationes vero Wrisbergii, Albini, Hunteri hæc fila vasa esse sanguinea probant. Lobstein (4) vesiculam foetus humani nutritioni

(1) Confer. Cuvier l. c.

(2) L. C. pag. 265-267 formatrices spiritus in Bulla continentur.

(3) L. C.

(4) Essai sur la nutrition du foetus §. 107, pag. 135. 136.

inservire, eandemque cum uracho jungi, et per hunc ipsius humorem vesica urinaria excipi, et deinde vasis lymphaticis absorberi contendit. Vesiculam igitur allantoïdi similem esse existimat. Vesiculæ humorem foetui alimento esse cum Diemerbroeck, Blumenbach, Soemmering, Lobstein et aliis censeo. Vesicula enim umbilicalis humore plena reperitur, quum vix foetus appareat; et eo major illius quantitas, quo embryo tenerior est, quare probatur vesiculæ humorem non a foetu sed a matre suppeditari; et tempore quo foetus alio modo nutriri nequit, liquor abundans occurrit. Præterea vesiculam embryonis corpori adnexam sub quinquagesimum diem semel vidit cl. Lobstein. Attamen in cl. Soemmering tabulis ovum post sex hebdomadas e matre ejectum in quo vesicula a foetus corpore remota est. Postea, teste eodem, quo magis funiculus umbilicalis extenditur, eo magis vesicula e foetus abdomine recedit, et urachus corruiat. Vesiculam umbilicalem cum ovorum avium vitello, qui foetni substantiam nutriendam præbet, similitudinem exhibere infra demonstrabimus. Objiceret forte aliquis vesiculam vasa sanguinea a foetu accipere; huic vero cum cl. Lobstein respondebo vesiculæ structuram, usumque forte mutari posse simul ac vasa a foetu excipit: « Elle sert probablement alors (inquit Lobstein) (1) à une élaboration plus parfaite de la lymphe ». Cl. Oken (2) hominis aliorumque mammalium intestina a vesicula umbilicali oriri existimat. Sed vesiculæ pedicellum ab illo necnon a cl. Kieser admissum rejiciunt Hochsteller et Emmert: hi vesiculam umbilicalem vasorum tantummodo omphalo-mesentericorum ope, cum intestino conjunctam esse contendunt.

### §. VIII. De allantoïdis usu.

Aristoteles humorem in allantoïde contentum, spermatis sive genitræ liquorem esse credidit; ait enim (3): « exceptum ab utero semen, ubi immoratum fuerit, membrana obducitur. Si enim prius exeat quam dearticuletur, videtur

(1) L. C. §. 107, pag. 137.

(2) L. C.

(3) Hist. an. L. VII, c. 7.

quasi ovum membrana obtectum, cui putamen detractum sit. Membrana autem illa venis referta est ». Omnes anatomici jam pridem allantoïdem per urachum e vesica urinam excipere asseruerunt. Ut mihi autem videtur, vesicæ allantoïdis liquor nullo modo urina esse potest, hic enim antequam renes appareant jam observatur. Halleri de ovo ovino et caprino experimenta allantoïdem eo majorem esse quo foetus minor, et urachi magnitudinem in ratione inversa cum foetus magnitudine versari probarunt. Imo vero (teste Harvæo) in conceptibus quibusdam infœcundis, allantoïdis humorem invenias. Attamen Hallerus urinam apud quadrupedes in allantoïdem transfundi asserit. Cl. Lobstein autem ex iisdem Halleri observatis comprobatis urinam in quadrupedibus allantoïde haud excipi recte concludit. His adde (teste Lobstein) (1) quorundam quadrupedum foetus urinam non emittere, allantoïdem et urachum amplissima semel reperta fuisse quum renes perexigui pallidique apparerent, quum vix conspicerentur urinæ meatus, et vesica contraheretur.

Omnibus supra dictis perpensis allantoïdem urinam foetus non accipere fidenter assero. Sed qualis illius usus? Allantoïdem a gestationis principio constanter et maxime evolutam, et tunc in illa majorem humoris quantitatem abundare, dum foetus nulla ab alia parte alimentum excipere posse videatur: cum vesicula umbilicali maximam analogiam habere reputans, hanc foetus alimento inservire existimo.

### §. IX. De placenta.

In *Muliere*. Placenta est substantia carnea cujus pars convexa utero adhæret, concava autem foetum respicit, in variis gestationis temporibus figura, magnitudine, situ admodum varia. Etenim usque ad primi mensis finem floccis copiosis, mense secundo procedente, coacervatis ad locum cui adhæret, ovum constat. Mensibus autem subsequentibus crassior et contractior persæpe evadit placenta. Subeunte tandem puerperii tempore, molem spongiosam vasculis scatentem refert; cujus superficies utero respondens in multas carunculas inter

---

(1) Nutrition du foetus, § 48, p. 54.

se cohærentes divisa. Nec nervi nec vasa lymphatica in illa reperta sunt. Mulier unica gaudet placenta; nisi multiplex sit prægnatio : hoc in casu tot adsunt placentæ, persæpe tamen inter se conjunctæ, quot foetus in utero.

In *Gliribus* v. g. muribus, cuniculis etc. unica adest placenta ab humana parum abhorrens.

In *Carnivoris* unica etiam placenta fasciæ instar truncum obvolvens persæpe observatur.

In *Solidungulis* placenta chorii totam superficiem externam investit.

## CAPUT II.

### DE FOETUS MAMMALIUM EVOLUTIONE.

#### SECTIO I.

##### DE FOETUS HUMANI EVOLUTIONE.

Foetus usque ad sextum mensem valde increscit, maturitatem vero lente assequitur. Harvæus (1) conceptionis primo mense vix quidquam in utero existere arbitratur; nihil saltem unquam reperit. Hallerus et Baudelocque foetum humanum ante decimum nonum diem haud distingui posse contendunt. Nonnullis, a foetu in uterum descenso, diebus elapsis, tola illius substantia alba, mollis et mucilaginosa apparet; mox vero nonnulla puncta opaca cernuntur, quorum unum a quo lineæ rubescentes procedunt, cor representat. Sub vigesimum primum aut vigesimum octavum diem caput formam vesiculæ exhibens cernitur.

Primo mense elapso, foetus magnitudinem formicæ exhibet, pullulant artus, ejus longitudo fere linearum 12, pondus granorum 19. Sexta hebdomade ad apicem amplitudinem auctus est. Corpus capite paulo majus, cordis pulsationes adsunt; spina dorsi distincta, genitalia externa apparent.

Secundo mense facies distinguitur; puncta duo nigra oculos palpebris obductos

(1) Exercitat. anatom.

indicant. Decima hebdomade circiter elapsa, foramina quædam nares repræsentant; os apparet; nonnulla puncta clavicularum aliorumque longorum ossium durescunt. Long. poll. 4 ss.; pond. drachm. 5. Tertio mense, omnia evidentiora.

Quarto mense membra superiora, primum inferioribus longiora, iis breviora fiunt; musculi, unguium vestigia conspiciuntur; sese movet embrio. Long. 8 circiter poll.; pond. unc. 7.

Sexto mense cutis tenuis in manuum palmis, in pedum plantis, in facie etc. purpurascit. Materies quædam pinguis corpus obducit: long. 12 poll.; pond. unc. 32.

Septimo mense, membrana pupillaris evanescit.

Octavo mense, testiculi annulos petunt inguinales.

Nono mense, testiculi persæpe adsunt in scroto: long. 18 poll.; pondus 80 unc.

Nec eadem est omnium foetuum evolutio: longitudo et pondus v. g. multum variant. Cl. Chaussier foetus ætatis diagnoscendæ rationem congruam nuper reperit; funiculum a foetus summo capite ad calcem extendit, eundem bis in se replicat, et quo magis procedit gestatio, funiculus ita replicatus ad umbilicum magis magisque accedit, v. g. sexto mense, partem inferiorem sterni, nono autem mense umbilicum assecutus est.

### §. I. *De foetus in utero forma et situ.*

Ad secundum usque gestationis mensem foetus vermem recurvatum extremitate altera majorem refert; funiculo junctus innatat amnio. Sub dimidium gestationis tempus, situm fixum plerum tunc obliquum, ita ut caput pelvis aperturæ superiori respondeat, caput membraque flexa tenet.

### §. II. *De foetus præcipuis organis internis.*

Jecur evolvitur, citissime atque pro foetus corpore ingens, usque in hypochondrium sinistrum porrigitur; abdominisque parietibus respondet. Illius color saturate rubeus, contextus mollis; vasa autem bilem secernentia pro hepatis mole exigua sunt.

Cor etiam brevi efformatur; post aliquot menses ejus parenchyma jam densissimum, cavitates dextræ sinistris ampliores. Illud inter foetus et adulti cor disci-

men observatur: quod auriculæ, mediante botalli ductu, inter se communicationem liberam offerant. Præterea plicæ duæ membranacæ quarum una (valvula eustachiana) venæ cavæ inferioris ostio, altera autem foramini botalli seu ovali respondet, occurrunt. Procedente gestatione, valvula eustachiana minuitur, valvula autem foramini botalli opposita adaugetur; ita ut post partum hoc foramen omnino deleatur.

Aorta et arteria pulmonalis ope canalis arteriosi inter se communicant; qui in universum post partum obstruitur. Fieri autem potest ut cum foramine ovali diu et sæpe per totam vitam in quibusdam individuis (unde *cyanosis*) apertus remaneat. Tamen pulmones, licet paulo post conceptum evoluti, aërem tamen non admittunt; quamobrem aquæ fundum petere solent; initio rubescentes mox fulvi evadunt.

Thymus et capsulæ suprarenales in stadio fœtali solum existere videntur; quippe cum post partum persæpe evanescent.

Thymus quoque apud plerosque mammalium fœtus reperitur in parte superiore pectoris pœne sternum sedens; parvis vasculis liquore sapius albescente repletis constat. Capsulæ suprarenales, super renes positæ, cavitate sat exigua liquorem colore varium continente gaudent.

## SECTIO II.

### DE MAMMALIUM EMBRYONIS EVOLUTIONE.

Embryonis evolutio apud nonnulla duntaxat mammalia observata est. Hallerus (1) ruminantia, præsertim Capras et Vaccas, porro Suem, Talpam, Cuniculum atque ex carnivoris Canem et Felem dissectioni subiecit. In ovariis vesiculas primum vidit numero varias, quarum una cæteris major, rima conspicua, effuso sanguine rumpebatur, tunc in cavitatem vesiculæ sanguis effundebatur et flocci qui paulatim solidi fiebant, orti in acinos abibant corpusque luteum glandulæ conglobatæ simile, rubrum, vasculosum constituebant; præterea membranam allantoideam in uteri tubis formatam vidit.

---

(1) Hallerus oper. min. T. II.

## §. I.

Ovis embryo solummodo die decimo nono apparuit. Funiculus umbilicalis janus magnus, teres, vasa continebat et emittebat. In longo gracilique amnio embryone majore, foetus pene rectus long. fere lin. 6 conspiciebatur.

Die vigesimo secundo, hic pene informis, incurvus, capite prælongo, cujus os apertum videbatur. Viscera tecta et clausa, extremitates brevissimæ.

Die vigesimo sexto, foetus linearum octo longitudinem habebat. Caput, oculi, nares, aures, os apertum in quo lingua, pulmonum rudimenta, hepar magnum cernebantur.

Die vigesimo octavo, in funiculo umbilicali duæ venæ, duæque arteriæ conspicuæ erant. Ossa adhuc in statu cartilagineo, suturæ manifestæ, arteriæ temporales apparebant. Cerebrum satis distinctum. Ventriculum quatuor vesiculis compositum. Die trigesimo secundo omnia evidentiora: foetus paulo pallidior et solidior. Die quadragesimo, long. fere lin. 14. Foetus multo perfectior. Cor auriculis duabus instructum, renes conspicui. Apparent intestina.

Tertio mense, membrana pupillaris tenera, pellucida.

Cor valde conicum, ventriculo sinistro majore. Foramen ovale humano foramini simile, valvula tectum. Ductus arteriosus uti in homine; aorta arteria pulmonali minor.

*Capella.* Ante diem decimum octavum funiculus umbilicalis magnus tria vasa rubra, et ingentem urachum continebat. In amnio foetus ruberrimus, non conglobatus, circa umbilicum suum versatilis, vasis sanguineis in capite artubusque magnis et pene nigris repletus. Pedes posteriores bisulci, anterioribus dimidio minores. Aures patulæ, oculi crystallini. Longitudo foetus ad 20 lineas. Hepar maximum, divisum. Vesicula fellea minima, viridis. Cranium membranaceum.

---

(1) Hallerus l. c. Observ : 62.

## §. II.

*Cuniculus* prægnans per unum et triginta dies. Fœtus funiculum papillæ sanguine valde repletæ similem, placentam adeuntem gerebat. Caput grande, cranio pellucido oculis tamen instructum. Vertebræ distinctæ, fœtus totus pellucidus, præter aliqua rubra vasa.

## §. III.

*Talpa* prægnans incerti temporis. Fœtus pollice minores, perfecti, oculis et auribus conspicuis.

## §. IV.

*Porcæ* in utero tredecim post coitum diebus nihil fœtus simile reperire potuit Hallerus. In porca prægnante incerti temporis, fœtus oculo, ano, naribus clausis, ore aperto, spumoso, cum lingua libera gaudebat. In funiculo umbilicali arteriæ duæ, venæ totidem, ductus arteriosus humani simillimus, foramen ovale fere ut in homine, attamen latius cernebantur.

## §. V.

In utero canis quæ ante 22 dies conceperat, catellus ad decem vel duodecim lineas longus, capite magno, ore magno aperto; cauda longa, funiculo umbilicali magno, in quo arteriæ et venæ duæ repertæ sunt. Hujus vasa jam conspicua, rubra; pedes minimi.

In catellæ provectæ graviditatis fœtu, foramen ovale humano simile, isthmus autem validior; ductus arteriosus tota aorta major, vasa omphalo-mesenterica duo observabantur.

## §. VI.

In Fele tredecim post coitum diebus fœtus primordia apparebant.



§. VIII. *De Damarum Cervarumque embryonis evolutione.*

Harvæus (1) embryonis formationem in cervis observavit (cerva per novem menses prægnans). Mense septembri, cum primum feminae amore capiuntur, uterus (cornua intelligit Harvæus) paulo carnosior et crassior, mollior etiam et tenerior conspicitur. In utriusque cornu cavitate carunculæ quinque seu verrucæ molles apparent, quarum prima reliquis major.

Sub diem septembris vigesimum sextum aut vigesimum octavum, uterus crassior redditur, et carunculæ jam tumidiore mulierum papillas referunt. Abscissarum summitate, ex innumeris punctis albis efformari videntur.

Fine octobris et initio novembris, finito tandem coitu, uterus minorem molem exhibere incipit; cavitatis autem interioris paries intumescit.

Cornuum latera sese mutuo tangunt, et quasi agglutinantur. Interior superficies uteri tuberculis inflata tunc valde tenera et lævis evadit. Sub diem novembris duodecimum aut decimum quartum, ad futuram prolem pertinentia reperiuntur in Damis. Sub diem vero octavum aut nonum in Cervis, quæ sex septemve diebus ante Damas coeunt, ad futuram prolem pertinentia hæc reperiuntur: in media utriusque cornu et uteri cavitate, mucosa quædam filamenta, quæ, simul juncta membranosam tunicam referunt. Post diem unum aut alterum mantica hæc impletur aquosa alba, lenta, et albuginea materia. Tertio mense hæc tunica alteram continet, quæ liquore crystallino repletur, in quo natat foetus. Hic primum sub forma puncti salientis, sub diem decimum nonum aut vigesimum novembris in liquore amnii conspicitur? Vena quæ primum in humore crystallino intra amnion cernitur, ex puncto saliente originem ducit, atque umbilicalium vasorum naturam et officium subit. Sub diem vigesimum primum, vermiculus galbæ forma puncto adjacet (nempe corporis futuri primordium) in duas partes divisus, quarum una truncus, altera vero caput formatur. Sex aut septemve inde diebus sexus determinatur. Pedes formantur; ungulæ fissæ, mucosæ et subflavescentes. Quamprimum foetus formari et crescere incipit, substantia uteri plurimum extenuatur.

---

(1) De generatione animalium.

Sub finem novembris foetus magnitudine fabæ majoris conspicitur. Occiput prominulum, os ad utramque auriculam hians, cerebrum, albumine ovi paulo densius, cordis conus, cæteraque viscera albescunt; intestina, cor, cæteraque viscera plane conspicua sunt; initio decembris foetus digiti longitudinem assecutus est. Cor, cæteraque viscera et intestina in corporis cavo absconduntur. Substantia aquea haud absimilis illi in qua natat foetus in ventriculo est. In foemineo foetu ovaria, proportionem habita, majora quam in adultis; urachus non reperitur perforatus; urina in vesica copiosa cernitur. Jecur rude et propemodum informe. Oculi sub palpebris occulti. Pectoris ossa jam sensim durescunt. Musculorum color sanguineus evadit. Sub finem decembris foetus longitudine spithamæ similis sese valde movet, os ac fauces aperiens atque claudens. Cor in pericardio fortiter pulsatur; mensibus januario, februario et sequentibus, nihil memoratu dignum, præter pilos, dentes, cornua, et similia quæ auctiora solum apparent, evenit.

#### §. IX. *De evolutione foetus in Cuniculo.*

Ex observatione el. Graaf, dimidia hora postquam femina coiverit elapsa, uteri cornua magis rubra fiunt. Nec in vagina, nec in utero, nec in ejus cornubus semen maris reperitur.

Sexta hora, ovarii folliculi (ex el. Graaf ova continent folliculi) rubescunt.

Hora vigesima quarta, tres uno in ovario, quinque autem folliculi mutati in altero, opaci et rubescentes sunt.

Hora quadragesima, septem folliculi mutati in uno, tres autem in altero adsunt.

Tertia die, ova duo in cornu dextro sinapeos semini magnitudine æqualia cernuntur. Quodlibet ovum duabus membranis, quarum interior humore limpidissimo plena, involvitur. Postea ova utero adherent.

Nona die, in membranæ interioris liquore nubecula tenuis cernitur.

Duodecima die, embryo apparet; membra distincta, puncta duo sanguinea, totidem puncta alba in pectore; in abdomine substantia mucilaginosa, parum rubescens conspiciuntur.

Die decima quarta, caput crassum, pellucidum, oculi prominentes, os apertum, aurium rudimenta, spina dorsi albescens, ad sternum incurva observabantur; ex

utroque illius latere tenuia vasa sanguinea per dorsum ad pedes usque in ramusculos extensa procedebant. Puncta duo sanguinea, de quibus supra dictum est, majora ventriculorum cordis, duo alba autem pulmonum rudimenta referunt. In abdomine lineamenta albescentia jecoris, corpusculum feli ad instar convolutum, ventriculi intestinorumque rudimenta exhibent. Partes omnes usque ad trigesimum primum diem, quo locum habet partus, adaugentur.

---

### CAPUT III.

#### FOETUS NUTRITIO.

---

Num liquor amnii, num placenta aut uterque foetus nutritioni inserviant necne, mihi examinandum est.

#### §. I.

Nutritionem ope amnii liquoris effici Boerhaave, Heister, Stalpart van der Wiel, etc. argumentis sequentibus probare conantur : 1°. Amnion aqua plenum apud animalia sanguine calido et frigido, quæ et placenta et funiculo umbilicali carent, semper reperitur ; 2°. liquor amnii vim nutritivam habere videtur ; 3°. progrediente graviditate, illius quantitas diminuitur ; 4°. non omni gestationis tempore animalibus placenta inest, dum massa illa carnea generari incipit, quum foetus jam perfecte formatus est ; quinimo quum punctum saliens et sanguis tantummodo appareant, propagines venæ umbilicalis in humore amnii amnioque ipso duntaxat conspiciantur ; 5°. præterea infantes umbilico carentes aliquando nati sunt ; aliquoties autem funiculus corruptus aut deletus visus est (1).

De ratione et modo quo liquor amnii hauriatur non inter omnes liquet : auctores enim supra citati et multi alii hunc in ventriculum, mediante embryonis

---

(1) Stalpart van der Wiel, observat. rarior. cent. post. pars. I. observ. 325.

ore, pervenire contenderunt. Cl. Boerhaave (1) vi alibili liquorem amnii ob humorem ab illo haud abhorrentem in ventriculo foetus repertum, ob tubum intestinalem in materiem quam continet agentem, gaudere contendit. Sanguis, ut Boerhaavio placet, functione placentæ rubescit (2). Anatomicorum observationes transitum amnii liquoris in oesophagum probare videntur; et quidem Heister (3) hunc liquorem congelatum ad ventriculum usque foetus protensum in ovo vaccino observavit. Præterea ex cl. Harvæo, pullus in ovo sese movet in amnio, os aperit clauditque; quod quoque sæpissime vidit Hallerus apud quadrupedes. Tamen haud semper, os atque nares perforata reperiuntur. Amnii humoris absorptio per cutem admittenda videtur. Talem absorptionem aliæ observationes confirmant: v. g. embryones; priusquam os ventriculusque apparent nutriuntur. Absorptionem rejiciunt vero Hallerus (4) multique alii quibus argumentum validissimum hoc est: quod materies quædam caseosa corpus foetus induat. Hæc autem materia sub gestationis finem solummodo reperitur et non ubique ejusdem crassitudinis est.

## §. II.

Nutritio foetus per funiculum, Hippocratis, Aristotelis, Galeni, etc. usque ad Harvæum doctrina fuit; funiculum placentamque semper reperiri et a primis gestationis temporibus formari ad sustinendam hanc opinionem afferunt. His adde foetus in utero vixisse postquam aquæ jampridem effluxissent. In hac hypothesis, sanguis a matre per venam umbilicalem, deinde per cavam inferiorem in cordis auriculam foetus dextram affluit; per foramen ovale in sinistram usque in ventriculum sinistrum liberrime dimanat, ventriculi contractione in aortam expellitur. Sanguis autem e capite rediens per cavam superiorem in ventriculum dextrum ducitur, quo contracto, sanguis in arteriam pulmonalem et ope

---

(1) Instit. 4 med. §: 382.

(2) Boerhaave prælecti. in propr. instit. t. V. p. 2 pag. 344 et sequent.

(3) Compend. anat. not. 37. ad §. 110.

(4) Elem. physiol. t. VIII pag. 205.

canalis arteriosi, in aortam pellitur. Sanguis quum foetus nutritioni ac incremento observierit per arterias umbilicales ad matrem redit.

Quaenam placenta cum utero existit relatio? Physiologorum hac de re opiniones ad duas praecipuas referri possunt: alii scilicet vasorum umbilicalium cum uteri vasis anastomosim; alii autem absorptionem sanguinis defendunt. Multa proprii sententia militari videntur, et quidem 1°. foetus exsanguis, defunctis haemorrhagia matribus, visi sunt (1); 2°. funiculus, placenta haud extracta, haemorrhagiam matri lethalem attulit (2); 3°. injectus liquor a matris vasis in vasa foetus transiit et vice versa (3); 4°. haemorrhagiae post placenta extractionem; 5°. lochia; 6°. placenta cum utero fortis adhaesio; 7°. placenta in utero relicta putredine correpta (4); 8°. cum apud perfectos foetus cor deesset, cordis materni virtute sanguis movebatur. Contrarium primi argumenti observatum est (confer Balthasar (5), Reuss (6), Wrisberg, Haller (7)). Haemorrhagiae funiculi, placenta in utero relicta, rarissimae sunt; pauci enim medici funiculum ad placenta constringunt; nisi plures adsint foetus quorum placenta inter se communicare possunt. Cli. Ruysch (8) Monro (9), Bæderer (10) Hallerus (11). Wrisberg, Reuss, Lobstein (12) nullam injecti liquoris particulam a vasis maternis in vasa foetus et vice versa transire probarunt; et si contrarium acciderit, vasa fortasse dilacerata erant. Haemorrhagia, placenta expulsa, fortem ipsius utero adhaesionem tantum probat. Quum cor defuerit, semper aliquid ad ejus munus explendum reper-

(1) *Haller. phys. t. VIII pag. 249.*

(2) *Haller. L. C.*

(3) *Id. L. C. pag. 250.*

(4) *Id. L. C. pag. 283.*

(5) *De commercio uterum inter et placenta, foetusque nutritione §. XII.*

(6) *Observationes novae circa structur. vaso. in placenta hum. pag. 2.*

(7) *Grundriss. der physiol. pag. 790.*

(8) *Thèse v. N°. 57 not. 2.*

(9) *Med. essay. of a soc. of phys. at Edimb. t. II. art. 13. 516.*

(10) *Tab. de uter. grav. pag. 25, 27 et seq.*

(11) *Progr. de membr. et med. §. II. op. minor. t. II. pag. 52.*

(12) *Nutrition du foetus.*

tum est. Præterea arteriæ umbilicales rhythmum sive ordinem a matris pulsu diversum obtinent; idque facile experiri licet, si manum carpo matris, alteram funiculo admoveris.

His itaque perpensis, plerique physiologi sanguinis absorptionem admiserunt. In hac hypothesi sanguinem maternum in sinus uteri effusum, radiculis venæ umbilicalis absorberi, et ad foetum transvehi; et vice versa sanguinem foetus in placenta sinus effusum venarum uterinarum orificiis excipi indeque matrem adire supponunt. Cl. Hunterus (1) duplicem circulationem in placenta admittit: ex ejus sententia vasa umbilicalia inter se per anastomosim conjunguntur, et sanguis in placenta parenchymate effusus per sinus venosos ad uterum redit. Præterea alia adsunt vasa valvulis instructa quæ sanguinem maternum effusum absorbent et ad venas umbilicales transmittunt. Hanc doctrinam sequitur cl. Lobstein (2). Ab hac etiam opinione parum abhorret cl. Schreger: duas hic circulationes pariter agnoscit: serum quoddam arteriis tum uterinis, tum umbilicalibus exhalari, atque vasa lymphatica adesse, quorum trunci in funiculum abeunt; radículas autem succum quemdam alibilem in sinus placenta fusum absorbere existimat. Sed vasa lymphatica a Schreger admissa haud reperta sunt. At vero, ut Lobstein placet (3), ineunte gestatione, venæ umbilicalis radiculæ nondum arteriarum umbilicalium extremitatibus conjunctæ succum quemdam lymphaticum uterum inter et placenta effusum absorbere possunt. Cl. Noorwyik (4) Brill (5) Reuss (6), etc. succum illum reppererunt.

In placenta vasis valvulae admissæ sunt. Reuss unam, duas tresve valvulas, inter superficiem foetalis et uterinae vasa fines contituere contendit. Hoc admissio, cur arteriæ umbilicales rhythmum a pulsu matris diversum obtineant; cur injectus liquor ab utero in vasa placenta non transeat; cur denique sanguis e su-

---

(1) Cowper. dissert. de abortionibus. pag. 21.

(2) L. C.

(3) L. C.

(4) Uter. hum. grav. hist. pag. 10.

(5) Diss. de hum. lact. in plac. hum. pag. 96.

(6) Observ. circa struct. pag. 36.

perficie uterina, placenta simul cum foetu extracta et funiculo haud constricto, non effluat, explanare voluit. Illum autem errasse cum cl. Lobstein credimus (1).

§. III.

Embryonis nutritionem et amnii liquoris et funiculi ope locum habere validis argumentis pariter firmari compertum habeo; et cum cl. Harvæo, Hallero aliisque foetum, primis gestationis mensibus, amnii liquore, sub finem autem funiculo nutrirî censeo.

---

(1) L. C.

---

 PARS III.

 DE OVO AVIUM.
 

---

Antequam de avium ovo disseram, quæcumque dixerò, de ovo tantum gallinaceo præcipue valere possunt. Quippe quod solum ab observatoribus plane investigatum est; et quum auctores tum de ovi compositione, tum de foetus formatione et evolutione inter se valde dissident, quod eorum nonnulli dixerint et viderint exponam.

---

## CAPUT I.

 DE OVI COMPOSITIONE.
 

---

Ova omnia eodem modo fere componuntur, scilicet : cortice, albumine, chalazis, vitello, et duabus membranis (una nempe vitelli propria, altera corticis). His adde exiguam cavitatem in obtusiore ovi parte prope putamen efformatam, gallice dictam *chambre à louer*; atque perexiguum albumque vestigium, quasi rotundum (cicatriculam) vitelli superfici adnatum. Quorum omnium historia exacte a me afferenda est, ab internis ad externa progrediendo.

## §. I. De vitello.

Quamdiu in ovario continetur ovum, unice vitello, membrana corticis, et membrana propria obducto formatur. Vitellus est ovi liquor mollissimus, colore plus minusve luteo, perfecte rotundus, magnitudine varius, igne densior evadens,



compressione oleum quoddam emittit. Membrana vitelli propria multis lamellis constat. Teste Pander (1), pellucida et ubique ejusdem naturæ, in parte autem cicatriculam tegente, punctum splendidius tenuiusque observatur. Hoc sub puncto cicatricula formam circuli albi inducens apparet; ejus margo lucidior et reliquo albidior, cujus in medio punctum album micat. Cicatricula sub microscopio observata, exiguis globulis albis, subcinereis, punctum album autem granis subalbidis componi videtur. Cicatricula igitur duabus partibus, scilicet : 1°. disco rotundo (*Blastoderme*) 2°. puncto albo (*noyau de la cicatricule*) componitur. (Pander).

### §. II. De Chalazis.

Vitelli a membrana corticali sejunctionis vestigia sunt chalazæ, et quidem duæ : altera obtusum, altera autem acutum ovi angulum versus, reperiuntur. Hæc corpora sunt longiuscula, nodosa, intus cava, vitelli membranæ affixa, et in albumine fluctuantia. Utraque chalaza, cingulo ligamentoso, vitellum in hemisphæria duo inæqualia, quorum mutua relatio est ut 80 : 100, dividente conjunguntur.

### §. III. De Albumine.

Dum in oviductum procedit ovum, albumen membranam corticis inter et membranam vitelli intoducitur. Hic liquor est albus, vitellum undique obtegens et cingens. In duas partes quantitate et densitate diversas dividitur : altera exterior fluidior, plus minusve, pro ovi vetustate, copiosa, ablato cortice, protinus effluit; altera autem interior pellucida, densior et viscosior, priori fere omnino cingitur : solummodo acutum versus ovi angulum membranæ corticis cujusdam productionis ope adhæret, quam primus descripsit, et cui ligamenti albuminis nomen imposuit cl. Fredern. Ablato sub aqua putamine, interius albumen figuram suam ellipticam pene servat. Albumen sanguinis sero affine est.

---

(1) Mémoire sur l'histoire du développement du poulet dans l'œuf, in journal complémentaire du dictionnaire des sciences médicales, tom. 14<sup>mo</sup>. Febr. 1823.

§. IV. *De Putamine.*

Cortex seu putamen est integumentum durum, friabile, numerosis occultis foraminibus pervium, in oviductu formatum. Ovi putamen materia quadam animali, magna carbonatis, parva autem phosphatis calcis quantitate, carbonate magnesiæ, ferri oxido, et tandem sulphure componitur (1). Facies ejus interna corticis membrana alba, coriacea, multis conflata lamellis, et albuminosa induitur. Interior lamella obtusum versus ovi angulum a cæteris sejungens cavitatem parvam (chambre à louer), aëre repletam, eo minorem quo recentius est ovum, quæ parte quadam albuminis liquidioris exhalata formatur, constituit. Multo major est hæc, proportione servata, in gallinaceis quam cæteris in avibus. Cl. Buffon elasticum fluidum cavitate contentum fermentatione produci contendit. Cl. Leveillé autem hoc fluidum aërem purum esse, et pulli respirationi inservire probavit. Fluida enim elastica fermentatione producta aërem haud referunt, nec respirationi inservire possunt. Aer hic purus per exigua putaminis foramina in cavitatem pervenit.

## CAPUT II.

## DE OVI FŒCUNDATIONE.

Gallus in coïtu semen emittit. Quomodo autem id uteri cavitatem subeat, non profecto compertum est; quia penis multis in avibus haud reperitur, vaginaque adeo implexa et interioris suæ tunicæ laxitate rugosa est, ut licet e matrice foras facilis via pateat, atque ingens ovum illuc prodeat, neque stylus neque seta, ex Harvæo, in illam introduci possit.

Fabricius, ut modum quo galli semen ova fœcundat explicet, sperma in bur-sam prope uteri introïtum sitam introduci credit, « ibique per totum annum

(1) Vauquelin, Ann. de chimie, t. 81. pag. 304.

» retineri, et efficere totum uterum et simul quoque omnes vitellos eo carentes, ac totum denique ovum foecundum, idque facere sua facultate, seu » spirituali substantia irradiante » Bursa hac autem in mare et in femina reperitur, et Harvæus nec in illa nec alibi uspiam in gallina semen stagnans reperire potuit. Parisanus falso cicatriculam esse galli semen contendit; cum in ovo foecundato, et in subventaneo reperitur hæc cicatricula. Attamen inter eorum cicatriculas differentiam vidit Malpighi: in foecundato cicatriculæ centro bullam embryonem continentem vidit; in infœcundato autem ovo minor adest cicatricula, et ejus centrum versus loco bullæ massa globosa reperitur. Illi qui chalazas pro galli semine habuerunt in gravem errorem inducti sunt: in omnibus enim ovis et foecundatis et non foecundatis reperiuntur chalazæ.

Semen maris semel emissum plurimis simul ovis foecundandis sufficit, ut ex Fabricii experimentis elucet. Harvæus (1) vigesimum ovum a gallina (post hujus a gallo divortium) proveniens fuisse foecundum affirmat.

### CAPUT III.

#### DE OVO INCUBATIONI SUBJECTO.

Ovum incubationi subjectum calore circiter 32° R. maxime permutatur.

Prima die, ut ex Malpighii (2) observationibus clarum fit, sexta hora incubationis, cicatricula adaugetur, bulla (punctum album) amnio formata, plena liquore quo innatant caput, dorsique spina, dignoscitur; hora duodecima, omnia evidentiora; hora decima octava, caput adauctum, spina dorsi extensa; hora vigesima quarta, caput recurvum, spina albescens; fere eodem tempore alarum

(1) L. c.

(2) Pullus in ovo.

rudimenta censpiciuntur; caput, collum, et pectus extenduntur. Teste Harvæo, (1) cicatricula dilatatur illico, oculique pupillæ instar explicatur.

Ut Hallerus vidit (2), hora duodecima, foetus principium adest.

Ex Panderi observatione, octava hora, blastoderma paululum explicatur, prope ejus centrum punctum pellucidum apparet; sub duodecimam horam, blastoderma duabus constat lamellis: altera interiori crassa (feuillel miqueux) altera autem exteriori tenui (feuillel séreux). Deinde magnæ observantur mutationes: mox grana folium mucosum componentia a centro in marginem abeunt, inde areola pellucida (Wolf), (seu aréole embryonnaire Pander), quæ incremente blastodermate brevi extenditur. In areola pellucida punctum album (noyau de la cicatrice) rursus apparet. Hoc punctum auctum in centro exiguam rugam offert. Vitellus infra blastoderma circulos lucidiores (halones) quibus commune centrum inest, numero varios; duos tresve duodecima hora, quatuor vel quinque decima octava offert. Pars membranæ vitelli cicatriculam tegens tenuior pellucidiorque evadit. Albumen cicatriculam inter et corticem consumptum destrusumve videtur. Quo facto, pars vitelli membranæ cui macula infixæ est, attollitur, et membranæ corticis applicatur. Simul ac areola pellucida figuram productam obtinuit, embryonis rudimenta duarum fasciolarum parallelarum (plis primitifs) formam exhibentia censpiciuntur. Paulo post ambæ fasciolæ ad areolæ pellucidæ latissimam extremitatem cujusdam arcus ope conjunguntur. Hic pulli caput, prope alteram autem extremitatem cauda apparebunt. Mox inter fasciolas medullæ spinalis rudimentum, paulo serius illic conjunctis thecæ instar occlusum apparet. Extremum quoque cephalicum, versus tres quatuorve cellulæ inter fasciolas censpiciuntur, quæ a Malpighi et multis aliis vesiculæ cephalicæ nuncupantur.

Decimam octavam inter et vigesimam horam, vertebrarum rudimenta in utroque latere emergunt. Sub vigesimam quartam horam blastoderma tribus foliis constat, quia nova membrana (membrane vasculaire) serosam inter et mucosam laminam

---

(1) De generatione animalium.

(2) Haller, oper. minor. l. 11.

évoluta est. Vasa hac in membrana extensa primum sub insularum exiguarum circulo quodam (vena terminali) cinctarum forma visa sunt. Venam terminalem verum esse sinum agnovit Pander, propterea quod sinum terminalem illam nominat : vasorum ramuli inter se et cum sinu terminali junguntur. Ramuli in truncos uniti in embryonis corpus penetrant. Secunda die, ut Malpighio placet, hora trigesima vasa umbilicalia colore obscuro circa amnium conspiciuntur; hora trigesima octava, caput sat grande in quo tres vesiculæ membranæ spinam quoque dorsi ambientibus obductæ distinguuntur; hora quadragesima, pullus vivit, spina crassior, caput recurvum, prima rudimenta oculorum, cernuntur. Cor pulsat, atque circulatio sanguinis incipit. Ex Harvæo, cavitas in obtusa ovi parte multum ampliatur, et descendit. Vitellus versus extremitatem obtusam assurgit ejusque pars media cui macula infixæ est, attollitur, et membranæ cavitatem ambienti sese applicat; et prout vitellus ascendit, albuminis pars densior tantum dein in acutum imumve angulum detruditur.

Guillelmus Langly, medicus in urbe Dordrecht, anno 1655, primus vitellum semper ad altius cacumen efferrî animadvertit; quia levior est albumine. Aldrovandus vitellum ad acutam ovi partem efferrî asserit. Macula ad pisi vel lentis magnitudinem dilatata, in circulos qui punctum album perexiguum pro centro habent, dispertitur. (Hanc maculam Aldrovandum et Parisinum observasse versimile est). Interea chalazas versus ovi latera inclinasse videas. Vitellus (præcipue ubi cicatricula est) paululum colliquescere incipit; propria ejus tunica in tumorem effertur.

Teste Hallero, in superficie vitelli figuræ venosæ (tunicæ vascularis) e vasis omphalo-mesentericis constantis principium adest (1). Quod nuper dixit cl. Dutrochet (2) silentio præterire haud debeo : » Dès les premiers jours de l'incubation la chalaze du gros bout se détache, la partie du jaune sur laquelle est couché le petit embryon se rapproche de la membrane de la coque et se dirige

(1) L. I. p. 333 et seq.

(2) Recherche sur les enveloppes du fœtus, in mémoires du muséum d'histoire naturelle, t. III.

vers l'espace rempli d'air situé au gros bout de l'œuf. La portion du blanc qui recouvrait cet endroit du jaune est écartée par degrés; à mesure que l'aire vasculaire s'étend sur le jaune, le blanc recule, etc. »

Ut Pander observavit, sub trigesimam horam œsophagus et cor formam duorum saccorum infra apertorum exhibentia apparent. Paulo post canalem rectum cor refert. Hora trigesima sexta, duplici loco angustatur; ita ut in tres sacculos dividatur. Sub quadragesimam octavam horam, ferri equini adinstar incurvatur, amnion duobus folliculis compositum apparere incipit.

Tertia die, ut Malpighio visum, liquor abundat in amnio; caput vesiculis constans recurvatur, spina longior evadit; hora 62<sup>a</sup>, caput adhuc recurvum, venæ atque arteriæ cerebri vesiculas arrigunt. Lineamenta oculorum et medullæ in conspectum veniunt; ut ex Harvæo constat, circuli magis conspicui et ampliores in quibus liquor optime refulget, quem si transversim ad lumen intuearis; tota jam macula tunica propria tenuissima inclusa apparet. Hunc liquorem *colliquamentum candidum* nominat Harvæus.

Sub finem tertii diei in bonis ovis vesiculam teneram, clausam, pulchreque vasculosam, pullulare videas ex foetus corpore inter umbilicum et caudam.

Ex Panderi observatione, halones evanescere incipiunt. Tubus intestinalis prope extremitatem caudalem foetus apparet. Hic e falso amnio (folio exteriori amnii) evanescente (Wolf) e blastodermate autem sese inflectente (Pander), ut ceteræ partes, oritur. Lamina serosa Blastodermatis pelvis rudimentum, vasculosa autem et mucosa rectum intestinum producunt. Sub 60<sup>am</sup> horam, cor tres Bulbos: unum inferiorem minorem et rotundum, (saccum venosum) alterum medium majorem et elongatum, (ventriculum), alterum denique superiorem rotundatum (bulbum aortæ) præbet. Contractiones has inter amplificationes positæ in canales porro abeunt; ita ut ventriculus et saccus venosus, canalis auricularis ope (Hallerus) ventriculus autem et bulbus aortæ per fretum inter se communicent. E bulbo aortæ canalis tenuis, *rostrum* (Hallerus) in duos tresve ramulos, qui aortæ radices sunt conducit.

Quarta die, ut Malpighi vult, corpus recurvum; in capite præter oculos, vesiculæ quinque humore plenæ reperiuntur. Femorum alarumque rudimenta

cernuntur. Oculorum pupilla, crystallinum atque vitreus humor distinguuntur.

Ex Harvæo, colliquamenti limbus linea exili sanguinea rutilat; ejusque fere in centro punctum sanguineum saliens distole et systole gaudens emicat. Duo vasa sanguinea ab illo orta ad colliquamenti tunicam perveniunt. Ex his vasis unum arteria, alterum autem vena est. Aristoteles, Fabricius, Aldrovandus (1) et Volcherus punctum saliens viderunt. Sub finem quarti diei vesicula jam bipartita, cujus altera pars in auriculas, altera vero in ventriculos cordis mutatur, contractionibus et dilatationibus alternis apparet. Unam pro corde, alteram autem pro jecore habuit Aldrovandus. Crescente fœtu, in vitellum et albumen vasa modo dicta porriguntur. Ex Panderi observationibus elucet sinum terminalem et vasa ex eo orta omnino evoluta esse. Trunci quatuor vel quinque vasorum tunicæ vasculares enumerari possunt; quarum duo in corpus embryonis angulo recto ducuntur, dum alii cum corpore paralleli in regione præcordiali conjunguntur. Illi arteriæ, hi autem venæ sunt. Vesicula oblonga (chorion seu allantoïs. Carus) in duas cavitates divisa prope anteriorem recti parietem conspicitur; harum una minor recto adhæret, altera autem major tenui pedicello intracta e regione fœtus inferiore occurrit. Chorion falso amnio adhærens duabus membranis, quarum interior allantoïs est, constare videtur. Nullam allantoïdem in ovo adesse, nisi chorion pro allantoïde habitum fuerit, asserit cl. Pander; ergo urachus in avibus non existit. Lamina exterior amnii vitelli membranam e conspectu ablatam supplet. Chorion deinde cum falso amnio junctum, multum adaugetur, et universum corticem, acuto ovi cacumine excepto, investit. Vasa umbilicalia in chorion sparguntur. Cl. Dutrochet (2) Chorion distincte demonstrare conatus est; sub quarti diei finem vesicula minima abdomine egreditur, quæ, dilaceratis vitelli cuticulis, valde crescit:

« Se glissant entre le poulet et le jaune d'une part, et la membrane de la coque de l'autre, réunit enfin les bords vers le petit bout et enveloppe alors la totalité de l'œuf d'une double membrane. Les vaisseaux ombilicaux se distribuent dans leur entier à cette vessie et y forment un très-beau réseau. Cette

---

(1) Ornithol. l. 14 pag. 127.

(2) L. C.

vessie tient au cloaque du poulet par un canal analogue à l'ouraque. » Plurimis auctoribus longe ante cl. Dutrochet hæc membrana nota erat : ut Aristotele (1) Fabricio ab Aquapendente, (2) Harvæo (3), Stenon, (4) Gaultier, Malpighio, Antonio maître Jean (5) Blumenbach (6). Alii inter quos Aristoteles, Harvæus, etc., humorem allantoïdis ab albumine haud bene distinxerunt.

Quinta die, ut Malpighio placet, vertebrarum eminentiæ magis assurgunt; alæ et femora solidescunt et extenduntur; vasa umbilicalia abdomine egrediuntur.

Ex Harvæo, crassius aliquid et albidius nebulae instar est corporis rudimentum. Sub finem quintæ diei aut initio sextæ, caput in tres vesiculas dividitur : quarum prima maxima oculum cujus in centro pupilla, cæteræ duæ cerebrum et cerebellum referunt; jam rudimentum corporis spinam dorsi luculentius offert; alæ et pedes aliquantulum in conspectum veniunt.

Sub finem diei quartæ aut initio quintæ, ex Pandero, intestinum medium fere omnino clausum, canalis *vitello-intestinalis* ope solummodo vitello adhæret. Sinus terminalis et venæ ambæ ab ipso ortæ minuuntur. Tunc vero, quinta die fere, ramuli venosi qui in illas intrabant ad arterias accedentes truncos duos novos cum arteriis in embryonis corpus penetrantes efformant. Sexta die, teste Malpighio, sub finem diei sextæ, cerebri vesiculæ obtegi incipiunt; medulla bipartita solidescit, alæ, femora, pedes extenduntur. Abdomen clausum et tenue factum, jecur obscurius; cordis ventriculi pulsant. Corpus cute obtectum, puncta quædam pennarum originem indicant. Ut Harvæus vidit, capitis bullæ tres evidentiore, oculorum tunicae distinctæ; pedes et alæ pullulant; jecoris et pulmonum rudimenta, rostrum, albidissimum amnion cernuntur; viscera omnia

(1) Hist. an. VI. 3.

(2) Oper. ed. Clugd. Batav. p. 28.

(3) L. C.

(4) Op. ger blas. anat. anim. 249 et seq.

(5) Observ. sur la forme du poulet. pag. 147 et 148.

(6) Anat. comp. pag. 528 et abild. p. l. 34 et 64.



et intestina conspicua. Jam foetus sese movet. Pars tamen corporis anterior plane aperta.

Ex observatione Panderi, sinus terminalis, licet simul cum blastodermate extendatur, sensim tenuior fit, et minuitur sanguinis quantitas. Die septima, teste Malpighi, caput grande e cerebrum membranis suis obtectum; rostrum optime apparet; femora et pedes perfecta; cor duobus ventriculis constare videtur. Ex Harvæo, omnia manifestiora, singulorum partium primordia: nempe alæ, pedes, genitalia, pedum digiti devisi, femora, etc. reperiuntur. Ut Dutrochet observavit, allantois secundam vitelli cuticulam rumpit. Ut Pander, sinus terminalis filum perexile rubrum refert et mox omnino evanescit.

Die octava, (Malpighi) corporis partes magis evolvuntur. Nona die, teste Malpighi, sub finem, pulmo colore albido apparet. Die decima alarum musculi apparent; pennæ egrediuntur.

Ex Harvæo, caput toto corpore majus est, viscera quoque jam apparent; venæ etiam quæ a corde progrediuntur umbilico jam applicantur; ab hoc autem tenditur vena una ad membranam qua vitellus continetur, qui illo tempore liquidior factus est, altera autem ad membranam qua et tota membrana, (colliquamenti tunica) et vitellus, humorque interpositus continetur. Venæ, tum illæ quæ ad albumen, tum illæ quæ ad vitellum perveniunt arteriis comitantur. Quod ex vitello superest et albuminis jam pars maxima in colliquamentum fereque in foetum assumuntur. Ut Hallero visum, jam a decimi diei fine membrana umbilicalis (allantois) totum ovum occupat, exigua parte excepta, quam albumen prope extremitatem acutam tenet.

Ex Dutrochet opinione, allantois, omnibus involutis, ad acutum ovi cacumen pergit, seseque ibi figens, pullum, vitellum, reliquum albumen, reliquas chalazas vitellique cuticulas duplici membrana induit. Die undecima, e Malpighi, arteriæ cum corde tunc plane formato connectuntur.

A die undecima ad decimam quartam, teste Harvæo, viscera abdominalia conduntur, pullus nunc primum plumis vestitur. Oculi, pupillæ, palpebræ, membrana nictitans apparent.

Ex Hallero, a die decima tertia, lamina exterior vesiculæ umbilicalis (allan-

toïdis) cum suis vasculis totum ovum occupans albumen comprehendit; laminaeque interior quoque vasculis picta albumen obducit. A die decima quarta, inter ejus membranas fœx alba reticulata mollis reperitur. Ex Harvæo, sequentibus diebus vasa umbilicalia quinque conspiciuntur, quorum unum vena maxima est, e cava oriens, ramosque in albumen dispertiens. Aliæ duæ venæ a porta proficiscentes in binas vitelli partes distribuuntur. Colliquamenti membrana jam vitelli partem comprehendit, et contractior facta, vitellum cum intestinis ad foetum adducit. Cerebrum et cerebellum solidescunt. Fel virescens jam inter hepatis lobos invenias. In ventriculo liquor limpidus adest, ejusdem plane consistentiæ, coloris et saporis, cum colliquamento in quo foetus natabat. Aliquot ante exclusionem diebus exigua jam colliquamenti relicta quantitate, pullus non amplius natat; totus est conglobatus, capite ut plurimum a femore dextro et ala recepto; rostro etiam, unguibus et plumis, cæterisque omnibus instructus, modo dormit, modo vigilat moveturque, respirat et pipit. Paulo ante exclusionem umbilicus qui in albumen tendit, obstruitur; sive, ut Aristoteles ait: » umbilicus is qui ad secundinas exteriores tendit, solvitur ab animali et » cadit, qui vero ad luteum fertur, cum pulli tenui intestino connectitur. »

Die decima octava, in intestinis vitellum repositum invenias; ut Hallero visum, ultimis incubationis diebus, vasa umbilicalia (allantoïdea) minuuntur; cæca inaniaque fieri incipiunt; ad quatuor primo truncos reducuntur, et denique evanescent cum membrana allantoïdea, cujus nequidem vestigium foetus natus retinet (1). Teste Pander, decima quinta die, blastodermatis vasa magis ac magis minuuntur. A decima quinta ad decimam sextam diem, vitelli membrana et chalazæ in blastodermate quod corticis membranæ summopere adhæret, evanescunt.

---

(1) L. c. t. II.

## CAPUT IV.

## DE PULLI EXCLUSIONE.

Pullus aëris majori quantitate egens, sub diem vigesimum primum, aut vigesimum secundum, rupto cortice, in lucem prodire solet. Hoc loco non est prætereundus Fabricii aliorumque fere omnium error, quod nempe pullus, per vocem emissam, signum testæ rumpendæ matri præbeat. Experientia autem compertum est pullum ipsum rostro corticem frangere; quod quoque rationi maxime est consentaneum: quomodo enim ova in fimetis, furnisque calidis posita, quomodo testudinum marinarum et terrestrium, piscium quoque, bombycum, serpentium et struthionum ova rumperentur, cum foetibus illis aut vox desit, aut cum sub terra sepulti exaudiri nequeant? » Gallina, ait Harvæus (1) quam primum vocem ab ima parte attolli percipit, ovum quidem non rumpit, sed pedibus suis sursum evolvit, commodioremque situm pullo intus incluso præbet. »

## CAPUT V.

## DE PULLI IN OVO NUTRITIONE.

Ex auctorum fere omnium sententia, vitellus et albumen pulli nutritioni in ovo inserviunt. Harvæus venarum distributione explorata, foetum ab initio ex colliquamento nutriri concludit; cum in ipso dumtaxat venæ primum disseminentur, deinde hæc in tenuioris albuminis membranam, postea in crassius albumen et vitellum sparguntur. Tunc bene albumen atque vitellum pro nutrimento

(1) De gen. anim.

foetus habuit. Præterea vitellus in abdomine intra intestina, idque non solum dum foetus in ovo fuerit, sed post exclusionem etiam reperitur. Ex Harvæo 'pullus per os etiam nutritur:» Quamobrem si embryo in humore dicto natans, » os suum aperit; necesse profecto est aquam fauces ingredi, et si alios musculos » movet, quidni credamus eundem pariter et faucium organis usum, liquorem » illum absorbere? » liquorem limpidum ejusdem consistentiæ, coloris, et saporis cum colliquamento in quo foetus natat, in ventriculo reperiri supra vidimus, nunc autem alio modo pullus nutriri hæud possit? Liquorem quem olim pro urina pulli habuerunt Hallerus et alii, membranæ allantoïdæ laminis contineri scimus. Rationibus a cl<sup>o</sup>. Lobstein (1) allatis, et dicto ipsius Halleri (2) innixi, hunc liquorem urinam foetus esse credere non possumus. Ex argumentis enim cl. Lobstein quæ enunciavimus, quum de usu allantoïdis quadrupedum actum sit, allantoïdis tum in mammalibus, tum in avibus, foetus nutritioni inservire videtur. Tamen nondum plane notum est num urachus avium cavus nunc solidus sit, nam Hallerus (3) in optimis experimentis, setam per hunc ductum in intestinum rectum immittere hæud potuit.

Ex cl. Dutrochei opinione (4), avium atque reptilium nullam formæ mutationem subeuntium allantoïdis, nutritioni, respirationi, urinæque continendæ inservit. Quod ad respirationis functionem attinet, conclusio cl. Dutrochet, a sententia cl. Blumenbach (5) minime discrepat, et hujus assertionem comprobatur, scilicet: venas allantoïdis (obstante Hallero) sanguinem arteriarum rubriorem continere. Id quoque in lacertis affirmant cl. Hochstetter et Emmert.

(1) Nutrition du foetus.

(2) Quando demum enormem magnitudinem vesicæ umbilicalis, (allantoïdis) cum renum parvitate comparo, et ureterum, nullo modo probabile esse invenio humorem qui aliquando sit in ea repertus, a renibus esse ». Oper. minor. t. 11, pag. 331.

(3) L. c. t. 11. pag. 331.

(4) L. c.

(5) Anatomie comparée.

## P A R S I V.

## D E R E P T I L I U M O V O .

## C A P U T I.

## R E P T I L I U M O V I C O M P O S I T I O .

Reptilia fere omnia ovipara sunt, vipera nonnullisque aliis solummodo exceptis. Reptilium ova ab avium ovis, in universum parum discrepant; cavernula tamen (chambre a louer) carent.

1°. Cheloniorum ova duro cortice gaudent.

2°. Sauriorum ova velamento plus minusve duro involvuntur. Ea Crocodyli magnitudine ovis anserinis similia. In Lacertis (1) sub tunica externa membranæ duæ albæ haud vasculosæ, chorion, albumen et vitellus; atque prope obtusum ovi cacumen amnion cum fœtu reperiuntur. Saurii intus fœcundantur.

3°. Ex Ophidiis, Anguis fragilis et Viperæ sunt viviparæ. Amphisbenæ, Coluber aliique serpentes ovipari. Serpentes per unam duasve circiter horas in coïtu perseverant. Ex cl°. Dutrochet (2), in serpentium ovis albumen haud reperitur. Cujus vero contrarium dicunt cl<sup>i</sup>. Emmert et Hochstetter, qui in his pariter ac in avium ovis membranam putaminis duplicem, internam verò vasculis scatentem, avium chorio similem, ex allantoïde etiam procedentem vitellum, fœtum amnio involutum continentem, viderunt. Vasa umbilicalia per allantoïdem, omphalo-mesenterica autem per vitellum dispertuntur. Hæc sicuti in avibus pediculi ope intestino adnectitur, posteaque abdomen ingreditur.

(1) Emmert et Hochstetter l. c.

(2) Recherches sur les enveloppes du fœtus, etc.

4°. In Batrachiis, membranaceum velamentum adest. Multis in speciebus ova extra corpus fœcundantur, postque partum in aqua multum intumescunt. E cl. Maupertuis (1), Salamandra terrestris ad vivipara potius quam ovipara referenda est, quippe cum ova simul et fœtus in illa reperiit.

---

## CAPUT II.

### DE REPTILIUM EVOLUTIONE.

---

Nulla reptilium species ova incubat. Hæc calore duodecim ad viginti quatuor gradus æquante tola excludunt. Cl. Dutrochet fœtus evolutionem antequam ova edita sint in Colubris observavit. Mense octobri prægnantem viperam secuit, atque in oviductibus fœtus putamine expeditas sed chorio involutas reperiit. Chorion porro multis punctis oviductuum parietibus hærebat. Ex his cl. Dutrochet vasa chorii ex oviductus vasis aliquid excipere posse, et fœtum partim succis maternis nutriri concludit. Si res ita se habet, vipera animalibus viviparis simillima est. Vipera ovum unicolor et molli cortice indutum intra se concipit, ibidemque servat tamdiu quamdiu fœtus ad statum perfectum pervenit, quo in statu membrana tectus paritur.

Tertia die rumpenda est, ut Aristoteles observavit (2). Cl. Spallanzani (3) de Ranarum, Bufonum, Salamandrarum generatione observationes plures fecit; in rana viridi aquatica multum ab illa quam sub eodem nomine descripsit cl. Roesel (4) discrepante experimenta sua instituit in Lombardia. Hæc rana a mense aprili ad mensem Maium venire ardescit. Ova quæ haud ad maturitatem pervenerunt, omnia in ovario inclusa, sphærica, magnitudine autem et colore varia occurrunt.

---

(1) Mém. de l'acad. ann. 1727, pag. 27 et suiv. in-4.

(2) Hist. an. l. 5. C. 34.

(3) Expérances sur la génération.

(4) Hist. natur. ranarum Novemb. 1758.

Ranæ viridis aquaticæ hoc modo coeunt : mas in dorsum feminae ascendens, brachiis hanc arcte amplexam infra axillas tenet; donec omnia ova maturata emittantur. Hæc spermate extus aspergit. Eadem copulationis ratio, ex Swammerdam, in cæteris ranarum speciebus sese offert. Coitionis tempus eo brevius observatur quo major est calor.

Maximo calore, per quatuor vel quinque, frigore autem peracto, novem et quidem decem dies continuatur coitus. Fœcundationis modo examinato, ovum usque ad animalis perfectionem observemus. Præter materiem quamdam mucilaginosam ovum obtegentem, hoc binis membranis circularibus, quarum interna liquorem translucidum continet conflatur. Dimidia ejus pars nigrescit, altera autem albescit. Coloris influxu exiguus gyrinus brevi apparet. Ovum extenditur, hemisphærium album subnigrescit, quod autem nigro colore imbutum erat, sulco longitudinali parum excavatur. Membrana tunc circularis interna dilatatur, prior ovi forna rotunda in oblongam mutatur, cauda et caput gyrini magis in conspectum veniunt, mox quoque oculorum clausorum, oris et brachiorum rudimenta conspiciuntur. Paulo post gyrinus motum exhibet. Funiculus umbilicalis capiti alligatus apparet, magis magisque evidens fit, quum gyrinus e carcere sese liberavit. Examinata ranæ viridis aquaticæ generatione, cl. Spallanzani ranæ arborum, diversarumque Bufonum specierum generationem observavit, (1) et ex ipsius observationibus pro certo habemus horum omnium animalium ova extra corpus matris fœcundari. Erravit igitur Linnæus dicens : « nullam in rerum » natura, in ullo vivente corpore fieri fœcundationem vel ovi impregnationem » extra corpus matris. (2) » Idem valet de Frederico Menzio prof. Lipsiensi, qui semen eminentia carnosâ maris pollicem terminante egressum in pectus feminae, deinde viis ignotis in ovarium pervenire credidit (3).

In omnibus illis ovis amnion adest. Ovorum color, coitionis tempus, illud quo venere ardescunt illa reptilia valde variant.

(1) L. C. chap. II. III. IV.

(2) Artedi ichtyologia, pars II. pag. 32.

(3) Generatio sporadozos ranarum conspicua.

Cl. Spallanzani in duabus Salamandarum speciebus experimenta valde curiosa instituit. Salamandræ mense martio seu dimidio aprili amores incitantur. Mas ita se collocat ut caput ejus illud feminæ attingat; caudam leviter movens, semen per anum emittit; quod aquæ mixtum ad anum feminæ perveniens ova fœcundat. Hanc seminis emissionem donec omnia ova vicissim fecundentur repetit. Ex observatione cl. Spallanzani liquet salamandarum amores modo per viginti, modo per triginta dies protrahi, usque dum feminæ omnia ova ediderint. Valmont de Bomare (1) salamandras aquaticas ore pedibusque ova ex ano protrahere contendit; quod ex cl. Spallanzani falsum esse videtur.

De Salamandarum evolutione jam aliquid dicamus. Ova post enixum longiora evadunt, apex eorum alter multum augetur, dum alter diminuitur. Deinde ova nec amplius crescere videntur, sed valde extenduntur. Paulatim salamandra parva caudam bene formatam, vertebrarum initium exhibens, brachiis parvis, in quibus sanguis movetur instructa cernitur. Etiam duæ exiguæ papulæ laterales, brachiorum rudimenta conspiciuntur. Capitis, rostri, et oculorum figura distinguitur. Salamandra viscosa materie involvi desinens, limbo tantum amnii circumdatur. Pars inferior corporis albescit, dum superior flavo colore imbuatur, exiguisque punctis nigris inscribitur. Salamandræ amnio involutæ incurvantur ita ut cauda ad caput accedat; paulo post amnion quod animal continere nequit dilaceratum animaculum expellit. Septem fere diebus ut in ovo salamandra appareat, et insuper tribus quatuorve ut hæc amnio et visco solvatur opus est.

Ex cl. Spallanzani experimentis (2) elucet corpuscula rotunda quæ ab Ranarum, Bufonum, Salamandarumque feminis pariuntur non ova, sed vere fœtus esse. Nam velamentis, sive membranaceis sive testaceis haud continentur, sed prorsum nudi, nullum corticem, nisi amnion, relinquunt; quod quoque in viviparis observatur. Hæc igitur animalia ab oviparis separanda, et inter vivipara collocanda sunt.

---

(1) Diction. d'hist. natur. art. Salamandre aquatique, édit. 1775.

(2) L. C. ch. I. II. III. IV. V.



Ranarum ac Bufonum mares coeuntes feminas brachiörum manuumque ope valide amplexas tenent. Hanc compressionem ovis ab ovariis separandis necessariam credidit Vallisneri ; Swammerdam autem tubis compressis transitum ovorum impediri existimat. E cl. Spallanzani observatione constat 1°. cl. Swammerdam sententiam haud veram in universum, 2°. opinionem cl. Vallisneri falsam esse. Antequam de Batrachiorum generatione disserere desinam, non est prætereundus cl. Ruischii multorumque aliorum error : Pipam (Crapaud de Surinam) multas matrices sub dorsi integumentis, inde foetus primum evoluti prosiliant gerere. Pipa enim non secus ac alia ejusdem ordinis amphibia ova parit.

---

---

PARS V.

DE PISCIUM OVO.

---

CAPUT I.

DE OVI STRUCTURA.

---

Piscium ovarium, exceptis tamen Raiis, Squalis, Chimæris, nonnullisque aliis, ova omnia ejusdem magnitudinis continet; eodem tempore etiam eduntur. In Raiis autem, Squalis, Chimæris, etc. duo adsunt ovaria rotundata, ova diversæ magnitudinis continentia; quarum minima alba, maxima autem lutea sunt; atque prout fœcundata sint in oviductus transeunt (1). Omnia piscium ova membranacea sunt, horumque permagna copia in ipsis occurrit.

---

CAPUT II.

DE PISCIUM OVI FŒCUNDATIONE.

---

In maximo piscium numero ova extra corpus fœcundantur. Sunt qui ineunte vere ova pariant, v. g. Cyprinus Barbus, Esox Lucius; aliæ autem species æstate v. g. cyprini.

Femina cum ova ediderit, mas semen in aquam spargens magnam eorum

---

(1) Cuvier, anatomie comparée, t. V. sect. 1. art. 11.

copiam fœcundam reddit. Mas aliquando ventri fœminæ atque fœmina quoque diversis corporibus ut ova facilius expellantur sese affricat. In Raiis, Squalis, nonnullis Blennii speciebus ova intra corpus fœcundantur. In quibusdam piscibus, v. g. in Syngnathis et Siluro ascito, ova pene evoluta in bursam sub ventre seu cauda positam deveniunt, ubi excluduntur. Hallerus pisces squamosos coïre opinatus est. Linnæus piscium ejusdem speciei feminas comitantes mares semen comedere et hoc modo fœcundari contendit. Verum est feminam semen maris comedere, sed ut ex eo nutrimentum capiat; quin quod mas ipse semen manducat; pisces ova sine mare sed haud fœcunda, concipiunt et pariunt.

### CAPUT III.

#### DE PISCIUM EVOLUTIONE IN OVO.

Incubatio non observatur apud pisces, sed variis in locis ova deponuntur, ibique solis calore excluduntur. Varium in variis speciebus est ovorum exclusionis tempus: sunt qui 40, 50, 80, 90 diebus post partum nascuntur. Cum tantum dierum tempus sit, sequentia observantur: secunda die exiguum punctum animatum albumen inter et vitellum apparet. Tertia die cor pulsat, corpus vitello adhæret, cauda est libera. Sub sextam diem spina dorsi et costæ conspiciuntur. Septima die, duo puncta nigra oculos exhibent, cauda replicata, valde movetur embryo. Nona die, ovi membrana a cauda piscis dilaceratur, et tunc a cauda incipiendo hic egreditur (Buffon). In quibusdam speciebus pisciculi nascentes portiunculam vitelli in sacculo parti inferiori abdominis adhærente continent, ex qua per aliquot tempus nutrimentum capiunt.

FINIS.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or introductory paragraph.

1877

Main body of faint, illegible text, possibly a list or detailed report.

HENRICI-JOSEPHI TILMAN,

EX CRASAVERNAS, MEDICINÆ IN ACADEMIA LEOD. STUDIOSI

COMMENTATIO

AD

QUÆSTIONEM AB ORDINE MATHEMATICORUM IN UNIVERSITATE LEODIENSI  
AN. MDCCCXXIII

PROPOSITAM :

*EXPONANTUR phænomena physica fluidorum aëriiformium quæ vapores  
nuncupantur eorumque detur theoria.*

QUE PRÆMIUM REPORTAVIT.

---

Præterea solis radiis jactatur aquai  
Humor et in lucem tremulo rarescit ab æstu.

*LUCRET. de rer. nat. lib. VI, vers. 858.*

---

---

## P R O O E M I U M.

---

VAPORES quandam pressionem sicut alia fluida aëriiformia exercere possunt. Eorum effectus pluribus in circumstantiis animadvertitur, evidenter quidem, dum agitur de aere hauriendō e machinā pneumatica : nam si ut recipiente utimur ampulla (Gallice *ballon*) longiore collo arctoque, quod disco plano machinæ pneumaticæ cochlide hæret, muniturque epistomio, quod pro libitu et claudi et aperiri potest, aëra quam quit accuratissime hausto ex apparatu, notatque tensione interiore per barometrunculum (Gallice *éprouvette*), claudamus epistomium ampullæ, ut omnis communicatio hujus cum corporibus anthliæ impediatur; tum apparatu aliquantisper ita relicto, anthliæ corpora iterum vacuescant; cum autem per barometrunculum videbitur pressio interior fere nulla facta esse, aperiamus epistomium ampullæ, ut restituatur communicatio hujus capacitatis interioris cum corporibus anthliæ; statim videbimus hydrargyrum multum ascendens in tubum barometricum. Attamen ampulla, cum machinæ pneumaticæ cochlide semper adhæserit, aëris quantitatem resumere nequivit : ascensio mercurii hoc in casu vi elastica vaporis aquei efficiatur necesse est. Hic vapor e parietibus ampullæ exhalatus fuit; ejus effectus sensibilis non erat, cum fieret vacuum, quod tunc necdum esset formatus.

Illud præterea probat hydrargyrum effectu vaporis aquei tum in ramo aperto deprimi, quod, posito in ampulla corpore humoris avido, hic effectus non producat. Igitur hæc fluida aëriiformia in vacuo vi quadam elastica gaudent.

Vaporum effectus etiam animadvertitur in ipsomet aëre : accommodetur receptaculum barometri syphone ad ampullam, in quam introductus est aër siccus, et epistomio ampullæ clauso, immergatur apparatus in aquam calidam;

aër calefiet, ejus elasticitas augebitur pro temperaturæ augmento, suppositis nempe parietibus ampullæ inextensibilibus, hydrargyrumque ea proportione elevabitur; si vero parietes ampullæ extensibiles essent, augetur et aëris volumen. Nunc stante priore suppositione, introducatur parum aquæ, vapor brevi efformatus vim suam addet aëris vi, interioremque tensionem vi illius elastica augeri observabimus.

Supponatur aërem siccum in ampulla temperatura  $0^{\circ}$  exercere pressionem =  $0^m, 760$ , si temperatura elevatur ad  $100$  immersione apparatus in aquam bullientem, facile est aëris elasticitatem  $x$  hac temperatura noscere: habebitur enim altitudo hydrargyri in barometro statuta proportione sequente:

$$0^m, 760 : x = 800 : 1100.$$

$$X = \frac{0^m, 760 \times 1100}{800} = 1^m, 045.$$

Si in ampullam hunc aërem siccum continentem temperatura  $0^{\circ}$  introducitur aquæ quantitas, hydrargyrum animadvertetur ascendens ad altitudinem majorem  $0^m, 760$ ; si sat aquæ inest, ut tribuatur spatio summa vaporis quantitas temperatura  $100$ , et fertur aër cum aqua ista ad hanc temperaturam, parietibus ampullæ semper suppositis inextensibilibus, tensio interior erit =  $1^m, 805$ . unde patet vapores in aëre ut in vacuo exercere pressionem, quæ in altitudine barometri manifestatur.

Igitur quæsituri rationes, quibus vaporum vis dignosci queat, iis studebimus duabus in circumstantiis: in vacuo nempe et in aëre.



## CAPUT I.

## DE VAPORIBUS IN VACUO.

## §. I.

PRIMA ratio vaporibus in vacuo studendi debetur clarissimo d'Alton, celebri physico Manduessedo; quapropter utitur tubo vitreo  $T T'$  longitudinis circiter 80 centimetrorum, simili tubis barometricis, gradato in centimetra millimetraque (fig. 1); fere totus impletur mercurio; tunc in illum infunditur parva liquidi in vaporem vertendi quantitas, ut omnino repleatur; altera tubi extremitate obstructa, alteri apponitur digitus; evertitur agitaturque omnem in modum, ut ita avellantur variæ aëreæ vesiculæ parietibus adhærentes; tubus tum erigitur adeo, ut ejus apertura denuo ad verticem respondeat; amovetur digitus; nimia liquidi quantitas, quæ parietibus tubi non adhæret, ad aperturam elevatur et secum attrahit aërem, quo expulso, tubus mercurio omnino repletur; digito ejus aperturæ iterum apposito, avertitur in labellum  $L$  ejusdem metalli fere plenum; partes liquidi, quæ ipsæmet pro aëre parietibus hærent, ab iis sejunguntur; partem tubi superiorem sua levitate sensim petunt; ibi subito convertuntur in vaporem, cujus elasticitas persentitur. Deprimatur mercurius ratione cujusdam quantitatis, quemadmodum deprimeretur globulis aëreis e parietibus ad superficiem elatis. Hisce peractis, huic tubo jungitur Torricellinus, in quo mercurius bullivit, deductaque differentia ambarum hydrargyri altitudinum indicat vim elasticam vaporis, vel ejus tensionem. Fiat exemp. grat. experientia cum aqua, temperatura 18, 75 grad. therm. cent. dum altitudo mercurii in priore est =  $0^m, 760$ , cognoscetur altitudinem in posteriore tantum esse =  $0^m, 744$ ; adeo hydrargyrum hoc in casu fuit vapore aqueo depressum: deducta altitudinum differentia est =  $0^m, 016$ ; id est: si poneretur tubus barometricus ab aëre vacuus in spatio etiam vacuo ab aëre, sed ubi foret vapor aqueus, temperatura eadem manente, mercurius, in

quem immergitur extremitas inferior tubi, vi elastica hujus vaporis elevaretur in tubum ad altitudinem =  $0^m, 016$ . Usu liquidi, quod citius vertitur in vaporem, hydrargyrum magis deprimeretur. Si exemp. grat. introductus fuisset æther, depressio eadem temperatura multo major esset.

## §. II.

Antequam ulterius progrediamur, exponendæ videntur differentiæ quibus fluida aëriformia, vapores scilicet et gaza permanentia a se invicem distinguuntur.

Quando gaz aliquod permanens spatio quodam continetur, si spatium istud quadam pressione minuitur, gaz in se ipsum comprimitur visque ejus elastica augetur in ratione directa pressionum quas sustinet; quod demonstratur lege Nariotti (1);posito enim embolo sub tubo barometrico, qui gaz continet, varia in tubum pressione poterit volumen ad mediam, tertiam quartamve partem redigi. Sit cylinder, qui super embolum fixum comprimitur, sat fortis ejusque altitudo duorum circiter centimetrorum, gaz ad quantulumvis volumen cogetur; tensio ejus augebitur eadem proportionem.

Res ita se non habet, in vaporibus, dum spatium, in quo reperiuntur, totam continet quantitatem, quæ pro temperatura experientiæ in illud elevari potest; si tunc minuitur spatium, vis elastica eadem semper manet, manente eadem temperatura; sed eorum quantitas minuitur; pars in statum liquidum redit. Habeatur hic tubus Daltonius experientiæ præcedentis, ac super embolum prematur, vis elastica manebit =  $0^m, 016$ , quamdiu non variatur temperatura; sed vapor poterit ita totus condensari in liquidum, extractoque embolo, reformabitur ut ante, eandem habens tensionem: exemp. grat. vis elastica vaporis aquei temperatura  $100^{\text{cent}}$ . est =  $0^m, 760$ ; si volumen ad medium minuitur, pars media convertitur in liquidum, vi elastica continuo eadem manente; hinc enuntiari potest:

*Spatio summam vaporis quantitatem tenente, minuitur hæc quantitas ea proportionem, qua spatium.*

---

(1) Biot, traité de physique expérim., tom. 1, pag. 110.

Si foret aërea moles, posset hæc in tantulam cogi, ut centesimam spatii partem tantummodo occuparet, suamque elasticitatem nullatenus amissura videretur; tunc exerceret pressionem centuplam, adeoque posset elevare mercurium in tubum barometricum ad altitudinem 670 metrorum.

Alia est differentia vapores inter et gaza permanentia, quæ tamen e præcedente manat: hæc consistit in eo, quod, si augetur aëris quantitas in dato spatio, ille pressionem suam præcedenti additurus est, quod ope machinæ compressionis demonstratur; si media quantitas additur, pressio futura est duplex; additio autem vaporis eundem effectum non producit; addatur in spatio saturato quantitas vel vaporis vel liquidi vaporem tribuendi capacis, vis ejus non ideo augebitur; hinc leges sequentes possunt deduci:

*Aucta quantitate gazis materieive gaz explicandi capacis, datis spatio ac temperatura, vis ejus elastica augetur.*

*Aucta quantitate vaporis liquidive in vaporem non conversi iisdem in circumstantiis, eadem manet ejus repellendi vis.*

Character essentialis vaporum in eo consistit, quod habent pro qualibet temperatura maximum fixumque densitatis gradum, qui ratione temperaturæ augetur; cum vapor ad definitum gradum pervenit, præcipitari potest vel refrigeratione, si nimirum gradus densitatis nimius fit ratione novæ temperaturæ, vel pressionis augmento, temperatura manente eadem, si ejus densitas major evadit ratione temperaturæ suæ, dato spatio; sola temperaturæ mutatio variare potest ejus repellendi vim.

Alia tandem ac ultima differentia vapores inter et gaza permanentia consistit in augmento vis elasticæ vi repulsiva calorigi. Illud diversissimum est inter has duas fluidorum aëriiformium species, dum nempe spatium continet sat liquidi, ut illi tribuatur tota vaporis quantitas, quam ratione temperaturæ admittere potest. Volumen cujuslibet gazis permanentis sub pressione 0<sup>m</sup>, 760 a temperatura 0° ad 100 cent. augetur in relatione 800 ad 1100 ad habendam vim ejus elasticam temperatura 0°, stabilitur proportio sequens.

0<sup>m</sup>, 760 : x = 800 : 1100 = 1<sup>m</sup>, 045;  
augmentum vis ejus intra terminos fundamentales est in relatione 8 ad 11, vel est =  $\frac{3}{8}$ ; unde 1000 temperatura 0°, sunt = 1375 temperatura 100.

Non ita res est in vaporibus; sumatur exemp. grat. vapor aqueus; vi sua elastica sustinet temperatura  $0^{\circ}$  columnam mercurii =  $5^{\text{mm}}$ , 059; temperatura autem 100 sustinet columnam ejusdem metalli =  $0^{\text{m}}$ , 760; igitur facta divisione  $0^{\text{m}}$ , 760 per  $5^{\text{mm}}$ , 059, invenitur augmentum ejus tensionis in relatione 1 ad 150; quæ differentia sane maxima est.

### §. 3.

Clarissimus d'Alton usu apparatus modo descripti mensus est vim elasticam vaporis aquei variis temperaturis inter  $0^{\circ}$  et  $100^{\text{cent}}$ , ac tabulam ex summis construxit, quæ consignatur in opere D. Biot (1).

Quamobrem vi elastica hujus vaporis temperatura experientiæ jam jam cognita per thermometrum juxta positum, involvitur tubus alio latiore I', qui potest ad varias temperaturas caleferi; ejus extremitas inferior clauditur obturamento subereo, quod transit prior tubus (fig. 2); dein intervallum duorum tuborum impletur aqua per vices calefacta ad varias temperaturas, quæ vaporis communicantur; immergitur in eam thermometrum M, quo continuo metiendus est temperaturæ gradus, qui vaporis tribuitur.

Verum est temperaturæ differentia inter varia strata liquidi refrigerantis: superiora magis contracta ponderosiora sunt, adeoque descendunt ad partem inferiorem; igitur ad vitandos errores utendum est thermometro, cujus receptaculum sat altum est, ut occupet totam altitudinem cylindri, quo habetur temperatura intermedia omnium aquæ stratorum.

Tum columnam vaporis extendi videbis, mercuriumque descendentem in ratione aucti temperaturæ gradus, quo notato, computatur differentia altitudinis hujusce columnæ mercurialis ab ea, quæ tum observatur in barometro communi, ita noscitur tensio vaporis ad hanc temperaturam respondens. Dein augetur temperaturæ gradus; computatur denuo etc., sique operatione variis vicibus variisque temperaturis repetita, statuitur vis elastica vaporis pro diversis temperaturæ gradibus; ut autem accuratissime, reducenda est singulis vicibus columna mer-

---

(1) Traité de physiq. expérim. tom. 1, pag. 272.

curialis existens in parte tubi circumdata ad temperaturam atmosphaeræ propter hujusce metalli dilatationem.

Cæterum curandum est, ut in tubo barometrico sit satis liquidi, quo tota vaporis quantitas cuique temperaturæ congrua tribuatur; nam si satis illius non foret, vapor sequeretur legem fluidorum elasticorum permanentium, visque ejus augetur in eadem ratione; ut experientiis suis probavit D. Gay-Lussac (1); tum haberetur vis elastica vaporis calórico dilatati, quod in graves induceret errores; quod autem ut bene constet, oportet, ut semper videatur supra libellam mercurii parvum liquidi stratum, alioquin operatio fieri non potest.

Hocce apparatu tribui potest vaporis vis elastica talis, ut deprimat mercurium in interiore tubi usque ad libellam exteriorem. Æther exempli gratia, qui ebullit temperatura 39<sup>cent.</sup>, tunc emittit vaporem, qui habet vim æqualem pressioni atmosphaericæ; æque deprimat mercurium in interiore tubi ac deprimatur in exteriore. Dum fit experientia cum aqua, ad obtinendum eundem effectum, augenda est illius temperatura ad 100; quippe vis hujus vaporis non citius æquat pressionem atmosphaericam.

#### §. 4.

Ad metiendam vim elasticam vaporis supra terminum ebullitionis, opus est alio apparatu; nam mercurius in suamet libellam deprimendus esset, nec posset amplius observari punctum, in quo sistit vapor. Itaque construitur tubus similis tubo Mariotti: tubus iste recurvatus est ita, ut præbeat duos ramos parallelos, quorum alter altero major est (fig. 3); tubus ad partem mercurio impletur; liquidum evaporandum solerter introducit in ramum brevioris hujus inflexione, adhibitis cautionibus supra memoratis ratione tubi Daltonici; erigitur ita, ut ejus rami respondeant ad cœli verticem; supposito mercurii libellas in utroque ramo sibi tunc respondere; id notatur vel linea vel filo platineo; dein ramus brevior cylindro circumdandus est. Celeb. Daltonus eum cingit cylindro

---

(1) Annales de chimie, tom. 43, pag. 174.

duplici metallico (fig. 4), cujus fundum obstringit obturamento subereo circum tubum continentem liquidum evaporandum; tuborum metallicorum alter transit obturamentum; liquidum calefactum infunditur inter geminatum involucrem. (Dum hoc apparatu metienda est vis vaporis aquei aliorumve vaporum minoribus etiam temperaturis, tantum liquidi in ramo longiore non linquitur, et sufficit ramum metallicum mitti trans obturamentum, quando liquidum subjiendum est temperaturæ efficienti vim elasticam atmosphærica majorem). Tunc vapor formatur, quoddam spatium occupat, deprimit in hoc ramo mercurium ac elevat in alterum. Si in hunc elevatur ad altitudinem unius centimetri, id indicat vaporem idem spatium occupare in ramo brevior; igitur differentia totalis est =  $0^m, 02$ ; quemadmodum observatur mercurii depressio in barometro siphone, adeoque vis elastica vaporis est =  $0^m, 020 + 0^m, 760$ , pressioni atmosphæricæ, =  $0^m, 780$ . Si mercurius extollitur ad altitudinem = 10 centimetris, spatium, quod occupat vapor, etiam est = 10 centimetris; igitur vis vaporis est =  $0^{cent}, 20$  vel  $0^m, 200 + 0^m, 760 = 0^m, 960$ .

Clar. Daltonus liquidum in vaporem convertit in spatio vacuo, judicatque depressionem mercurii in minore ramo ex ejus ascensione in majorem; idque absque errore fieri potest: etenim tubo in tota sua longitudine eandem habente latitudinem, deprimendus est eadem quantitate, qua elevatur. Hanc rationem sequens D. Biot, mensus est vim elasticam vaporis aquei temperaturis multo superioribus ebullitionis gradu.

### §. 5.

Hisce recentissimis temporibus doctor URE, celeberrimus chimista Glascuanus, sive ad emendandas, sive ad extendendas experientias, in hac materia operam quoque navavit. Hic, ut vaporis vim omni temperatura supra  $0^\circ$  statuatur, utitur apparatu quodam apparatui Mariotti etiam simili; ast uterque ramus æque longus est et metro semper longior, quia vapor elatis temperaturis sustinere potest columnam mercurii atmosphærica pressione multo altiore; ejus latitudo circiter æqualis est duobus centimetris; ramus alter clausus est, alter vero apertus per quem introducit mercurium, quantitatemque liquidi in vaporem vertendi trans-

mittit, adhibitis cautionibus supra dictis. Liquidum illud evaporatur quemadmodum in tubo Daltonico (§. 4); cognita primigenia libellarum mercurii in utroque ramo differentia, metitur ejus ascensionem ratione temperaturæ, quæ vapori communicatur, eam duplicat, summaque præbet tensionem vaporis; verum hæc agendi ratio non est facilior quam illa Daltoni, quæ illi adhuc præfertur.

Ad metiendam vaporis vim, quum atmosphærica pressione major est, ramum liquidum evaporandum contenturum notabiliter resecat Anglus ac claudit; dein partem superiorem hujus rami cooperit ampulla vitrea  $B B'$  (fig. 5), quam cum ramo apprimè conjungit obturamento subereo involucrum fere totum implet vel aqua vel oleo; thermometerum  $T T'$  in hoc liquidum immergitur ita, ut ejus globulus attingat tubum. Curvaturam tubi implet mercurio fere usque ad pressionem, quam vult obtinere; dein liquidum evaporandum transmittit, observatis supra dictis. Tubus erigitur; indicatur v. g. per  $L$  altitudo mercurii in longiore ramo; notatur filo platineo spatium  $C A$  quod occupare debet vapor. Ut autem constet ramum majorem ad cœli verticem optime respondere, in ejus latere collocatur perpendiculum. Hic ramus etiam circumdatur filo platineo in libella horizontali  $N$  lineæ  $A$  rami brevioris, ad quam deprimentus est mercurius. Liquidum ampullæ calefit duabus lampadibus in latere tubi sub involucro positus. Liquidum rami brevioris vertitur in vaporem, qui vi sua elastica deprimens mercurium, occupat spatium  $C A$ , mercuriumque elevat in ramum longiorem usque ad  $V$ ; tunc dimensæ longitudini  $N L$  addita  $L V$  cognoscitur pressio tota, quam temperatura thermometro indicata sustinet vapor.

Utendum est filis platineis potius quam aliis filis metallicis, quia illud metallum minus calorico dilatatur, quam alia, e quibus fila facta incidere possent e tubo, cum e contra fila platinea eum altis temperaturis fortiter stringant.

Poterit evenire, ut vapor deprimat mercurium infra lineam notatam  $A$ ; quod si accidit, temperatura aliquantisper stabilis tenetur, quod fit parum amovendo lampades; tum infunditur mercurius in ramum apertum, donec augmento pressionis vapor ad terminum  $A$  reducat. Quo facto, notatur in ramo longiore punctum  $V'$ , ubi columna mercurii desinit. Dimensa altitudine  $V' L$ , caque addita primæ differentiæ, denuo habetur pressio, quam nova temperatura sustinet vapor.

Hic chimista multum artibus tribuit, magnamque in mensuram vaporum ac-  
curationem attulisse videtur.

### §. 6.

D. Daltonus alia ratione adhuc est usus ad vim elasticam vaporis aquei intra terminos  $0^{\circ}$  et  $100^{\text{cent}}$ . metiendam, quæ hocce principio innititur: quando liquidum ebullit in aëre libero, oportet, ut vapor exercent pressionem pressioni atmosphære æqualem; id est: ut æquet columnam aëris, quæ pressionem suam exercet in superficie liquidi, hæc pressio in superficie maris est =  $0^{\text{m}}, 760$ ; ast scimus hanc progressionem geometricam minui prout elevamur in atmosphæram; igitur ebullitionis gradus eadem quoque relatione minuendus est, quod probaverunt, qui in altissimos montes ascenderunt et in variis altitudinibus liquidum ad ebullitionem tulerunt. Sit terminus ebullitionis aquæ in superficie terræ =  $100^{\text{cent}}$ . sub pressione  $0^{\text{m}}, 760$ ; dein elevemur donec barometrum indicet pressionem =  $0^{\text{m}}, 750$ , aqua tunc incipiet ebullire, quum thermometrum indicabit temperaturam minorem quam  $100^{\text{cent}}$ . sic D. Desaussure invenit aquam puram, quam tulerat in verticem montis albi (1), ibi ebullire temperatura  $86, 11^{\text{cent}}$ . ita, ut usu thermometri valde sensibilis computari possent altitudines montium et quidem ædificiorum secundum temperaturam, qua in eorum verticibus ebullit aqua. Ita ebullitionis termini subjecti sunt atmosphæricæ densitati.

Hinc Daltonus aquam expositurus variis pressionibus aëris solitaque minoribus, utitur machina pneumatica, qua pressio minui potest ad quemlibet gradum. Introducit sub recipiens aquam in vase contentam et ad varias temperaturas calefactam, in qua ponit thermometrum, quo cognoscat temperaturæ gradum, quum aqua incipit ebullire. Aërem lente gradatimque vacuefacit; elevatur mercurius per operationem in barometrunculum in machina positum; tandem liquidum ebullit; tum altitudo mercurii in hoc barometrunculo deducta ab ea, quæ eodem momento observatur in barometro exteriori, præbet mensuram pressionis aëris in recipiente contenti, adeoque vim elasticam vaporis. Supponamus

---

(1) Brand, manuel de chimie, tom. 1, pag. 74.



exemp. grat. aërem interiorem vacuefactum esse, donec tantum exerceat pressionem =  $0^m$ , 380, tuncque liquidum ebullire, hoc ipso cognoscetur vim elasticam vaporis æqualem esse pressioni aëris inclusi, adeoque poterit exprimi altitudine columnæ mercurii  $0^m$ , 380.

Posset huic agendi rationi objici : pressionibus gazorum permanentium vaporumque se simul conjungunt; nam supponamus aërem siccum exercentem in spatio clauso pressionem =  $0^m$ , 744; si in idem spatium introducitur vapor aqueus, cujus temperatura est = 18, 75, exercebit pressionem =  $0^m$ , 016, summaque tota erit =  $0^m$ , 760. Inde posset forsitan credi in experientia modo supposita vim elasticam aquæ, quæ ebulliebat sub pressione  $0^m$ , 380, additam fuisse vi, quam habebat aër in recipiente, ac duplicavisse altitudinem columnæ mercurialis in barometrunculo; sed id est experientiæ omnino contrarium, liquidum solum hanc temperaturam possedit, qua ebullivit. In hujusmodi casibus aër in toto spatio per parietes catellumque recipientis servat temperaturam, quam habebat ante ebullitionem, adeoque vapor istius aëris temperaturam habet.

Supponamus exemp. grat. introduci aquam, cujus temperatura est = 40; aëris interioris ac exterioris temperaturam esse = 10; vacuefiat aër donec liquidum ebulliat, vapor tum rapide formabitur; ast hujus altera pars condensabitur, prout propelletur altera. Aër jamjam exceperat totam vaporis quantitatem ratione temperaturæ 10, ante quam ebulliret aqua adeoque non amplius augebitur ejus tensio; vapor aëre refrigeratus non temperaturam = 40 habebit, sed = 10.

Igitur hac quoque ratione vaporis vim variis temperaturis axaminare possumus.

### §. 7.

Ultimo exposita ratio nuper adhibebatur a D. Dulong, qui eam talem redidit, ut experientiæ ad libitum produci possint. Hic non locat sub recipiente machinæ pneumaticæ vas aquam continens, ast extrinsecus. Vas illud ampulla est V longiore collo (fig. 6), quod saltem medium longitudinis metrum habeat; hujus pars superior recipitur in tubum T T' latiore, qui ad horizontem inflectitur. Hic tubus transit vas R vitreum cylindricum, continens aliquam substantiam refrigerantem, vel glaciem, vel nivem etc.; deinde tubus T T' recurvatus

recipitur in magnam ampullam B, quæ 30 circiter aëris litra tenet; tandem hæc ampulla communicat cum machina pneumatica, qua aër interior ad libitum hauritur; calefit lampade vas V continens aquam in quam immersum est thermometri receptaculum M, cumque ad volitum temperaturæ gradum calefactum est, vacuefit aër. Primo jam emboli ictu hydrargyrum descendere cœpit in barometrunculum in machina locatum; exhaustio continuatur usque dum ebulliat liquidum temperatura illi communicata. Tum notata pressio aëris interioris indicat vim elasticam vaporis pro temperaturæ gradu. Vapor, qui tum rapide propellitur; tendit ad tubum T T'; ibi autem refrigeratus condensatur ac in ampullam V recidit ita, ut fere eadem liquidi quantitas in ea servetur; quomobrem experientia diutissime produci potest. Hæc experimenta confirmant illa Daltoni.

Si pro atmosphæra rarefacta habenda est atmosphæra condensata, in locum machinæ pneumaticæ substituitur machina compressionis; tum condensato aëre ad quemlibet pressionis gradum, calefit aqua lampade ad ebullitionem.

Ex summis obtentis variis rationibus constructæ sunt tabulæ, ubi indicatur vis elastica vaporis aquei respondens ad quemlibet temperaturæ gradum. Tales tabulæ reperiuntur in pluribus physices operibus; ast omnes accuratæ non sunt. Illa, quænunc habetur accuratissima, reperitur in supplemento chimiæ D. Tomp-sonis; sed cum illud necdum huc pervenerit, refero eam in opere D. Biot consignatam: computata est juxta experientias Daltoni. Hæc altis temperaturis offert tensiones minores. Vis elastica vaporis aquei in ea expressa est millimitris pro quolibet temperaturæ gradu therm. cent.

GRADUS.	TENSIO.	GRADUS.	TENSIO.	GRADUS.	TENSIO.
— 20	1,333	6	7,396	32	34,261
— 19	1,429	7	7,871	33	36,188
— 18	1,531	8	8,375	34	38,254
— 17	1,638	9	8,909	35	40,404
— 16	1,755	10	9,475	36	42,743
— 15	1,879	11	10,074	37	45,038
— 14	2,011	12	10,707	38	47,579
— 13	2,152	13	11,378	39	50,147
— 12	2,302	14	12,087	40	52,998
— 11	2,461	15	12,837	41	55,772
— 10	2,631	16	13,630	42	58,792
— 9	2,812	17	14,468	43	61,958
— 8	3,005	18	15,353	44	65,627
— 7	3,210	19	16,288	45	68,751
— 6	3,428	20	17,314	46	72,393
— 5	3,660	21	18,317	47	76,205
— 4	3,907	22	19,417	48	80,195
— 3	4,170	23	20,577	49	84,370
— 2	4,448	24	21,805	50	88,742
— 1	4,745	25	23,090	51	93,301
0	5,059	26	24,452	52	98,075
1	5,393	27	25,881	53	103,06
2	5,748	28	27,390	54	108,27
3	6,123	29	29,045	55	113,71
4	6,523	30	30,643	56	119,39
5	6,947	31	32,410	57	125,31

GRADUS.	TENSIO.	GRADUS.	TENSIO.	GRADUS.	TENSIO.
58	131,50	83	398,28	108	994,79
59	137,94	84	414,73	109	1032,04
60	144,66	85	431,71	110	1066,06
61	151,70	86	449,26	111	1100,87
62	158,96	87	467,38	112	1136,43
63	166,56	88	486,09	113	1172,78
64	174,47	89	505,38	114	1209,90
65	182,71	90	525,28	115	1247,81
66	191,27	91	545,80	116	1286,51
67	200,18	92	566,95	117	1325,98
68	209,44	93	588,74	118	1366,22
69	219,06	94	611,18	119	1407,24
70	229,07	95	634,27	120	1448,83
71	239,45	96	658,05	121	1491,58
72	250,23	97	682,59	122	1534,89
73	261,43	98	707,63	123	1578,96
74	273,03	99	733,46	124	1623,67
75	285,07	100	760,00	125	1669,31
76	297,57	101	787,27	126	1715,58
77	310,49	102	815,26	127	1762,56
78	323,89	103	843,98	128	1810,25
79	337,76	104	873,44	129	1858,63
80	352,08	105	903,64	130	1907,67
81	367,00	106	934,81		
82	382,38	107	966,31		

Ex hac tabula patet, vim elasticam vaporis aquei circa solitum terminum ebullitionis sub pressione  $0^m$ , 760 pro unico gradu æquivalere  $26^{mm}$ , 35; igitur deductis  $26^{mm}$ , 36 ex pressione atmosphærica  $0^m$ , 760, terminus ebullitionis uno gradu variatur; aqua ebulliet  $99^{cent}$ ; si solita pressio eadem quantitate augetur, ut aqua ebulliat, unum quoque temperaturæ gradum solito plus exiget.

Hinc si thermometrum ita constituendum sit, ut sub diversa pressione indicet gradus centesimales temperaturæ, primum aqua omnino pura utendum est; quod variæ substantiæ, quas solutione tenet punctum ebullitionis variare possent; dein hæc aqua sub illa pressione fertur ad ebullitionem; notatur punctum, in quo sistit hydrargyrum in thermometro; tum dividenda est distantia fundamentalis, vel graduum numerum augendo vel eum minuendo secundum differentiam pressionis a solita. Supponamus exempl. grat. situm loci cujusdam talem esse, ut illic pressio atmosphærica constans sit  $= 0^m$ , 787, deducta pressione  $0^m$ , 760, differentia habetur  $= 0^m$ , 027; aqua ebulliet circiter temperatura 101; igitur dividenda erit distantia fundamentalis gradum unum addendo; e contra si pressio constans istius loci æquat  $0^m$ , 733, differentia pressionis iterum est  $= 0^m$ , 027, sed infra terminum  $0^m$ , 760; aqua ebulliet temperatura 99; dividenda erit distantia fundamentalis gradum unum minuendo quod satis indicavit D. Duluc. (1).

### §. 8.

Ex experienciis D. Daltoni concludi potuisset hæc lex generalis satisque notanda in opere D. Biot (2) omnia nimirum liquida, a gradu ebullitionis æqualiter distantia, eandem vim elasticam habere. Omnia, inquit, liquida in termino ebullitionis sub pressione atmosphære solita habent vim  $= 0^m$ , 760; minuendo hunc terminum eodem graduum numero vel eum numero eodem ratione cujuslibet liquidi augendo, vis vaporis singulorum æqualis manet. Igitur si aqua exempl. grat., quæ sub pressione solita temperatura 100 et æther qui sub eadem

(1) Recherches sur l'atmosphère, tom. IV, pag. 147.

(2) Traité de physiq. expériment, tom. 1, pag. 280.

pressione ebullit temp. 109, exponuntur ambo sub pressione  $0^m, 726$ , termino ebullitionis utriusque minuto 10 gradibus, æquales tensiones haberent; æther 4 gradibus sustineret columnam mercurii æqualem ei, quam sustineret aqua 65; æther temp. 25 supra terminum ebullitionis, scilicet 64 gradibus et aqua pariter 25 supra illum terminum, id est: temp. 125, haberent uterque sub pressione atmosphærica  $0^m, 760$  vim =  $1669^{mm}$ .

Hæc agendi ratio commoda foret ad vim elasticam vaporis omnium liquidorum qualibet temperatura noscendam. Secundum hanc legem sufficeret experientiis statuere vim uniuscujusvis vaporis pro quocumque thermometri gradu; dein tabula proportionem et comparisonem habens construi posset pro quolibet liquido, cujus gradus ebullitionis notus foret, et vicissim gradus ebullitionis liquidi statutus esset cognitione vis ejus vaporis data quadam temperatura.

Verum ex experientis DD. Ure et Despretz (1) constat hanc legem non esse omnino accuratam: alcool, æther, essentia terebinthina ei derogant et multa probabiliter alia. Neque istæ declinationes tantum infra ebullitionis gradum observantur, ast etiam supra. Itaque verus gradus ebullitionis liquidi non ex tali computatione, sed directe sumendus est.

Quamvis probatum sit: hanc legem accuratissimam non esse, attamen D. Daltonus magnum officium scientiis præstitit eam indicando; præbet regulam facilem ad prævidendum accretionem tensionum cum approximationis gradu, qui pluribus in casibus sufficit. Declinationes satis leves sunt; ita ut concludi possit liquida altissimæ temperaturæ gradibus ebullientia tribuere vapores quorum vis elastica est solitis temperaturis minutissima, et quidem insensilis. Concludi poterit acidum sulfuricum exempl. grat., quod tribuit vaporem temperatura 317 habentem eandem vim ac habet vapor aqueus temperatura 100, habere temp. 217 vim saltem proximam vi aquæ temp.  $0^{\circ}$ , id est: circiter  $5^{mm}, 059$ ; vaporem acidi sulfurici temp. 17 æquare vaporem aqueum temp. 200: hac autem temperatura tensio vaporis æquei æstimari nequit. Addi possunt mercurius metallaque alia altis

---

(1) Annales de chimie et de physiq. tom. 16, pag. 107.

temperaturis volatilia. Igitur quamvis nonnulli physici dixerint vaporem mercurialem influere posse in altitudinem columnæ metalli hujus in barometro; pro certo tamen habere possumus depressionem solitis atmosphæræ temperaturis nullatenus sensibilem esse.

### §. 9.

Dum mutatur natura liquidi vaporem tribuentis additione quorundam salium solutionumve salinarum; ejus tensio imminuitur, adeoque punctum ebullitionis augetur. Ponatur exempl. grat. aqua pura in spatio vacuo; notetur tensio vaporis ejus; tum in ea solvatur vel calcium, vel sodium, vel carbonas potassæ; hæc corpora soluta non vertentur in vaporem; attamen tensionem liquidi imminuent; consequenter vim vaporis ejus modo existentis. En modum, quo id explicatur: habetur vapor in spatio ut divisus in plurima strata, quorum alia aliis innituntur ad ultimum usque; quod immediate in liquido jacet; oportet, ut habeant eandem vim elasticam in toto spatio; oportet quoque, ut liquidum vaporem tribuens eandem tendentiam servet; strata enim superiora pressionem exercent, quæ sustinenda est et temperatura parietum et strato, quod ad liquidum respondet si introducitur sal aliquis, hic sua affinitate cum liquido retinebit ejus particulas; oportebit ergo, ut liquidum eandem retineat tendentiam, temperatura ejus altior fiat; quia tum non atmosphærica pressio tantum, sed et affinitatis vis vincenda est. Hinc dum sal in liquidum introducitur formato jam vapore, temperatura eadem manente, stratum in liquido jacens haud amplius ut ante sustinetur, cum liquidum partem vis repulsivæ per affinitatem perdidit; densius erit; ejus pars in liquidum statum redibit; stratum sequens suam elasticitatem adhuc habens, tendet ad primo tribuendum; tertium secundo et sic vicissim ad ultimum, ita ut vapor propulsus elasticitatis quantitatem in omnibus stratis per vices amittat, usque dum ejus vis in toto spatio facta sit æqualis tensioni liquidi.

Ratione hujus proprietatis D. Gay-Lussac excogitavit apparatus ad metiendam vim elasticam vaporis aquei temperaturis multo inferioribus illis, quibus ad illud tempus experiendiis statuta fuerat. Apparatus iste consistit in tubo Torricellino,

cujus extremitas superior A incurvata est (fig. 7); tubus impletur mercurio, qui in illo fertur ad ebullitionem, ut ita expellatur aër; tum quantitate aquæ in illum introducta, evertitur in balneum Q ejusdem metalli ita eum inflectendo, ut mercurius decidat e curvatura A ad partem inferiorem B; aqua elevatur levitate sua ad superficiem B mercurii; vapor propellitur pro temperatura exteriori, hacque quantitate deprimitur hydrargyrum. Tum pars superior A tubi recipitur in ampullam V, in qua ponitur mistio refrigerans ex sale ac nive, aut ex chloruro calcii ac aqua, in cujus centrum immergitur thermometer T; vapor in hac tubi parte refrigeratur; vim amittit, ac ibi condensatur. Incipit hydrargyrum jamjam ascendere in tubum pro tensione vaporis temperatura substantiæ refrigerantis. Tunc, cum quantitas vaporis major sit in parte B quam in parte A, nova vaporis portio propellitur in A, ibique ipsa condensatur, et ita, prout vaporis quantitas condensatur, liquidum quantitatem aliam tribuit; donec tota aqua, quæ erat in parte B omnino evaporata fuerit, veneritque condensanda in parte A eodem modo, quo fit distillatio. Tunc pars liquidi, quæ remanet in statu vaporis, habet tensionis gradum, qui respondet ad temperaturam A; nam quamvis tubus variam in sua longitudine temperaturam habere possit, gradus tensionis, quo vapor sustineri valet, statutus est minima temperatura.

D. Gay-Lussac ratione hujus apparatus collata altitudine hydrargyri in tubo vaporem continente ope conspicii C in caule gradato G juxta positi cum altitudine ejus eodem momento in barometro aëre omnino vacuo, invenit vim elasticam vaporis aquei temperatura  $19, 59^{\text{cent}} = 1^{\text{mm}}, 353$ ; quam computando juxta Daltonum, qui temperaturis adeo infimis experientias non fecit, Biot invenit eam eodem temperaturæ gradu futuram  $= 1^{\text{mm}}, 372$ . Igitur hæc summa licet diversa proxime tamen appropinquat eam, quæ experientiis obtinetur; hinc patet statum solidum non influere in tensionem vaporis.

### §. 10.

D. Gay-Laussac alium adhuc apparatus invenit ad vim elasticam variorum vaporum simul iisdemque temperaturis metiendam. Consistit in duobus discis DD circularibus circum axim A positus, qui motum rotationis habere possunt :



disci ab invicem distant circiter 50 centimetris. Tubi Torricellini alius prope alium in orbem collocantur; horum extremitas inferior immergitur in idem balneum mercurii contentum in labello L (fig. 8); æther in unum introduci potest, in alium alcool, in alium oleum terebinthinum etc.; alius autem efformat barometrum, quo atmosphærica pressio indicetur. Diversi vapores in aliis deprimunt mercurii quantitatem ratione vi elasticæ ac temperaturæ accommodata. Tum ad cognoscendam vim cujuslibet vaporis in tubis inclusi, solummodo deducenda est differentia existens inter libellas mercurii in tubis vapores continentibus et eam, quæ in barometro observatur. Ad eam vero accurate deducendam, reperitur in latere horum tuborum parvum conspicillum C positum in caule T in millimetra gradato, quod ad libitum moveri potest. Gradus  $0^{\circ}$  hujusce caulis respondet ad libellam mercurii in parte exteriori tuborum; hi vertuntur circum axim, atque per vices adducuntur ante divisionem caulis, qua vis cujusque vaporis pro varia mercurii depressione indicatur.

### §. 11.

Alius adhuc excogitatus est apparatus ad vim elasticam vaporum metiendam, qui manometrum (gallice *manomètre*) vocatur. Consistit in vitrea ampulla V (fig. 9), cujus apertura munitur tabula aerea T, in qua perforati sunt plures aditus: ad unum accommodatur tubus munitus epistomio A, corioque uncto, quo recipitur in machinam pneumaticam; ad alium accommodatur tubus instructus epistomio B, qui destinatus est ad introducendum liquidum, vel in aliis experièntiis aërem; tertius autem aditus recipere potest barometrum siphone N, quo vis elastica et aëris et vaporum statuitur. Ampulla exsiccata, aperitur epistomium A aditus, per quem vacuefaciendus est aer: sit exempl. grat. vacuefactio talis, ut barometrum indicet  $0^{\circ}$ , introducitur liquidum per tubum munitum tertio epistomio C; hic tubus accommodatur ad tubum inferiorem supra epistomium B, cum liquidum pervenit ad B, clauditur C, et aperitur B; sic transmittitur quælibet liquidi quantitas absque ulla aëris parte. Liquidum introductum mox in vaporem vertitur; ut vero constet, inesse quantitatem sufficientem ad tribuendum totum vaporem temperaturæ consentaneum, infun-

denda est liquidi quantitas donec remaneat illius stratum in fundo vasis. Tum vapor propulsus retro agit mercurium in barometrum pro temperatura vaporum communicata : ampulla enim potest in aquam calefactam immergi calefieri que ad varios temperaturæ gradus. Si fit operatio exempl. grat. temp. 18, 75, hydrargyrum elevatur vi vaporis aquei ad quantitatem = 0<sup>m</sup>, 016.

Hicce apparatus non raro adhibetur in experimentis chemicis cognoscendæ causa depravationis aëris, ejusque effectus in œconomiam animale; quippe in eum introduci possunt animalcula, qualia cuniculi, cavaïæ covaïæ (cochons d'inde) etc; adhiberi adhuc potest ut eudiometrum Voltanum, dum cognoscenda est acidi carbonici quantitas in aëre retenta : tum in ampullam, cujus capacitas nota est, introducit potassa in aqua soluta; ea aliquantis per agitatur; fit evacuatio aëris; aperiuntur epistomia C et B, per quæ aër intrat; mistio agitatur; aër denuo extrahitur, idque vigesies trigesiesve repetitur. Si exempl. grat. 100 partes potassæ introductæ fuissent, cognoscitur quot partes acidi carbonici sorbuerint a determinata aëris quantitate. Si noscenda est oxygenii quantitas, quæ in aquæ compositionem intrat; evacuato aëre, ampulla impletur oxygenio, ac in eam quoque introducit hydrogenium, quæ gaza inflammantur scintillis electricis, ut in eudiometro Voltano. Apparatus iste a pluribus chimistis jamjam fuerat indicatus, cum a D. Bertholeto perfectus fuit (1).

### §. 12.

Vi elastica vaporum ita examinata, verbum modo dicemus de ejus applicatione in machinis in quibus adhibetur ut vis motrix potentissima : hujus speciei machinæ sunt, quæ vim habent = 50, = 100 et quidem = 1000 equis, quales in Anglia reperiuntur; quæ omnes plerumque constructæ sunt prope minas carbonum fossilium.

Harum machinarum historiam non indagabo, tantum dicam primas constructas

(1) Habetur alia hujus apparatus dispositio fig. 10, ubi tubus T adhibetur, dum noscenda est natura gazorum : hic impletur mercurio, tum ponitur in E, ubi cochlide hæret; E aperitur, decidit mercurius, tubus impletur gaze; tum clauditur E, et ita nihil deperditur.

fuisse hocce modo : in fornicula F locabatur magna cortina A continens aquam , in quam immergebatur extremitas inferior tubi epistomio E muniti (fig. 11) ; extremitas autem superior accommodabatur ad partem inferiorem cylindri B , in quo movebatur embolus X instructus caule K K' K'' , cujus extremitas superior K'' extremitate vectis Q tenebatur ; in altera vectis extremitate P erat æquipondium.

En harum machinarum agendi rationem ! Embolus cum esset in parte inferiore B tubi cylindrici , in æquilibrio erat cum æquipondio , ac ambo eandem atmosphære pressionem sustinebant. Sed aperto tubi epistomio E , dabatur communicatio cortinæ cum cylindro ; sub embolum effundebatur vapor , qui temperatura 100 exercens pressionem atmosphære æqualem , embolum sublevabat , ac æquipondium descendebat ; quum vero embolus pervenisset ad partem superiorem B cylindri , epistomium E claudebatur , ita ut quævis communicatio vaporis in cylindro contenti cum cortina impediretur. Tunc aperiebatur epistomium J tubi alius accommodati ad partem inferiorem cylindri , dictum injectionis. Injiciebatur aqua frigida , qua condensabatur vapor , quo tum vim elasticam atmosphæra minorem habente , æquilibrio dirimebatur ; major atmosphære pressio deprimebat embolum , qui vectim secum trahebat ; itaque æquipondium ascendebat. Aqua in cylindrum injecta ac ea vapore condensato producta alio laterali aditu evacuabatur ; cumque embolus ad partem cylindri infimam pervenisset , claudebatur epistomium J tubi lateralis ; aditus per tubum inferiorem denuo statuebatur ; embolus sublevabatur et sic continuo.

Hinc patet , vim elasticam vaporis non in prima circumstantia commodam esse , cum machina tunc nullum produceret effectum , sed tantum in secunda , cum condensaretur vapor , ac æquipondium majore pondere alterius brachii vectis sublevaretur.

Machinæ hoc modo constructæ licet utiles essent , tamen duo gravia offerebant incommoda , quorum prius sistebat in eo , quod vapor non posset adhiberi , quando machinis rotationis utendum erat , quia continuo agere debent. Posterius erat aqua frigida in cylindrum injecta , quæ quo copiosior erat , eo perfectius vacuum obtinebatur ; ast etiam eo major destructio vaporis fiebat , dum denuo cylinder eo implebatur ita , ut magna aquæ quantitas absque utilitate calefieret.

Visum est ergo commodius fore, si abstraheretur embolus ab atmosphærica pressione, subjicereturque formationi atque condensationi vaporis. Idcirco usi fuerunt tubo laterali, quem condensatorem vocarunt; in eum fit injectio aquæ frigidæ, et ejus communicatione cum cylindro subito aperta tempore injectionis, vapor in illum propellitur; ibi condensatur, vacuumque multo perfectius obtinetur, cylindro temperaturam vaporis servante. Patet autem embolum ab atmosphærica pressione abstrahendi causa utramque cylindri extremitatem claudendam fuisse; quod factum est, aperturaque, in qua caulis movendus erat, instructa fuit pluribus coriis ac ideo pixis ad coria (*boîte à cuirs*) vocata fuit. Tales pixides pluribus in machinis adhibentur, ut exempl. grat. in machina pneumatica, etc.

En idea perfectionis harum machinarum: partes superior B, ac inferior B' cylindri communicant per tubos cum condensatore C (fig. 12). Tubus T cujus extremitas e cortina protenditur, ducit vaporem ad cylindrum, eumque effundit vicissim per valvulas S S, in partem superiorem ac inferiorem cylindri, caule K K' emboli vecti Q hærente. Jam supponamus embolum esse in fundo cylindri in cujus parte superiore B non detur vapor nec aër, ac omnem communicationem claudi; si funditur per tubum T sub embolum vapor, cujus temperatura est = 100, sublevabit embolum eo quidem facilius, quod nihil ei opponatur; quando autem ultra medium cursus pervenerit, pars inferior clauditur; aperitur superior, aperitur quoque valvula S inferior, qua exire debet vapor, qui prout intrat in condensatorem, vim amittit; ita ut vis vaporis, qui in cylindro remanet, minima sit. Cum embolus, vapore introducto in partem superiorem cylindri, depressus fuerit, clauditur hæc valvula ejiciens, clausaque superiore communicatione vaporis cum cylindro, aperitur altera valvula S ejiciens, aperiturque denuo communicatio inferior, qua vapor infunditur, et sic dein ita, ut embolus ascendat descendatque eadem vi. Quo patet, hujus modi machinas mirum in modum perfectas esse: non amplius opus est tantis cortinis, cum parum vaporis condensetur, utque cylinder temperaturam vaporis servet, involvitur aut carbone, aut lana, aut aliis laminis ferreis, etc.

Hisce tamen recentissimis temporibus adhuc magis perfectæ fuerunt: vis elastica major vaporis tribuitur, quod fit aquam calefaciendo ad temperaturam supe-

riorem 100; tum vis elastica rapidissime crescit. Capacitas cortinæ ac cylindri adhuc minui potest. Hæ machinæ tunc altis pressionibus dicuntur. Quoddam offerunt incommodum, quod cortinæ nimirum tribuendum sit nimium robur. Ex quo patet cautiones esse adhibendas, multisque adhibitis, non raro iniquissimi casus adhuc eveniunt, ut in Anglia nuper: septimo Augusti an. 1815 Newbottle in comitatu Darham currus vapore moti cortina cylindrica ex ære fusa crassissimaque primo tentamento fracta fuit tanta cum vi explosionis, ut circiter 50 personæ aut interficerentur aut læderentur. Alius evenit secundo Aprilis an. 1821 in apparatu stillatorio Lochrin, ubi cortina constructa ex laminis ferreis, crassis  $\frac{3}{8}$  pollicis, post aliquot dies usus pariter effracta est (1); pondus in superficie ejus ac lateribus jacens circiter erat grave septem culcibus doliis, quæ massa ferrea vi vaporis e fundo vasis divulsa ita emissa sunt, ut simul et cameram ex lateribus constructam et tectum perforaret, et in aerem jacta ad altitudinem circiter 70 pedum fundus cortinæ etiam elatus ad altitudinem 14 vel 15 pedum, emissus est foras, operariis duobus necatis.

In testudine cortinæ datur apertura, cui applicatur valvula securitatis dicta: hæc constat tabula ærea in qua jacet quoddam pondus vi vaporis nimia sublevandum; qua tunc vapor effugit, donec ejus vis facta sit minor pondere tabulæ. Hæc valvula præsertim necessaria est in machinis simplici effectu, quia vapor in hisce non continuo cylindro tributus, ut in machinis duplici effectu, per intervalla quibus non consumitur, maximam vim acquirit, etiamque impetuose tunc per valvulam exire videtur.

### §. 13.

Calorici pars sorbetur in formatione vaporis, atque caloricum latens dicitur, quia fit insensibile thermometro, usque dum vapor in liquidum revertatur. Varii vapores variam quantitatem latentem habent: vapor aqueus sub pressione 0<sup>m</sup>, 760, temperatura = 1000, juxta Clementem et Desormem (2)

(1) Bibliothèque universelle, sciences et arts, tom. 18, pag. 287.

(2) Thénard traité de chimie 3<sup>e</sup>. édit., tom. 1, pag. 74.

latentem tenet quantitatem =  $4^{ter}$ , 66 quantum exigit aqua, ut sua temperatura a  $0^{\circ}$  ad 100 elevetur, ita, ut unitate una aquæ in statu vaporis hac temperatura 100 transmissa in 4, 66 suum pondus aquæ liquidæ, cujus temperatura est =  $0^{\circ}$  (quod fieri potest ope calorimetri Rumfordii), tum habendæ sint 5, 66, quarum temperatura erit = 100. Sed experientia probatum est vaporem aqueum supra 100 tali proportione caloricum haud amplius sorbere : tunc parva calorigi quantitas sufficit ad multum augendum vaporis volumen, adeoque vim ejus elasticam in eadem proportione. Vapor his circumstantibus dilatatur, et ut talis caloricum sorbet.

Experientia pariter demonstravit aërem sua dilatatione caloricum quoque sorbere. Nam si, posito thermometro in machina pneumatica, exhauriatur aër, hydrargyrum multum descendens videbitur : ratio autem est, quod aër sua dilatatione non secus ac vapor in posteriore casu majora inter particulas suas intervalla relinquat.

Hinc nobis explicatur mirus effectus vaporis aquei : quando calefit aqua ad temperaturam 100 in vase clauso, in quo tunc fit a pertura, vapor emissus tam calidus est, ut si a perturæ pars corporis admoveatur, mox comburatur. E contra, ejus temperatura ultra 100 gradus aucta, factoque in vase aditui, pars corporis oblata, nedum calefiat, refrigeratur. Gay-Lussac tum aditui præbuit globulum thermometri, viditque mercurium multum descendentem. Hoc in casu particulæ vaporis talem habent nisum ad rarefactionem, ut effusæ caloricum adhuc sorbeant a corporibus circumjacentibus.

Idem phænomenon præbet aër condensatus, dum fit rarior : in Hungaria reperitur mina, ubi aër condensatur ad  $3^{am}$  aut  $4^{tam}$  partem sui voluminis; dum aperitur epistomium, aër magno cum impetu effugit et quoddam corpus nigrum aperturæ oblatum videtur glacie cooperiri, licet aër in receptaculo contentus temperaturam quidem habeat = 12; ratio est, quod hic sua dilatatione tantum calorigi sorbeat, ut vapor, quem continet, satis refrigeretur, atque in glaciem mutetur.

---

## CAPUT II.

## DE PONDERE VAPORUM.

## §. 1.

Plures physici vaporibus ponderandis operam dederunt. Desaussurius magnam in hoc diligentiam adhibuit. Ut pondus vaporis aquei erueret, exsiccabat aërem ampullæ cujusdam, in qua ponebat tunc lintei vel chartæ fragmentum aqua imbutum ac ponderatum; illud ibi linquebat, donec summa vaporis quantitas esset emissa; quod tum extractum denuo ponderabat; differentia ponderum lintei aut chartæ vaporis pondus indicabat capacitatem ampullæ suscepti.

Verum in hisce experimentis erroris causa aderat: dum ponderabatur lintei aut chartæ fragmentum, pars vaporis effugiebat, hancque computare nequibat, ita, ut verum pondus nunquam invenire posset.

Gay-Lussac alio modo procedit. Namque introducit in spatium vacuum quantitatem aquæ determinatam, spatium variare potest, adeo, ut experientia fieri possit cum majore minoreve quanto liquidi, quæ ponderanda est. Quamobrem efformat parvas ampullas vitreas (fig. 13), quarum capacitas æquivalet circiter  $\frac{1}{2}$  centimetro cubico. Fere sphericæ sunt, uno latere tenuissime elongatæ. Ampullam vacuum ponderat libra valde sensili; ast tum aëre interiore per lampadem spiritu vini accensam dilatato, in aquam immergit partem ampullæ apertam; pressio exterior aquam in eam elevat; quemadmodum ascendere cogitur in anthliam, aëre interiore dilatato, ac proinde minorem exercente pressionem. Quo peracto, existit adhuc in ampulla aëris quantitas; in illa fertur aqua ad ebullitionem; vapor, qui formatur, effugit cum reliquo aëre; cumque ampulla posita sit in aqua usque ad partem ejus superiorem, aquæ quantitas eadem manet. Tunc in aperturam contorquetur ope calami flamma incerati fili, ac ita clauditur; pondus ampullæ non ideo minuit, ejus formam solummodo mutat; eam denuo ponderat; tum cognitum pondus aquæ ac ejus mole, facile est statuere volumen vaporis ex ea effor-

mandi. D. Gay-Lussac tunc sumit campanulam vitream V (fig. 14), gradatam, longam arctamque, capacitatis circiter sesquilitri; eam mercurio implet. Ac evertit in balneum ejusdem metalli contentum in vase G ferreo. Sub vitreum testu V transmittit ampullam, quæ sua levitate venit ad partem superiorem mercurii: ut autem aqua, quam continet in vaporem vertatur, Gay-Lussac circumdat vitreum testu V cylindro vitreo C C' longiore, qui sua parte inferiore in mercurium quoque immergitur. Cylindrum implet aqua, ita, ut vitreum testu cooperiatur. Cum autem aqua ista jaceat in superficie mercurii in vase ferreo contenti, illum deprimit. Unde patet, hunc augmento ponderis aquæ quadam quantitate sublevari, nec solum extrinsecus, sed et in vitreum testu. Apparatus in fornicula ponitur; augetur aquæ temperatura ad 100; tum ebullit. Aqua ampullæ magis dilatata quam ipsamet ampulla, eam rumpit ac effunditur in summo vitreo testu; vertitur in vaporem elasticum, qui mercurium deprimit; tum cognito graduum numero quos vapor occupat, noscitur ejus volumen in campanula pro quadam quantitate aquæ.

## §. 2.

Varie sunt cautiones adhibendæ ad verum vaporis volumen noscendum.

1°. Cognoscenda est pressio, quam sustinet vapor: si libella interior libellæque mercurii exterior sibi mutuo respondent, vaporis pressio æqualis est pressioni atmosphæræ; si vero columna mercurii elevatur in vitreum testu supra libellam exteriorem, ejus pressio minor est atmosphærica: tunc sumenda est libella mercurii exterior ad hanc columnam metiendam. Quamobrem erigendæ sunt oræ vasis, quod metallum tenet, ac locandæ situ ad libellam horizonti respondente. In eis ponitur regula R cuprea permeata caule NN erecto, gradato in centimetra millimetraque, ac parte sua inferiore acuminato. Acumen demittitur usque ad superficiem mercurii; quod facile est visu, eo quod mercurius objecta reflectat. In caule movetur conspicillum S, quod adducitur ad altitudinem columnæ mercurialis in campanula. Tum intervallum a conspicillo ad extremitatem inferiorem caulis indicat altitudinem columnæ mercurii, quæ



elevata est in campanulam supra libellam exteriorem. Si barometrum indicat pressionem atmosphaericam =  $0^m, 760$ , representata per A altitudine columnae mercurii, quae deducenda est, pressio, quam sustinet vapor, est =  $0^m, 760 - A$ . Igitur cum sustineat pressionem atmosphaerica minorem, dilatatus est gazorum instar, magisque premendo campanulam, poterit sicut ea condensari, quamdiu non attigerit totam suam vim elasticam respondentem ad temperaturam 100.

2° Antequam deducatur altitudo A, reducendae sunt ambae mercurii columnae ad eandem temperaturam : si exempl. grat. columna in barometro est = 15, 50, deducenda erit dilatatio columnae mercurii A ab hac temperatura ad 100; dilatatio autem mercurii pro quolibet thermometri cent. gradu juxta DD. Dulong et Petit est =  $\frac{1}{5550}$ .

3° Pariter attendendum est ad dilatationem vitri, ex quo campanula facta est; ejus vero dilatatio cubica pro quolibet gradu centesimali temperaturae est = 0,0000262716.

Igitur si volumus omnes summas inter se comparandas reddere, eas ad eandem pressionem reducemus; quod facile calculo peragitur, cognitis nempe legibus condensationis fluidorum aëriiformium sub diversis pressionibus. Sit P pondus liquidi; N numerus divisionum, quas volumen vaporis occupat in vitreo testu temp. 100; designet V capacitatem unius divisionum, expressarum in litris temperatura  $0^0$ ; N V erit volumen totius vaporis; sit dilatatio cubica vitri pro unico gradu centesimali representata per D; verum vaporis volumen pro dato aquae pondere sustinens pressionem  $0^m, 760 - A$ , habebitur formula :

$$N (1 + 100 D) V.$$

Si jam cognoscendum est ejus volumen sub pressione  $0^m, 760$  eadem temperatura 100, obtentum modo volumen erit multiplicandum per relationes inversas pressionum  $0^m, 760$  et  $0^m, 760 - A$ , formulaque erit :

$$\frac{N V (1 + 100 D) (0^m, 760 - A)}{0^m, 760.}$$

Hoc est pondus voluminis vaporis formati ex pondere P liquidi pro datis cir-

cumstantiis ; igitur P grammatibus expresso , volumen vaporis producti pro singulis grammatibus erit servata proportione

$$= \frac{N V (1 + 100 D) (0^m, 760 - A)}{P. 0^m, 760.}$$

Pariter dum notum est verum vaporis volumen , quod tribuit datum pondus cujusdam liquidi , dividi potest volumen majus per volumen hujusce ponderis : si exempl. grat. gramma unum aquæ in vaporem versæ occupat 1<sup>lit</sup>, 6964 , ad cognoscendum pondus totius voluminis grammatibus expressum dividendum est per 1<sup>lit</sup>, 6964.

4<sup>o</sup> Magni momenti est totam aquæ quantitatem introductam in vaporem conversam esse , de quo semper constat , quando vapor sustinet pressionem minorem summa pressione , quam temperatura 100 sustinere potest , id est : minorem atmosphærica ; sed si libellæ mercurii exterior interiorque sunt æquales , ita , ut pressio vaporis æquet pressionem atmosphæricam , tum timendum est , ut totum liquidum sit in vaporem conversum ; in tali casu experientia denuo incipienda est , constructa ampulla minore , ut remaneat in vitreo testu columna mercurii supra libellam exteriorem.

Cautionibus hisce observatis Gay - Lussac simili experientia invenit unum gramma aquæ summam densitatem habentis , in vaporem conversæ sub pressione 0<sup>m</sup>, 760 et temp. 100<sup>cent</sup> augeri volumine ita , ut occupet spatium = 1696, 4 centimetris cubicis ; quo patet , aquæ volumen augeri in ratione 1 ad 1696, 4 ; quæ relatio proxime accedit illi antea repertæ ; tum enim admittebatur pollicem cubicum aquæ in circumstantiis modo dictis in vaporem conversæ occupare pedem cubicum (1) : id est eam dilatari circiter in relatione 1 ad 1728.

Si tempore experientiæ barometrum non indicaret pressionem atmosphære solitam : scilicet 0<sup>m</sup>, 760 , deductiones faciendæ forent.

### §. 3.

Si volumus conferre relationes existentes intra pondus vaporis aquei pondus-

---

(1) Fischer, physique mécanique, pag. 89.

que aëris atmosphaerici, utrumque examinemus sub volumine æquali eadem temperatura, eademque sub pressione. Litrum aëris sub pressione  $0^m$ , 760 temperatura  $0^\circ$  ponderat  $19^{ram}$ , 299075 (1), vel proxime  $19^{ram}$ , 3, sed a temperatura  $100^\circ$  ad temp. 100 dilatatur quantitate  $\equiv 0,375$ ; igitur habituri ejus pondus temp. 100, dividamus  $19^{ram}$ , 3 per 1,375; sed ad pondus aëris reducendum ad expressionem eandem ac datum pondus vaporis, dividamus 1,375 per  $19^{ram}$ , 3, et habebimus  $\frac{1}{1,0577}$  pondus aëris, et  $\frac{1}{1,6964}$  pondus vaporis aquei, utramque summam fractione expressam.

Inde patet, aërem leviolem esse summo vapore aqueo. temperatura data: invenitur enim pondus aëris sicci esse ponderi vaporis aquei ut 16964 sunt 10577, vel minoribus numeris neglectis nempe minutis fractionibus, ut 16 sunt 10. Cum autem vapores, quamdiu integre servant statum aëriformem dilatentur ac condensentur, ut gaza iisdem mutationibus temperaturæ ac pressionis, eadem semper existent relationes. Divisis 16964 per 10577 habetur ratio 1000 ad 1604. Desaussurinus et Watt eam invenerant ut 10 ad 14; ast eorum experientiæ accuratæ non erant.

Gay-Lussac hujusmodi experientiis invenit pondus vaporis variorum liquidorum aliorum, ut alcoolis, ætheris sulfurici, carburis sulfuris (2). Ex experientiis, quas fecit cum æthere sulfurico, alcoole et aqua, concludi potuisset, quo inferiore temperaturæ gradu liquidum ebullit, eo densiorem tribuere vaporem: sic gradus ebullitionis alcoolis est superior gradu ætheris, inferior autem aquæ; ejus quoque vapor ponderosior est aqueo, ac levior æthereo, sed D. Gay-Lussac invenit vaporem carburis sulfurici huic legi derogantem: carbur sulfuris ebullit temperatura majore, quam æther, attamen illius vapor densior est æthereo; suntque probabiliter alii plures ex experientiis ulterioribus detegendi.

#### §. 4.

Statuto pondere vaporis aquei temperatura 100 sub pressione  $0^m$ , 760, si aliis

(1) Biot, traité de physiq. expérim. tom. 1, pag. 394.

(2) Thénard, traité de chimie, 3<sup>e</sup> édit., tom. 1. pag. 233.

temperaturis noscendum est, si exempl. grat. quæritur : quodnam sit pondus litri ejusdem vaporis temp. 18, 75<sup>p</sup> primum noscenda est vis ejus elastica ad temperaturam respondens ; habetur autem hoc in casu sub pressione atmospherica 0<sup>m</sup>, 760 æqualis 0<sup>m</sup>, 016 ; deim ut sciatur, quænam sint faciendæ deductiones, in memoriam revocandum est densitates fluidorum aëriiformium permanentium esse in ratione indirecta voluminum, directa autem pressionum juxta legem Mariotti, quæ hic quoque adhibenda est : augendum est pondus vaporis eadem proportione ac pondus cujusdam gazis dilatationis causa ; itaque stabilitur proportio sequens :

$$\frac{1}{1,6964} = \frac{760}{16}$$

$$X = \frac{1}{1,6964} \times \frac{16}{760}$$

X designat pondus litri vaporis aquei temp. 100 cujus tensio foret = 0<sup>m</sup>, 016, quæ suppositio realiter existere nequit, sed magnum præbet commodum in statuendo pondere vaporis diversis temperaturis.

Nunc reducendum est pondus X litri vaporis a temp. 100 ad temp. 18,75. En modum ! Volumen fluidorum elasticorum augetur, dum elevatur temperatura et minuitur cum temperaturæ minutione. Quantitas aëris = 800 temp. 0° tunc occuparet 800 + ter 18, 75 = 856, 25 ; nam ut vidimus, ejus dilatatio fit intra terminos fundamentales in relatione 800 ad 1100. Igitur designata per X' nova densitate vaporis, habebitur pondus respondens ad vim illius = 16<sup>mm</sup> pro temperatura 18, 75 statuta proportione sequente :

$$\frac{X}{X'} = \frac{856,25}{1100}$$

$$X' = \frac{X \times 1100}{856,25}$$

Nunc conjungendo summas

$$X' = \frac{1}{1,6964} \times \frac{16}{760} \times \frac{1100}{856,25}$$

Calculo peracto, invenitur pondus litri vaporis temperatura 18,75.

Hinc quotiescumque cognoscetur vaporis tensio qualibet temperatura, non tamen ultra terminum ebullitionis, cognosci quoque poterit hoc ratiocinandi modo ejus pondus.

Gay-Lussac præterea quæsit : quodnam foret pondus vaporum commistorum? sed nullam differentiam invenit; vidit eos simul idem pondus habentes, ac illa unita, quæ daret, computatio pro quolibet eorum sejuncto; adeoque, si unum volumen alcoolis ac unum aquæ pondere æqualia sumuntur, permistaque in vapores vertuntur, mistio erit æqualis mediæ summæ vaporis aquei vaporisque alcoolis; misceantur exemp. grat. 1gram., 5 alcoolis cum 1gram. aquæ; in vapores vertantur temp. 100 sub pressione 0<sup>m</sup>, 760 : admistio respondebit ad 1gram., 5 + 1gram.; gramma vaporis alcoolis in dictis circumstantiis est = 0<sup>lit.</sup>, 659; gramma vaporis aquei est = 1<sup>lit.</sup>, 6964; igitur permistio erit

$$= \frac{0^{\text{lit.}}, 9885 + 1^{\text{lit.}}, 6964}{1\frac{1}{2} + 1.}$$

Unde patet, eos nullam actionem in se mutuo exercere, qua suum pondus minuatur.

Statutis ita vaporum in vacuo tensionibus, nunc studendum est phænomenis habitis eorum permistione cum gazis permanentibus.

### CAPUT III.

#### DE PERMISTIONE VAPORUM CUM GAZIS PERMANENTIBUS.

##### §. 1.

Antequam phænomenis hisce studeamus, in memoriam adhuc revocanda est lex Mariotti : vim nimirum elasticam gazi permanentis sicci esse in ratione indirecta sui voluminis sub pressionibus diversis, temperatura manente eadem. Si exempl. grat. litra duo aëris sumimus sub pressione 0<sup>m</sup>, 760, huncque comprimimus ita, ut spatium unius litri tantum occupet, sustinebit duplicatam pressionem, id est : 1<sup>m</sup>, 520. Idem observatur, dum plura gaza diversæ naturæ commiscantur; nam supponamus volumen unius designatum per p, alius per  $\frac{5}{5}$

$p'$ , alius per  $p''$ , hæcque volumina in unum reducamus, tensio tota erit æqualis tensionibus  $p + p' + p''$  unitis, ita, ut enuntiari possit: quævis sint fluida aëriiformia quæ commiscentur ac cujusvis naturæ, modo existant nec combinentur temperatura, qua fit operatio, sub eodem volumine et sub quavis pressione, eorum tensiones conjunguntur. Sint æqualia aëris volumina, quorum unum exerceat pressionem =  $0^m, 760$ ; aliud  $0^m, 014$ , aliud  $0^m, 350$ ; in spatium unius cogantur, tensio novæ molis erit =  $1^m, 124$ ; id est: = tensionibus singulorum unitis.

Ad demonstrandum eandem legem existere, dum vapor cum gazis permanentibus commiscetur, Gay-Lussac utitur apparatu (fig. 15), qui consistit in cylindro A B vitreo, cujus diameter circiter æqualis est tribus centimetris et altitudo medio metro; extremitas ejus utraque munita est epistomio E E'; inferior recurvatur, ut, dum mercurius introductus emittitur, aër exterior intrare nequeat. In latere cylindri est tubus vitreus strictior T T', qui sua parte inferiore cum altero communicationem statuit. Supra epistomium inferius E' secundum cylindrum A B, est caulis in centimetra millimetraque gradatus, qui ei accurate applicatur. Calefit apparatus, ut totus optime exsicceetur; impletur mercurio sicco, qui prius bullivit. Quamobrem clauso epistomio inferiore E', aperitur superius E. Mercurius in cylindrum dilapsus elevatur et in tubum T T' lateralem ad eandem libellam ac in cylindrum A B, deducto tamen capillaritatis effectum, quem hic negligimus.

Tum agitur de introducendo fluido elastico permanente, quocum experientia faciendâ est: hocce fluidum omnino siccatum introducit in ampullam F, quæ in cylindro majore erecta, ei cochlide hæret supra epistomium E; aperiuntur epistomia E'' ampullæ et E cylindri; adeoque stat communicatio partis interioris ampullæ cum parte interiore cylindri. Si gaz, quod continet ampulla, exercet pressionem atmosphæricæ æqualem, non descendet in cylindrum, quod in hunc mercurius deprimendus foret, inque alterum tubum elevandus, quod pressionem atmosphærica majorem exigeret. Igitur aperto epistomio inferiore E', effunditur mercurii quantitas, qua ejus libella in utroque tubo demittitur. Tum fluidum aëriiforme ex ampulla F in cylindrum A B descendit, prout ex hoc

effluit mercurius. Hydrargyro in cylindrum usque ad  $L L'$ , ut supponimus, demisso, clauduntur epistomia superius  $E$  ac inferius  $E'$ ; tum aëris interioris cum exteriori communicatio cessat.

Hic videtur libella mercurii in latiore ramo esse superior libellæ in strictiore: ratio autem est, quod aër in illo dilatatus minorem exercent pressionem, quam in hoc, ubi densitatis gradus constans mansit: si differentia inter libellas est  $= L' H$ , designata per  $x$  pressione atmosphærica, aër interior exercet pressionem  $= p - L' H$ . Tum infunditur in ramum strictiorem mercurius, donec eadem libella habeatur in hoc ac in latiore; sit hæc libella designata per  $M M'$ : tunc aër interior exercet pressionem atmosphæricæ æqualem, quæ noscitur observata hydrargyri altitudine in barometro; volumen vero gazis cognoscitur ope caulis gradati.

Ad introducendum in hoc gaz liquidum in vaporem mutandum locatur supra epistomium  $E$  aliud epistomium  $e$  desinens in vasculum  $V$ . Epistomio  $e$  cochlide adhærente  $E$ , hoc aperitur, ut statuatur communicatio parvi spatii inter  $e$  et  $E$  existens cum fluido elastico interiore. Liquidum infunditur in vasculum, cujus pupilla non præbet canalem cylindricum ut solito; sed in superficie sua  $S$  facta est parva incisio hemisphærica, quæ guttam liquidi tantum capere potest, vertitur pupilla ita, ut sua incisura  $S$  impleatur liquido; dein in medium circuitum agitur. Tum incisione respondente ad partem inferiorem cylindri  $A B$ , gutta in interiorem cadit; hæc agendi ratione sæpius repetita, quotquot placeat, guttæ absque aëre introduci poterunt.

Dum prima gutta introducta est, sat celeriter in vaporem vertitur, non tamen repente, prout fit, dum liquidum in spatium vacuum introducitur; quia fluida elastica permanentia evaporationem liquidorum morantur: tum enim vaporis particule inter gazis moleculas quasi figendæ sunt. Si hæc gutta non sufficit, infunditur secunda tertiaque etc. donec satis multæ fuerint ad tribuendam totam vaporis quantitatem, quæ convenit spatio pro temperatura. Observantur phænomena eadem introductione cujusque guttæ: aër dilatatur; deprimuntur mercurium, quem in tubum lateralem elevat. Inde patet vaporem cum gaze permanente commistum pressionem quamdam exercere, quæ alteri additur.

Illius pressione mercurius elevatus est in strictiori tubo supra libellam in latiore. Supponamus eum depressum esse in hoc usque ad  $N$ , atque in illo ascendisse ad  $K$ , pressio admistionis est  $= p + N K$ .

Quum introducta est quantitas liquidi major, quam quæ necessaria est ad tantum vaporem tribuendum, quantum requirit spatium ac temperatura, nimia in vaporem non vertitur, sed manet in superficie mercurii; hæc non impedit, quominus vis vaporis conjuncti cum aëre statuatur computatione nimirum auctæ tensionis juxta differentiam libellarum in ambobus ramis; sed facilius est eam constituere mercurii effusione usque dum in utroque ramo pressio facta fuerit eadem. Quapropter aperto epistomio  $E'$ , mercurius demittitur; emisso autem ita, ut ejus libella descenderit ad  $N'$ , dum libella in tubo laterali ad hanc respondet, epistomium  $E'$  clauditur; vis permistionis tunc facta est æqualis pressioni atmosphæricæ, ut in initio experientiæ, sed gaz numerum alium divisionum occupat. Vis elastica mutata est in ratione inversa spatiorum, ita, ut ejus intensitas ex hac cognita proportionem statui possit; si est vapor aqueus, nota est vis ejus hac temperatura in vacuo; si eadem adhuc est in permistione, addenda est vi computatæ gazis et summa utriusque vis futura est æqualis pressioni atmosphæricæ; quod, calculo peracto, reperitur. Si tunc in tubum strictiorem infunditur denuo mercurius, donec ejus libella in cylindrum  $A B$  elevata fuerit ad  $N$ , videbitur permistio eandem ut ante pressionem  $p + N K$  exercens. Hinc patet vaporem introductum in fluidum permanens, hoc dilatare: jam autem illud dilatatare nequit, quin ejus pressionem augeat.

### §. 2.

Dum fluidum permanens extendi nequit, designata per  $T$  vi vaporis, pressio permistionis fit  $= p + T$ : ista pressio constans est temperatura manente eadem; mutatur autem mole hujus fluidi dilatata, expedita nimirum parte pressionis præcedentis. Quodsi jam quærat quænam sit tensio solius fluidi permanentis, reperietur  $= p - T$ . Ponatur exempl. grat. in loco inextensibili aër omnino siccus, qui sustinet pressionem  $= 0^m, 760$ ; sit ejus temperatura  $= 18,75$ , hacque introducatur aqua: vis elastica vaporis ejus tunc est  $= 0^m, 016$ ; tensio tota erit  $= 0^m, 776$ . Si permistio talis in loco extensibili ponitur, volu-



men extendetur donec tensio ejus facta fuerit æqualis atmosphæricæ; quemadmodum æther positus in vesica clausa aërem continente: hic sua in vaporem conversione hunc aërem dilatat ratione indirecta pressionis exterioris. Igitur atmosphæra exercente pressionem =  $0^m,760$ , vis aëris cum vapore aquo permisti, servatis dictis circumstantibus, tantummodo erit =  $0^m,744$ .

Unde patet, ratione hujus apparatus etiam accurate statui posse vim elasticam aëris cum vapore existentis in interiore parte cylindri: supponimus sat vaporis introductum esse pro temperatura, qua fit operatio: quamobrem sufficit notasse volumen aëris sicci sub pressione atmosphærica. Occupaverit exempl. grat. tum aër unum decimetrum; hoc volumen ejus dum vapore introducto dilatatum fuerit, representetur per  $P$  pressio aëris atmosphærici; tunc notata voluminum differentia, demptaque vi vaporis de tota vi permistionis, cognoscitur sola vis aëris in hac nova circumstantia;  $P$  æqualis est vi elasticæ permistionis in casu supra dicto, ubi nempe sustinet vim vaporis, plus vim aëris contentorum in spatio  $A N$ ; invenitur vis elastica fluidorum permanentium juxta legem Mariott esse in ratione indirecta suorum voluminum; igitur eam habebimus proportionem:

$$\frac{P}{x} = \frac{V'}{V}$$

$$x = \frac{P V}{V'}$$

Hæc vis fluidi aëriiformis permanentis  $p$  conjuncta cum vi vaporis representata per  $T$  pro temperatura experientiæ debet æquare pressionem atmosphæricam, habeturque

$$\frac{p V}{V'} + T = P.$$

Ratione hujus formulæ eodem ratiocinandi modo,  $V$ ,  $V'$ ,  $p$  cognitis, invenitur quantitas  $T$ , si eam ignotam supponimus; formula tunc hoc modo disponitur:

$$T + \frac{p V}{V'} = P.$$

Si cognoscuntur  $V$ ,  $p$  et  $T$ , ad  $V'$  incognitum simili ratione devenies.

Hinc patet, vim elasticam vaporis non mutari, sed esse constantem sive vapor solus sit in vacuo, sive cum quodam gaze permistus: utraque permistionis pars servat suam vim elasticam temperaturæ ac volumini consentaneam; juxta experientias Daltoni vis elastica vaporis sub pressione  $0^m,760$  temp.  $18,75$  est in vacuo  $= 0^m,016$ ; igitur cum vapor erit cum gaze permanente permistus, servatis circumstantiis, adhuc erit  $= 0^m,016$  sique hæc duo fluida elastica simul æquant pressionem atmosphæricam  $0^m,760$ , ad vim fluidi permanentis noscendam deducenda erunt  $0^m,016$  ex  $0^m,760 = 0^m,744$ . Si hoc in casu quæritur: quantum futurum esset volumen  $V$ , quod supponitur ignotum? dignoscetur ratione hujus formulæ generalis, cognito volumina fluidorum æriformium permanentium esse in ratione indirecta pressionum,

$$\frac{V}{V'} = \frac{p-T}{P}$$

$$V' = \frac{VP}{p-T}$$

Igitur dividenda  $0^m,760$  per  $0^m,744$ , et quotiente inde obtento multiplicandum est volumen primum  $V$ , quæ summa præbebit volumen  $V'$ .

Sint exempla sequentia:

$$1^{um} \quad V = 95; \quad V' = 97; \quad p = 0^m,760.$$

Statuendum est, quænam sit vis utriusque partis permistionis in cylindro inclusæ,

$$p = \frac{0^m,760 \times 95}{97} = 0^m,744;$$

Hæc est vis æris, qua deducta ex  $0^m,760$  pressione, quam sustinet admistio, habetur vis vaporis  $= 0^m,016$ , quæ respondet temperaturæ  $18,75$  pro vapore aëreo.

$$2^{dum} \quad V = 40; \quad V' = 77,36 \quad p = 0^m,760.$$

$$P = \frac{0^m,760 \times 40}{77,36} = 0^m,393 :$$

Hæc est vis aëris, qua deducta ex  $0^m,760$ , vis vaporis reperitur circiter =  $0^m,367$ .

Videtur volumen  $V$  eo magis dilatari, quo major est vis vaporis admisti; ex quo sequitur, si vis elastica vaporis aquei æqualis fieret pressioni atmosphæricæ, volumen fluidi elastici faciendum esse infinitum. Supponamus  $T$  æquare pressionem atmosphæricam, ad cognoscendum  $p - T$ , dividendum esset volumen infinitum aëris, qui foret in contactu cum vapore aqueo temperatura 100, idque clarum est, cum vapor tunc sustineat pressionem atmosphæricam, nulli amplius obstaculo occurreret; adeoque dilataretur tamdiu, quamdiu non deesset spatium; dum nempe tribueretur vapor prout fieret dilatatio; nec dilatationis terminus etiam nunc noscitur.

### § 3.

Suppositum fuit satis liquidi introductum fuisse ad tribuendum spatio totam vaporis quantitatem temperaturæ congruam; si vero pars vaporis ei tantum tribueretur, tunc dilataretur hic et ut fluidum permanens sese gereret. Si fit operatio temp. 18,75 ac media quantitas vaporis tribuitur, idem est ac si media quantitas aëris in quodam spatio contineretur; adeoque vis vaporis aquei solummodo erit =  $0^m,008$ ; si quarta pars introducitur, pressio erit =  $0^m,004$ ; quod quoque invenitur ratione apparatus modo descripti: introducta liquidi parte, tensio vaporis hydrargyrum prementis observatur.

Additione majoris quantitatis liquidi, quam quæ sufficiens est ad totum vaporem tribuendum spatio pro temperatura, non augetur ejus vis elastica: etenim spatium quoddam, ut sæpe diximus, excipere nequit præter quantitatem temperatura statutam. Si ageretur cum fluido permanente, quantumvis hujus in idem spatium introduci posset, visque ejus elastica eadem proportionem augetur; idem foret cum vapore supra ebullitionis gradum; nam aucto hoc gradu, vapor tum tendit ad dilatationem rarefactionemque aëris instar.

### §. 4.

Cum de permistione fluidorum aëriformium nunc loquamur, refert ut exponamus differentiam vapores solos inter et vapores cum gazis permanentibus ad-

mistos. Sumatur tubus Daltonicus mercurio plenus, in quem introducatur liquidum vertendum in vaporem, qui, tubo in balneum mercurii everso (fig. 1.), occupabit exempl. grat. spatium A B, quique cum columna interiore mercurii B N æquabit pressionem atmosphæricam; deducto A B ex altitudine tubi, habetur vis elastica vaporis. Sit columna mercurii =  $0^m, 740$  sub pressione atmosphærica  $0^m, 760$ : in vacuo foret =  $0^m, 760$ ; igitur vapor mercurium depressit quantitate =  $0^m, 020$ ; nunc immergetur tubus in balneum mercuriale, ita, ut vapor tantum occupet medium spatium, columna mercurialis semper erit = B N; sed cum spatium solummodo valeat continere quantum statutum vaporis, hujus dimidia pars condensata erit et dein, prout immergetur tubus, nova vaporis portio in liquidum statum redibit; cum autem satis immersus fuerit, ut columna mercurialis N B attingeret partem superiorem A — parvum liquidi stratum, vapor omnino condensatus erit.

En modo differentia! Si vapor in tubo cum fluido permanente permistus est, ea tantum condensatur ratione, qua minuitur volumen fluidi permanentis, nec umquam totus in liquidi statum redigi potest; exerceat vapor introductus solummodo pressionem =  $0^m, 004$ ; comprimatur permistionis moles, ita, ut fluidum permanens maximam sustineat pressionem; vaporis pars statum aëriformem adhuc servabit, pressio exterior, quæ agit in gaz permanens, illud volumine minuit in ea proportionem, qua major est. Si hæc pressio est =  $0^m, 016$  major quam atmosphærica, cognoscitur volumen  $V'$  dividendo per  $0^m, 776$  volumen primigenium  $V$  multiplicatum per suam pressionem: sic volumen aëris cum vapore aqueo permistus redigetur, prout augebitur exterior pressio; sed  $v_i$  vaporis eadem manente, variabitur vis aëris: si permistio duplicem sustinet pressionem, media vaporis pars in liquidum redit, vis aëris duplicatur, altera media pars vaporis statum aëriformem servans, permistaque cum aëre condensato, sustinet eandem, ut ante sustinebat, pressionem totus vapor. Tensio vaporis aquei temp. 18, 75 est =  $0^m, 016$ : si admistus esset cum fluido permanente, cujus tensio foret =  $0^m, 744$ , reducto admistionis volumine ad medium, pressio gazis permanentis erit =  $1^m, 488$ , vis autem vaporis continuo erit =  $0^m, 016$ .

Igitur quando aër cum vapore permistus comprimitur, cum ille liqueferi nequeat, hunc impedit, quominus totus in statum liquidum redeat; et ambo in se invicem agunt, ut duo fluida permanentia, quorum utraque vis pressionem sibi propriam sustinet. Aër inter cujus particulas disseminatæ sunt vaporis particulae, hasce remotas tenet. Dum vapor solus est, ejus particulae minutione spatii facile cedunt; imminutioneque nimia conjunguntur ac omnes in liquidum vertuntur; verum cum admiscantur fluidis permanentibus, hæc impediunt, quominus illæ ad se satis appropinquent, ut aliæ ab aliis attrahantur atque condensentur.

Ex modo dictis sequitur, spatium quoddam sive vacuum sive aëre plenum sit, eadem temperatura eandem vaporis quantitatem continere posse: si barometrum indicat tensionem aëris istius sicci esse =  $0^m, 760$ , et in eum infunditur liquidum capax quantitatem vaporis hac temperatura tribuendi, sique spatium est inextensibile, pressio in barometrum erit =  $0^m, 760 + T$ : aëris præsentia nullatenus mutare valet vaporis quantitatem. Si spatium parietibus extensibilibus gaudet, permistio dilatabitur, donec vis aëris visque vaporis conjunctæ pressionem atmosphæricam æquaverint: tum pressio in barometrum erit =  $0^m, 760 - T$ . Verum vapor solus vaporque cum aëre permistus vario modo tractatur, quando nempe pressioni subjiciendus est; dum solus est in spatio, pressio unius millimetri mercurii major ea, quam pro temperatura sustinendi capax est, sufficit, ut totus in liquidum reducatur. Si hoc spatium continet aërem vel quodcumque aliud gaz permanens, quod absque combinatione cum vapore existere potest, frustra exercetur pressio, totus vapor minime condensabitur, visque ejus elastica in eodem spatio ad minimam quidem dimensionem redacto, eadem semper manebit.

## CAPUT IV.

### DE EVAPORATIONE.

#### §. 1.

Experti norunt, liquidum aëri libero expositum tandem totum vel saltem

quoad partem evanescere evaporatione, quæ dicitur *spontanea*. Alia est evaporationis species, quæ fit dum liquidum calórico exponimus; hæc dicitur *artificiosa*. Verum hæc duo phænomena nullo modo inter se differunt, nisi in posteriore casu liquidum rapidius evaporetur, quam in priore.

Quando liquidum aëri exponitur, quantitas vaporis, qui ex eo propellitur, a temperatura spatioque tantummodo pendet. Si infunduntur in ampullam aëris sicci plenam aliquot guttæ aquæ, sensim fit evaporatio, infusumque liquidum ex oculis effugit. Strata aërea in superficie aquæ jacentia vaporem priora recipiunt, ast hæc majorem remotioribus pressionem tum exercentia, ab his debilitantur; eorum vis minuitur, quo nempe statuatur in omnibus partibus spatii eadem tensio. Sint exempli grat. strata aërea A B C (fig. 16) jacentia in superficie guttarum; simul ac fit evaporatio, vapor excipitur strato A; sed stratum B vaporem necdum continens, minorem proinde pressionem exercens, tollit a strato A quantitatem vaporis, ejusque vim imminuit; stratum C cum sit in eodem casu ac mox stratum B, hunc pariter à strato B excipit, vaporque ita traditur strato de strato. Itaque primo momento vaporis quantitas poterit esse major in A quam in B et in B quam in C; id autem diu existere nequit: sensim sine sensu remotiora strata quantitatem excipient, usque dum tensio facta fuerit eadem in omnibus stratis. Res ita se non habet in spatio vacuo: vapor in eo subito formatur, quia nihil impedit, quominus propellatur tota cum celeritate, quam ei tribuit caloricum. Sola differentia inter evaporationem factam in ampulla aërem continente, ac eam quæ fit in aëre atmosphærico, consistit in eo, quod in priore casu spatium limitatum sit, non autem in posteriore; sed omnibus in casibus eo promptior est evaporatio, quo vis repulsivâ major.

## §. 2.

In initio cum phænomenon evaporationis indagatum est, credebatur vaporem aëre solvi et cum eo combinari, quemadmodum sal aut saccharum aqua solvitur, ac cum ea combinatur. Musschenbroeckius (1) primus fuit, qui eam chi-

---

(1) Introductio ad philos. natural §. 1469.

mico modo consideravit; quam sententiam secutus Leroi, rem illam ulterius indagavit, multisque observatis illustrare conatus est. D. Bertholetus gravibus argumentis adhuc instat in sua statica chimica, quamvis D. Delucius in commentario jamjam indicaverat eam non solutione chimica fieri, sed igne, mechanicam nimirum cum aëre miscelam esse, vaporemque propulsum temperatura 100 nullatenus differre ab eo, qui efformatur aliis temperaturis; D. Desaussurius viderat quoque idem spatium vacuum aërisve plenum eandem vaporis quantitatem eadem temperatura tantummodo continere posse; attamen Bertholetus hanc opinionem nondum admittere voluit.

Verum objectum fuit, si daretur affinitas chimica vaporem inter et aërem, nullam evaporationem in vacuo futuram esse; ac e contra quo plus aëris in spatio foret, eo plus vaporis esse solvendum; quod cum experientiæ sit contrarium, demonstratur vaporem tantum ope calorigi efformari, hæcque nunc est opinio generalis doctorum: etenim aër est ejus formationi quædam obstantia, nedum ei faveat. Dum parum aquæ in manometrum aëre vacuum introducitur, vapor statim efformatur; si manometrum aërem continet, hic aër ei opponit obstaculum, non quidem invincibile, sed tamen lentius propellitur. Præterea vis elastica vaporis a temperatura unice pendet.

D. Daltonus vidit evaporationem agitatione aëris etiam multum incitari, nam in aëre tranquillo liquidum veluti traditur strato de strato, sin autem strata moveantur, vapores facilius excipiuntur et propelluntur citius. Hicce insuper observavit tantum vaporis non efformari, quando spatium vaporem ejusdem naturæ jam continet. Itaque enuntiare possumus, quantitatem ex liquido propulsi pendere a tribus circumstantiis: 1° a temperatura; 2° a quantitate vaporis ejusdem naturæ modo existentis; 3° tandem a statu agitationis tranquillitatisve aëris, qui est in contactu cum liquido.

### §. 3.

Ad observandam influentiam agitationis aëris in rapiditatem evaporationis, Daltonus usus est vase metallico, quod fere totum implebat aqua: in circuitu hujusce vasis facta erant tria foramina, qua transibant tria ex orichalco

fila, quorum extremitates superiores catenæ instar internectebantur, recurvabanturque in unciū, quo vas poterat appendi ad brachium libræ. Aqua lampade quinqueta calefiebat ad ebullitionis gradum; tum vas cum aqua accuratissime ponderabatur; aliquot minutis temporis linquebatur igni expositum, ita, ut aqua continuo servaret verum ebullitionis terminum; tunc denuo ponderabatur, divisaque ponderis jactura per numerum minutarum atque deinde per superficiem vasis apertam divisamque in decimetra quadrata, cognoscebantur quantitates aquæ evaporatæ singulis minutis et ratione cujusdam superficiæ.

Hujus modi experientiis repetitis in circumstantiis diversis, D. Daltonus vidit statum aëris agitati multum influere in evaporationis quantitatem. Agens cum vase, cujus profunditas erat = 3 pollicibus<sup>25</sup> anglicis, et diametrum = 2<sup>poll.</sup>, 5 in medio cubiculo, januis fenestrisque clausis ac aëre omnino tranquillo, vidit quantitatem evaporationis pro qualibet minuta esse = 30<sup>granis</sup> ponderis anglici; apertura autem in cubiculo facta, quantitas erat = 35<sup>gran.</sup>; admoto vase propius ad caminum, evaporatio à 35 ad 40<sup>gran.</sup> augebatur; tandem cum vas esset sub camino, ibi accenso igne, aër magis agitabatur quod dilataretur calore, et quantitas evaporationis augebatur ad 45<sup>gran.</sup>

Deinde Daltonus operatus est aëre tranquillo sed matavit temperaturam, cumque vim elasticam vaporis aquei variis temperaturis jamjam nosceret, construxit tabulam (1) in tres columnas divisam, in quarum prima indicavit temperaturam gradibus thermometri Fahenreid; in secunda quantitatem evaporationis per singulas minutas granis ponderis anglici expressam; in tertia autem vim elasticam vaporis ad varias temperaturas respondentem pollicibus quoque anglicis indicatam. Vidit ita quantitates evaporatas sequi relationem vis elasticæ, adeoque evaporationem singulis temperaturis sensibilter esse accomodatam vi elasticæ vaporis efformati; dum exempl. grat. evaporatio per minutam esset = 30<sup>gran.</sup>, vidit vim elasticam esse = 30<sup>poll.</sup>; dum evaporatio esset = 15<sup>gran.</sup>; vim elasticam circiter esse mediam.

---

(1) Biot, traité de physiq. expérim. tom. 1, pag. 321.



Quando aër jam continet quamdam quantitatem vaporis ejusdem naturæ, evaporatio liquidi huic aëri expositi retardatur; si maximam, vapor haud amplius efformatur. Igitur suppositio aquam temperatura 18, 75 introductam in spatium limitatum, si spatium hoc jam continet quantitatem vaporis, cujus vis est =  $0^m, 016$ , non amplius fiet evaporatio; si quantitatem cujus vis tantum est =  $0^m, 008$ , aqua introducta tribuet quantitatem vaporis necessariam, ut vis elastica fiat =  $0^m, 016$ . Itaque dum spatium vaporem ejusdem naturæ jamjam continet, quantitates evaporationis pro qualibet temperatura respondent tensioni, quam liquidum acquirit his temperaturis minus vim vaporis in eodem spatio jam existentis, ut enuntiavit Daltonus (1). In exemplo quod mox posuimus, cum spatium modo contineat mediam quantitatem vis totius, quantitas tantum evaporabitur ad tribuendam vim =  $0^m, 008$ ; si spatium contineret quantitatem cujus vis =  $0^m, 012$ , evaporatione tribueretur quantitas cujus vis foret =  $0^m, 004$ .

Exinde patet cur evaporatio eo promptior sit, quo ipsemet aër siccior est; quod, cum aër humidus est, contineat jam vaporem, qui novæ vaporis formationi opponitur. Sic per dies solutionis glaciei, mediâ quidem hieme, aër aliquoties ita humidus est, ut contineat summam vaporis quantitatem, quam pro temperatura admittere potest; quod probatur eo, quod refrigeratione tantulum aucta, muri omniaque corpora huic aëri exposita ubique fiant humida, aër vero paulo calidior factus, cum tunc non amplius sit humore saturatus pro nova temperatura, excipit denuo vapores in corporibus condensatos, evaporatioque pergit. Quapropter hæc adeo prompta est, dum corpora liquido imbuta feruntur in sublimes atmosphæræ plagas, ubi maximam siccitatem existere, experientia hodiedum probatum est; illuc enim feratur pergamena charta aqua imbuta, siccabitur contraheturque quasi foco exponeretur.

In quibusdam regionibus frequentes quoque sunt venti exsiccatisissimi, cum

---

(1) Annales de chimie, tom. 44, pag. 217.

nempe spirant ex regionibus frigidis aut antea perflaverunt terras siccas arenosaque : videmus quidem in nostra patria, aquilone vulturnove spirante, ligna humore imbuta findi; quod eorum humor hisce ventis siccis subito rapiatur, veluti posita fuissent in machina pneumatica cum acido sulfurico.

In hoc principio sistit proprietas exsiccandi corpora humida sine temperaturæ augmento : locantur in spatiis, in quibus non est vapor, uti verbi gratia in recipiente machinæ pneumaticæ ex qua haustus est aër; in ea appenditur capsula continens acidum sulfuricum; acidum hoc sorbet vaporem, qui tum formatur, nisi aqua chimico modo cum corpore combinetur.

### §. 5.

Evaporatio fieri nequit nisi certa calorigi copia opitulante, quæ si adsit aqua pura in aëre libero calefacta est ad temperaturam circiter 100, ebullire incipit; ejus temperatura haud amplius augetur, qualiscumque sit ebullitio, lenta rapidave : totum caloricum, quod tunc liquido tribuitur, intrat in vaporem tamquam caloricum latens, et consumitur in majore minoreve particularum liquidarum numero in vaporem vertendo; quod phænomenon primum a doctore Hook et dein a Blacks et aliis observatum fuit. Hinc cum vapor quacumque temperatura formetur ejusdemque sit naturæ, ac ille ebullitione formatus, oportet, ut caloricum tum sumatur aut ex corporibus circumdantibus, aut ex ipsomet liquido, et ex hoc præsertim. Inde refrigeratio liquidi quando illius pars evaporatur. Sumamus thermometrum, illud immergamus in aquam, extractumque in aëre agitemus, hydrargyrum multum descendet. Ponamus aquam in machina pneumatica, vaporemque, prout formatur, extrahamus, aqua in vase remanens quidem congelabitur.

Si pro aqua utimur æthere vel carbure sulfuris, evaporatio adhuc multo celerior est adeoque refrigerium eo sensibilius. Si æther ponitur sub recipiente machinæ pneumaticæ, evacuaturque cum aëre vapor, thermometrum in æthere locatum descendet ad — 16 aut — 17. Ope horum liquidorum poterit aqua congelari in aëre libero media quidem æstate. Si infundatur aqua in quoddam vas vitreum strictum, expositum aëris cursui circumdatumque spongia, quæ sæpissime aspergatur æthere, aqua ista brevi statum solidum assumet.

Lescieus utitur hac proprietate refrigerandi per evaporationem ad obtinendam glaciem omni atmosphære temperatura. Sumit capsulam cum acido sulfurico, eamque collocat in machina pneumatica supra aquam congelandam; aër exhauritur; vapor propellitur; sed cum propulsionem impedire posset vapor jamjam formatus, acidum sulfuricum sensim hujus quantitatem sorbet, usque dum totus in eo condensatus sit; itaque liquidum tribuit dato tempore multum vaporis, qui quantitatem caloricam respondentem tollit, reliquum autem in glaciem convertitur. Hac agendi ratione physici potuerunt tantum frigus afferre, ut mercurius quidem congelaret, ope nimirum carburis sulfurici, quod liquidum promptissime evaporatur.

Hispani, Orientales pluresque alii calidarum regionum incolæ hocce phænomeno utuntur ad refrigerandam aquam, qua implent vasa fictilia nec glutinoso liquore inducta, ut sensim quasi percolatione transudare possit: ea ponunt ubi fit aëris cursus; aqua transudans in tota superficie vasis in vaporem vertitur eo rapidius, quo aëris cursus stabilitur celerior; hacque proportionem refrigeratur aqua in vase remanens.

Sed cum aëris cursu acceleretur evaporatio, forsitan aliquis inferre posset, vaporem aëre solvi per affinitatem chemicam, quemadmodum sal aut saccharum aquæ admistum, hujus strata asolido remotiora, quæ illud sensim exciperent, acta agitatione aquæ, citius esse saturanda, proinde combinationem tanto esse celerior: id primo intuitu posset quidem videri; sed rejecta hac affinitate chimica, phænomenon non minus facile explicatur; etenim cum strata aëris cum aqua jacentia proinde humidiora, aëre tranquillo, impediunt, quominus vapor cum stratis aliis tam facile permisceatur, aëris cursus illa strata removet, siccioraque in contactum cum vase adducit, quibus vapor facilius excipitur: sit temperatura stratorum aëreorum, quæ in aqua jacent = 18,75, tranquillo aëre; stratum aquæ proximum vaporis quantitatem excipiet, cujus vis erit = 0<sup>m</sup>,016; tum vapor non poterit amplius in hoc stratum propelli, quin stratum illius partem lente tribuerit strato vicino, etc.; si vero proximum aëris stratum rapitur, aliud siccius, quod proximi locum occupabit, statim eandem tensionem accipiet et sic porro; eo quod, ut jam monuimus, evaporatio fit in propor-

tionem totius vis vaporis, quem pro temperatura spatium admittere potest, visque vaporis in spatio jamjam contenti. Ideo corpus humidum in aëre agitatum citius refrigeratur. Hac pariter ratione citius refrigeratur liquidum, quum in illud ore flamus; sed hoc in casu secunda refrigerationis causa habetur: scilicet aër frigidior, in commercium cum liquido veniens ejus calorigi quantitatem contactum suscipit.

### §. 6.

Evaporatio properatur multiplicatis punctis contactus liquidi cum spatio vaporem excepturo, quod fit extensione superficiei liquidæ; etenim facile concipitur, quo hæc extensior est, eo plus liquidi, dato tempore, in vaporem verti posse, quod strata aërea in eo jacentia eo extensiora sint. Itaque cum agitur de magnis aquarum quantitibus evaporandis, ut exempl. grat. in littore maris ad salem obtinendum, fiunt pelluvia extensissimæ superficiei ac minimæ profunditatis, dicta paludes salinæ (1), in quæ aqua affluens ex receptaculo magno recipitur per canales ad altitudinem aliquot centimetrorum; itaque post paucos dies tota evaporata est, sale in fundo remanente; tum aqua iterum in pelluvia recipitur et sic dein, donec salis quantitas sat sufficiens in iis sit deposita, ut exinde colligi possit.

In quibusdam locis ubi sunt scaturigines, quæ parvam salis quantitatem tantum continent, quem tamen incolæ colligere volunt, aqua sponte evaporatur usu ædificiorum arctorum, quæ vocant ædificia graduationis, scilicet sub tuguriolo parietibus affixo: hæc ædificia ita locata sunt, ut exponantur directioni venti maxime solitæ; in ima parte sub appendice habentur receptacula, in quibus jacent spinei fascies ita dispositi, ut multum aëris intersit, eosque facile transeat; ad superficiem horum fascium adducitur liquidum evaporandum, ubi per canales perforatos in eos funditur, et per interruptiones ad partem inferiorem decedit.

Expositis, quæ ad evaporationis essentiam maxime spectant, ad complementam vaporum theoriam mihi adhuc agendum est de alia materia: scilicet de hygrometria.

---

(1) Thénard, traité de Chimie, 3<sup>e</sup> édit. tom. 2, pag. 597.

## CAPUT V.

## DE HYGROMETRIA.

## §. 1.

In pluribus inquisitionibus tum physicis, tum chemicis necessarium est, ut accurate cognoscatur quantitas vaporis in aëre atmosphærico vel in gaze existentis: eorum nempe statum hygrometricum: pars autem physices, quæ rationes huic statuendæ adhibendas docet, vocatur hygrometria.

Quum spatium continet totam vaporis quantitatem, quam admittere potest pro temperatura, qua fit operatio, facile est statuere illius quantitatem ex cognitione nimirum ejus vis elasticæ: hæc cognoscitur ex tabulis Daltonicis; quantitas autem liquidi ad hanc vim respondens computari potest juxta experientias Gay-Lussac: etenim ut in experientiis præcedentibus vidimus, idem spatium, sive vacuum sine aëre plenum sit, data temperatura eandem vaporis quantitatem capere potest: unum centimetrum cubicum aquæ in summa ejus condensatione pondus grammatis æquat. Hoc aquæ gramma versum in vaporem occupat temp. 100 sub pressione 0<sup>m</sup>, 760 spatium = 1 lit., 6964; si volumus statuere vaporis quantitatem in aëre saturato temp. 18,75, designata per x, hac quantitate, ex statutis antea proportionibus habetur:

$$x, = \frac{1}{1,6964} \times \frac{16}{760} \times \frac{1100}{856,25}.$$

Patet, pondus vaporis hoc in casu non esse idem ac ejus pondus temperatura 100, cum hac vis ejus æquet pressionem atmosphæricam, temp. vero 18,75, tautum sit = 0<sup>m</sup>, 016: pondus enim variatur in relatione condensationis.

Si operatio fiat alia temperatura, representatis per V vi elastica vaporis et per T temperaturæ gradibus, quantitas invenietur formula generali:

$$x, = \frac{1}{1,6964} \times \frac{V}{760} \times \frac{1100}{800+3T}.$$

Hæc agendi ratio sane accurata est; verum in maximo casuum numero adhiberi non potest, quod spatium sæpissime non sit vapore saturatum.

## §. 2.

Daltonus quantitatem vaporis in aëre atmosphærico contenti definituros aliam agendi rationem docuit, quæ consistit in refrigerando aëre, donec vapor in aquam condensetur: quamobrem aquam frigidam infundit in vas vitreum cylindricum, quod tum in aëre locat. Si aqua frigidior est aëre ambiente, vapor ex aëre in superficiem exteriorem vasis deponitur guttularum forma, quemadmodum hieme evenit, si scyphum vitreum ex uno cubiculo frigidiore in aliud calidius feramus quo facto brevi videbimus ejus superficiem deposito vapore obscuratam. Tum vas vacuefit, ejus superficies exterior optime siccatur; aqua aliquantulum calefit; calefactaque denuo in vas infunditur. Si vapor adhuc deponitur, iterum vacuefit, aqua calefit etc., usque dum vaporis depositio haud amplius observata fuerit; tum ope thermometri in aquam immersi cognito ejus temperaturæ gradu cognita quoque ex tabulis vi elastica vaporis ad hunc respondente, computari potest quantitas liquidi in isto aëre existentis.

Dum spatium est vapore saturatum, minimum refrigerium ex parte vasis sufficit ad quantitatem vaporis in ejus superficie exteriore condensandam; dum vero aëris moles vapore saturata non est, parietes vasis tunc sunt magis refrigerandæ ad obtinendum eundem effectum: etenim non deponetur vapor priusquam aër ambiens ita sit refrigeratus, ut ille deponendus factus sit summus, qui in hoc contineri potest: fiat exempl. grat. experientia dum temperatura aëris est = 20; infundatur in vas aqua cujus temperatura est = 10; si vapor hac temperatura deponitur, vacuefit vas: aqua calefit etc.; tandem depositio cesset dum aquæ temperatura est = 14; quid inde? idem est ac si temperatura 20, qua aër non est vapore saturatus, minuta foret ad 14, qua tum aër summam vaporis quantitatem contineret. Igitur consultis tabulis in formulam generalem paragraphi præcedentis introducuntur novæ summæ:

$$\frac{12^{\text{mm}},087}{0^{\text{m}},760} \times \frac{1100}{800 + \text{ter}20.}$$

Creditur vaporem contentum in spatio temperatura 20 se tum gerere tamquam vaporem dilatatum, et habendum esse, ut alia fluida elastica, quorum dilatatio intra terminos fundamentales fit in relatione 800 ad 1100.

Hæc agendi ratio forsitan exigit tantas cautiones, ut opus sit manibus peritis ad vaporis quantitatem illa accurate statuendam.

### §. 3.

Quæsitæ fuerunt aliæ rationes faciliores, quæ consistunt in proprietate, qua corpora gaudent sorbendi humorem cum mutatione dimensionis atque formæ. Quando funis humectatur, fit brevior; e contra charta humore extenditur; capillus fit quoque humore longior, siccitate autem contrahitur. Hæc corpora licet nomine hygrometro persæpe insigniuntur, rectius tamen hygroscoopi vocantur; quod potius indicent quantitatem vaporis in spatio contenti, quam eam metiantur. Ita venditant parva hygrometra, quæ etiam barometra vocantur, quorum usus hic est, ut indicent quantitatem vaporis in atmosphæra existentis. Horum plerique consistunt fune ex intestinis facto, cujus extremitas una puncto fixo hæret; altera sustinet pondusculum, quo extensus maneat funis, hic extenditur siccitate, humore autem contrahitur; adeoque pondusculum elevatur demittiturve secundum hasce mutationes. Sic sæpe videas parvas effigies, quarum caput operitur aut cucullo aut ad imbres munimine, quod movetur hujusmodi fune: dum funis detorquetur, demittitur cucullus munimenve ad imbres; cum autem ille torquetur cucullus etc. in caput reducitur. Aliquoties etiam reperias plana circularia, ubi in cellulis locatæ sunt duæ hujusmodi effigies, quarum altera fert munimen ad imbres, altera autem eo caret. Quando cælum serenum est nec vapore onustum, effigies absque munimine exit; quando autem cælum fit nebulosum pluviosumque, hæc redit et altera cum munimine egreditur.

### §. 4.

Instrumenta hujus generis perfectiora sunt constructa: eorum corpus hygrosopicum est capillus plerumque flavus (gallice *blond*) non e capite lapsus, sed abscissus, qui primum exponitur ebullitioni in carbonate sodii, hoc consilio, ut pin-

guedo ei inhærens tollatur : hæc hygrometrorum species debetur D. Desaussurio. Capillus ita lavatus locatur in quadro ex orichalco (fig. 17), ejus extremitas superior A tenetur forficula F, quæ ad libitum organice elevari potest aut demitti; capillus parte extrema et infra posita inhæret orbiculo o, in cujus latere reperitur orbiculus alter ejusdem diametri; idem axis, quo uterque movetur, in illis fixus est, ut ita reddatur motus tanto facilior; in axi configitur gnomon G suo motu in arcu circuli C D gradato indicaturum extensionem contractionemque capilli; fixo capillo in parte inferiore unius orbiculi, configitur in parte superiore alterius filum sericum, cujus extremitati alligatur pondusculum P, quo capillus semper tenetur extensus. Quando fertur apparatus in aërem humidissimum, capillus pondere attractus extenditur; quando autem fit siccior, capilli contractione pondusculum effertur. Ut apparatus ita constructus integre transportetur, circumdatur caulis parvo cylindro in cujus rimam introducitur pondusculum extremitasque gnomonis. Tunc quolibet transferri potest, nec hoc in statu detrimento exponitur.

Idem apparatus fuit ab inventore gradatus; quamobrem in catino aqua humectato vitreoque testu cooperto locatur. Vitreum testu excipit totam vaporis quantitatem temperaturæ congruam gnomonque incidens videtur; hoc autem desistente tollitur testu, catinusque aqua denuo aspergitur; gnomone non ultra progrediente, notatur punctum, in quo stat, hocque designat summum humorem; tum ad punctum summæ siccitatis reperiendum, sumitur ampulla cujus apertura satis lata est, ut apparatus in eam introduci possit: nihil autem ad hunc finem adeo facile est, quum manometrum: in hoc introducitur bractea ferri igne rubefacta coopertaque potassa, quæ in illa liquescens humorem sorbet. Gnomon tunc videtur tendens in oppositum, et tandem in quodam loco sistens; sed cum necdum constet, capillum omnino siccatum esse, alia bractea cum potassa inferitur, idque pluries repetitur, usque dum gnomon haud amplius moveatur. Hoc punctum notatur ut terminus siccitatis summæ; tunc spatium intra terminos summi humoris summæque siccitatis dividitur in centum gradus æquales: o respondet ad siccitatem summam, et 100 ad summum humorem; alii autem numeri designant totidem inter medios gradus humoris.



Desaussurius vidit eadem instrumenta eosdem gradus indicantia, dum in iisdem spatiis locantur; adeoque esse inter se comparabilia, quemadmodum thermometra. Comparabilia sunt inter se ac secum ipsis, id est: dum pluribus vicibus in iisdem circumstantibus ponuntur, indicant eundem gradum.

Concludendum esset ex eodem hygrometri gradu ad statuendam quantitatem vaporis in aëre existentis diversis temperaturis: ea enim quantitas vaporis in aëre esse potest, ut temperatura 20 longe sit a saturationis gradu; si vero aëris istius temperatura minueretur exempli gratia ad 14, posset forsitan ita vapore esse onustus, ut eum deponeret in omnibus corporibus adjacentibus; sed Gay-Lussac huic defectui obviam, ivit uti in decursu videbimus.

### §. 5.

Ut videatur, qualis sit actio hujus hygrometri in vaporem aqueum, locetur in spatio vapore vacuo; careat ipsemet capillus aqua; affinitas ejus in vaporem tanto major erit; tum in illud spatium introducatur aquæ parva quantitas, quæ non sit sufficiens toti vapori tribuendo ratione temperaturæ, qua operatio facienda est. Caloricum tensione gaudet, qua brevi vertetur aqua in vaporem; vaporis efformati pars in capillum præcipitabitur in statu liquido et ab eo sorbebitur, quod animadvertetur capilli elongatione; tum observabitur, prout vapor eadem temperatura a capillo sorbetur, ejus affinitatis vim imminui, terminumque tandem advenire, ubi actio capilli in vaporem omnino est æqualis, quoad effectum, gradui frigoris pressionisve, quem vapor sustinere posset, servato suo statu aëriiformi; tunc actioni capilli resistit, hygrometrumque eandem stationem servat, quamdiu manet iisdem circumstantibus locatum, sed mutetur temperatura, variabitur et vis elastica vaporis: si temperatura minuitur, capillus sumet quantitatem aquæ spatii; minuatur adhuc, novam iterum quantitatem humoris sorbebit, æquilibriumque illum inter et vaporem statuatur. E contra si augetur temperatura, vaporis absorpti quantitatem amittit, æquilibriumque novum stabilitur: prioribus in casibus elongatur capillus; in posterioribus vero fit brevior, ita indicando saturationis gradum secundum terminum varium, quo ejus affinitas in vaporem desinit hunc præcipitare.

Desaussurius insuper tentamina fecit cum aliis vaporibus, æthereo, camphoraceo etc; sed vidit actionem hygrometri in hosce vapores esse minimam.

Dum hygrometrum in spatio perfecte saturato vapore aqueo locatur, semper indicat summum humorem idque observatur omni temperatura, cui vapor exponitur: eadem quantitate elongatur in his diversis circumstantiis, adeoque sorbet eandem vaporis quantitatem; attamen quantitas vaporis in spatio saturato maxime varia est variis temperaturis; sed id commune semper habetur, quod in hoc saturationis puncto vis minima sufficiat ad vaporem condensandum. Affinitas autem capilli in vaporem est hujusmodi vis tendens, ut partem vaporis denset; verum hæc pars quam condensat, tantula est, ut nulla exinde differentia in tensione vaporis in apparatu remanentis indicetur, possitque pro nulla haberi; idem est ac si in spatium aliquot litrorum introduceretur arenula quædam, quæ quantitatem humoris sane insensilem tantummodo sorberet. Ut thermometrum temperaturam tum maxime indicet, oportet, ut sit quam minimum pro substantia cujus temperaturam est mensurum: etenim si magnum foret, nimiam caloris quantitatem e substantia tolleret, adeoque accurata summa non obtineretur: idem dicendum est de corporibus hygroscopicis: oportet, ut tantulam vaporis quantitatem sorbeant, ut minutio ejus tensionis in spatio observari nequeat.

Dum aër non continet totam vaporis quantitatem, quam pro temperatura continere posset, gnomon in oppositum dirigitur, id est: versus summam siccitatem. Tum vis minima haud amplius sufficit ad hunc vaporem condensandum, effectusque hygrometri in eum prius desinit, quam omnino sit saturatum. Igitur ad veram quantitatem vaporis in isto aëre statuendam, cognoscenda foret lex affinitatis; verum cum nobis ignota sit, nil exinde concludere possumus: hygrometrum eundem saturationis gradum variis temperaturis indicare valet; si nonagesimum temperatura 100, poterit quoque temperatura 20 eundem indicare gradum, quod et experientia confirmatur.

Idecirco Gay-Lussac primum quæsit rationem, qua posset veram quantitatem vaporis aquei in aëre contenti statuere, dum vis illius elastica temperatura eadem variatur: quando thermometrum indicabat temperaturam 10, vidit hygrometrum in spatio saturato vapore aqueo indicans 100: ejus vis elastica

hac temperatura est =  $9^{\text{mm}}$ , 475; si vis istius vaporis cognosceretur, quando eadem temperatura minor est, sane cognosci quoque posset quantitas aquæ, quæ cum tribuit; etenim hoc in casu haberetur ut vapor dilatatus; obtineri autem possunt vapores aquei minorem vim eadem temperatura exercentes; si nempe infunditur in aquam substantia, quæ particulas ejus retinet. Ideo introducuntur substantiæ salinæ: hæ imminuunt vim elasticam vaporis efformati; pars hujus condensatur, cognosciturque tensio nova ope barometri in spatio locati, deducta pressionis differentia. Si, dum aqua sola est, barometrum sustinet pressionem =  $0^{\text{m}}$ , 760, et post salis cujusdam introductionem tantum sustinet  $0^{\text{m}}$ , 755, deductione facta differentia invenitur =  $0^{\text{m}}$ , 005: sic habetur vis elastica novi liquidi, introducto sale.

Igitur Gay-Lussac addidit aquæ varia salia, ut chlorurum sodii, calcii etc.; varia acida, ut sulfuricum etc., quibus liquidis singulis in spatium introductis notabat singulos gradus, in quibus sistingebat hydrargyrum in barometro gradusque, quos his in circumstantiis indicabat hygrometrum capillo sistens, postquam nempe statutum erat æquilibrium pro tensione vaporis. Dum aqua sola erat, ejus tensio erat =  $9^{\text{mm}}$ , 475 et hygrometrum indicabat 100; jam autem cum aqua commiscetur cum una substantiarum modo dictarum, imminuta tensione vaporis, hygrometrum alium indicat gradum, si cum alia, alium adhuc gradum indicare videtur; qui gradus varii ad tensionem variam vaporis respondent. Itaque ex experienciis eadem temperatura sæpissime repetitis ratione diversarum tensionum cognitarum contentarumque inter summam siccitatem summumque humorem, obtinuit diversos hujus responsionis terminos, e quibus construxit tabulam sequentem.

GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei.	GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei.	GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei.
0	0,00	34	17,10	68	44,89
1	0,45	35	17,68	69	46,04
2	0,90	36	18,30	70	47,19
3	1,35	37	18,92	71	48,51
4	1,80	38	19,54	72	49,82
5	2,25	39	20,16	73	51,14
6	2,71	40	20,78	74	52,45
7	3,18	41	21,45	75	53,76
8	3,64	42	22,12	76	55,25
9	4,10	43	22,79	77	56,74
10	4,57	44	23,46	78	58,24
11	5,05	45	24,13	79	59,73
12	5,52	46	24,86	80	61,22
13	6,00	47	25,59	81	62,89
14	6,48	48	26,32	82	64,57
15	6,96	49	27,06	83	66,24
16	7,46	50	27,79	84	67,92
17	7,95	51	28,58	85	69,59
18	8,45	52	29,38	86	71,49
19	8,95	53	30,17	87	73,39
20	9,45	54	30,97	88	75,29
21	9,97	55	31,76	89	77,19
22	10,49	56	32,66	90	79,09
23	11,01	57	33,57	91	81,09
24	11,53	58	34,47	92	83,08
25	12,05	59	35,37	93	85,08
26	12,59	60	36,28	94	87,07
27	13,14	61	37,31	95	89,06
28	13,69	62	38,34	96	91,25
29	14,23	63	39,36	97	93,44
30	14,78	64	40,39	98	95,63
31	15,36	65	41,42	99	97,81
32	15,94	66	42,58	100	100,00
33	16,52	67	43,73		

GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei.	GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei	GRADUS hygrometri.	TENSIO vaporis aquei.
0	0,00	34	57,42	68	84,05
1	2,19	35	58,59	69	84,64
2	4,37	36	59,61	70	85,22
3	6,56	37	60,64	71	85,77
4	8,75	38	61,66	72	86,31
5	10,94	39	62,69	73	86,86
6	12,93	40	63,72	74	87,41
7	14,92	41	64,63	75	87,95
8	16,92	42	65,53	76	88,47
9	18,91	43	66,43	77	88,99
10	20,91	44	67,34	78	89,51
11	22,81	45	68,24	79	90,03
12	24,71	46	69,03	80	90,55
13	26,61	47	69,83	81	91,05
14	28,51	48	70,62	82	91,55
15	30,41	49	71,24	83	92,05
16	32,08	50	72,21	84	92,54
17	33,76	51	72,94	85	93,04
18	35,43	52	73,68	86	93,52
19	37,11	53	74,41	87	94,00
20	38,78	54	75,14	88	94,48
21	40,27	55	75,87	89	94,95
22	41,76	56	76,54	90	95,43
23	43,26	57	77,21	91	95,90
24	44,75	58	77,88	92	96,36
25	46,24	59	78,85	93	96,82
26	47,55	60	79,22	94	97,29
27	48,86	61	79,84	95	97,75
28	50,18	62	80,46	96	98,20
29	51,49	63	81,08	97	98,69
30	52,81	64	81,70	98	99,10
31	53,96	65	82,32	99	99,55
32	55,11	66	82,90	100	100,00
33	56,27	67	83,48		

In priore columna indicati sunt hygrometri in capillo sistentis gradus et in posteriore tensiones vaporis aquei singulis gradibus respondententes; exinde facile est concludere vim elasticam vaporis in aëre existentis, cognito gradu quem indicat hygrometrum; vis elastica vaporis expressa est partibus centesimalibus tensionis totius temperatura 10; centesimus hygrometri gradus indicat vim totam vaporis, alii autem gradus inferiores offerunt tensionem ejus minorem redditam admissione aquæ cum aliis substantiis.

Gay-Lussac selegit vim vaporis temperatura 10, quia is erat temperaturæ gradus tempore quò agebat; reperiit hanc tabulam adhuc applicari posse, quando temperatura est 16 vel 17, ceu 7 vel 8; tunc tantummodo substituenda est tensio, qua gaudet vapor hisce temperaturis in locum tensionis suæ temp. 10.

Si cognoscenda est ex aliquo hygrometri gradu vis elastica vaporis millimetris expressa, scitur temperatura 10 centesimum hygrometri =  $9^{\text{mm}}, 475$ ; si hygrometrum hac temperatura indicat exempl. grat. 80, reducitur tensionis totius pars, quæ ad hunc hygrometri gradum respondet, in vim millimetris expressam, multiplicatis 80 per  $9^{\text{mm}}, 475$ , et divisio per 100; quotiens millimetra præbet; quamobrem statuitur proportio sequens:

$$\frac{100}{9^{\text{mm}}, 475} = \frac{80}{x}$$

Tabulam alteram priori oppositam apposuit, illam construxit ad dandos hygrometri gradus, quando nota est vaporis tensio. In priore columna locata est tensio tota vaporis divisa in partes centesimales, et in posteriore gradus hygrometri respondententes ad singulas; 100 indicat tensionem totam vaporis et 100,00 completam hygrometri saturationem.

Si reducendæ sunt tensiones millimetris expressæ in has tensiones centesimales, invertendum est illud pro tabula priore expositum. Supponamus exempl. grat. quæri quotus futurus sit hygrometri gradus pro tensione vaporis millimetris expressa minore quam tensio totalis: sit temperatura 10; tum tensio tota est =  $9^{\text{mm}}, 475$ ; sit nota tensio, quæ in tensionem totam reducenda est, expressa 5 millimetris, tum habetur:

( 59 )

$$\frac{9^{\text{mm}},475}{100} = \frac{5}{x}$$

Quotiens inde obtentum indicat tensionem centesimalem, qua cognita, invenitur ope tabulæ gradus hygrometri ad eam respondens.

### §. 6.

Hygrometrum in varia atmosphære strata latum, magis magisque, prout elevatur, ad summam siccitatem tendit; quod confirmatum fuit a Gay-Lussac, cum fuerit ad maximam altitudinem in auras elevatus. Id autem nobis explicat, quomodo nubes haud procul a terra distantes, ubi facile potuissent in pluviam resolvi, quando in altas cæli plagas elevantur, evanescant, ubi aer siccior vaporem avidius excipit: hinc ratio hygrometri ad barometrum, in quod elevatur hydrargyrum ad cum nubes ita in auras dissipantur; descendit autem quando illæ, terram magis appropinquant. Hoc in casu, cum spatium sit proprius saturationis gradum, vapores majore cum facilitate condensantur, et tum ex atmosphæra in terram sub pluvie forma dilabuntur.

Prout altius in atmosphæram aliquis elevatur, sentit quoque temperaturam minui, ita, ut minima fiat in altissimis atmosphære regionibus: illic enim frigus tantum est, ut sub zona quidem torrida altissimorum montium cacumina æternis nivibus et glacie tegantur; quamvis eorum radices fervore solis adurentur: id autem fit, quod per fluidum aëreum libere transmittantur ex sole radii luminis calorisque, nec illud calefaciant; sed terram corporaque alia hocce fluido densiora, ad quorum superficiem perveniunt. Aqua, quæ huic aëri inhæret in statu vaporis, particulas adeo tenues habet, ut visu percipi nequeant, cumque nullam fere superficiem offerant, nec ipsæmet radiorum transmissioni obstare valent.

In tali statu non est aqua in nubibus; non enim ex veris vaporibus consistunt; sed eas efformant vapores vesiculares, vel ut eos vocat Delucius (1), globuli aquei, qui ope instrumenti optici, hunc in finem confecti cerni possunt. Aquam

---

(1) Recherches sur l'atmosphère, tom. III, pag. 238.

in iis existere in statu liquido confirmavere, qui altius montes ascenderunt. Namque viderunt nubes adeo similes esse nebulis, ut ab iis nulla alia re, quam loco discrepent. Aqua ebulliens nobis tales globulos etiam offert. Etenim vapor, quem videmus propelli, frigore aëris ambientis jamjam condensatus est.

Docti nostra ætate passim admittunt, aquam in nubibus teneri propter magnam inter aëreas moleculas divisionem, cui etiam favet parva aëris agitatio; quibus præcipue causis illuc quoque elevatur. Phænomenon sane mirandum! Ast nomine pariter in aëre aliquando videntur pulveris nubes, licet pulvis sit aqua ponderosior? nonne ventus acrior, littora invadens et perflans sat sæpe secum in sublime fert arenam, quæ cum aër tranquillior est, terræ redditur sub pluviae forma? nonne cineres e vulcanis ejecti interdum plurimum dierum spatio aëri inhærent cælique serenitatem obscurant?

Ceterum nubes, ut credit Weelsius Anglus, temperatura gaudent altiore, quam aër ambiens fit. Idem fit eo, quod globuli aquei inter aëris moleculas divisi quamdam offerunt superficiem, in qua pars calorigi e sole emissi reflectitur, et ab illis sorbetur; unde temperatura aërearum molecularum etiam augeatur, necesse est: aër iste, prout majorem calorigi copiam recipit, dilatatur, fit levior, elevatur et secum globulos aqueos attrahit. Inde nubium elevatio!

Quando aqua supra horizontem elevata est, recipit quoque a terra quantitatem calorigi: terra enim calorigum radians in aëra mittit, quod si nubibus occurrit, hæ tendunt ad illud ibi retinendum. Illud autem probat hanc aquam a terra excipere calorigum radians, quod, quando cælum serenum est, fit frigidius. Namque hoc in casu calorigum istud transfertur ad superiores cœli regiones, nec reflectitur; quando autem sunt in atmosphæræ gremio nubes, hæ possunt ni totum, saltem illius partem in terram remittere, sicque fit continua calorigi commutatio; atque adeo impediunt quominus temperatura imminuatur.

Ros formatur corporibus vespere refrigeratis, vaporesque, qui cum aëre in superficie corporum refrigeratorum jacente commisti sunt, in his condensentur. Corpora tum radiis calorigicis solis orbata refrigerantur calorigo radiante; nam, ut observavit D. Weelsius, quæ plus calorigi radiantis emittunt, ea etiam sunt, in quibus deponitur major roris quantitas; sicque Musschenbroeckius m-



ratus est, cum eidem aëri, e quo ros stillabat, exponerentur duæ laminæ vitrea et ferrea polita, vitream rore tegi, ferream minime vel perparum.

Weelsius demonstravit, radiatione impedita, rorem non efformari; si exempl. grat. expanditur tela in superficie herbarum ab his quibusdam pollicibus distans, ros infra telam haud deponitur, vel saltem illius quantitas multo minor est, quam in herbis aëri libero expositis. Itaque ros tantummodo cadit, uti dicere solent, noctibus serenis: nubes caloricum quocumque modo e terra proveniens terræ reddunt. Oportet etiam, ut aër sit tranquillus: ventosus obest; ejus enim motu continuo aër etiam altior miscetur et cietur atque in contactum telluris ducitur; unde ne terra aut citius aut nimis frigescat; etenim partes aëris calidioris, cum eam contingunt, aliis frigidioribus remotis, terræ aliquid caloricum reddunt, quod radiatione amisit, attamen terra hocce motu non valde calefit; sed sufficit ut caloricum æquilibrium aërem inter et tellurem restituatur. Motus aëris alium etiam profert effectum: commiscet nempe partes aëris altiores et sicciore cum illis, quæ, cum terræ proximæ sint, humidiores sunt.

Igitur corpora solida magis quam aër nocte refrigerantur, hujusque phænomeni causa petenda est ex calórico radiante. Hac ratione Bengali obtinent glaciem temperaturis superioribus  $0^{\circ}$  cent.: hujus fabricatores faciunt in planitie excavationes quadratas trium circiter pedum longitudinis ac duorum profunditatis: earum fundum cooperiunt ad pedis unius crassitudinem paleis in quibus locant series vasorum fictilium altitudinis circiter pollicis, quorum parietes aqua lente transudare potest; vasa hæc replentur aqua servata, ac ita per noctem linquuntur aëri libero exposita; hoc in statu, dum aër serenus est, vasa multum caloricum amittunt et perparum a partibus inferioribus lateralibusque tantum recipere possunt; itaque adeo refrigerantur, ut aqua, quam continent, in glaciem convertatur.

Hac pariter ratione exponitur phænomenon pruinae, quod observamus præsertim versus finem autumnii, quum noctes longiores evadunt. Tunc terra aliquando caloricum radiatione ita refrigeratur, ut guttulæ aquæ in illius superficie depositæ in solidorum statum transeant.

FINIS.

---

 TABULA.
 

---

 P R O O E M I U M.
 

---

 C A P U T I.
 

---

 D E V A P O R I B U S I N V A C U O.
 

---

Ratio vapores in vacuo explorandi.....	§. I,	Pag. 5
Differentiæ vapores inter et gaza permanentia.....	§. II,	6
Character essentialis vaporum.....	§. eod.	7
Ratio qua Daltonus vaporum vim investigat intra terminos fundamentales 0° et 100.....	§. III,	8
Ratio studendi vaporibus supra terminum ebullitionis.....	§. IV,	9
Apparatus doctoris Ure.....	§. V,	10
Alia ratio Daltoni ad metiendam vim elasticam vaporis intra 0° et 100	§. VI,	12
Hæc ratio perfecta a D. Dulong.....	§. VII,	13
Tabula vaporis aquei.....	§. eod.	15 et 16
Lex Daltoni, omnia liquida a gradu ebullitionis æqualiter distantia æqualem vim habere, accurata non est.....	§. VIII,	17
Dum mutatur natura liquidi additione substantiæ salinæ, hujus liquidi tensio minuitur.....	§. IX,	19
Apparatus D. Gay-Lussac ad vim vaporum metiendam infra 0°. §. eod.		19
Alius apparatus Gay-Lussac ad metiendas tensiones plurium simul vaporum.....	§. X,	20
Apparatus dictus manometrum ad vim vaporum etiam metiendum. §. XI,		21
De applicatione vaporis aquei in machinis et de harum constructione. §. XII,		22

Quantitas calorigi sorbetur in formatione vaporum..... §. XIII, Pag. 25  
Vapores supra terminum ebullitionis non eadem proportione sorbent  
caloricum..... §. eod. 26

CAPUT II.

DE PONDERE VAPORUM.

Ratio D. Desaussurii ad vapores ponderandos..... §. I, 27  
Ratio D. Gay-Lussac..... §. eod. *id.*  
Cautiones adhibendæ ad verum vaporum volumen noscendum. §. II, 28  
Relatio inter pondus vaporis aquei et pondus aëris..... §. III, 30  
Ratio noscendi pondus vaporum infra terminum ebullitionis. §. IV, 31  
Vapores commisti suum pondus servant..... §. eod. 33

CAPUT III.

DE PERMISTIONE VAPORUM CUM GAZIS PERMANENTIBUS.

Vires vaporum gazorumque permanentium conjunguntur.... §. I, 34  
Commistio vaporum cum fluido permanente in vase inextensibili et contra,  
dum inest summa vaporis quantitas..... §. II, 36  
Commistio vaporum cum fluido permanente dum satis vaporis non inest  
pro temperatura ac spatio..... §. III, 39  
Differentia inter vapores solos ac vapores fluido permanenti admistos,  
dum pressioni majori subjecti sunt..... §. IV, *id.*  
Idem spatium sive vacuum sive aëre plenum eandem vaporis quantitatem  
tenere potest..... §. eod. 41

CAPUT IV.

DE EVAPORATIONE.

Expositio phænomeni evaporationis..... §. I, *id.*  
Alia opinio de evaporatione antea habita..... §. II, 42

Causæ variæ in quantitatem evaporationis influentes.....	§. eod.	Pag. 43
Ratio Daltoni ad observandum aëris influentiam.....	§. III,	id.
Dum spatium vaporem jam continet, non tanta fit evaporatio neque adeo prompta est.....	§. IV,	45
De frigore evaporatione producto.....	§. V,	46
Evaporatio acceleratur multiplicatis punctis contactus cum spatio vaporem excepturo.....	§. VI,	48

## CAPUT V.

## DE HYGROMETRIA.

Ratio statuendi quantitatem vaporis aquei existentis in aëre saturato. .....	§. I,	49
Ratio Daltoni ad quantitatem vaporis statuendam.....	§. II,	50
Ratio statuendi quantitatem vaporis aquei quæsitæ in corporibus hygro- scopicis .....	§. III,	51
Hygrometrum D. Desaussurii in capillo sistens.....	§. IV,	id.
Ratio observandi actionem hujus hygrometri in vaporem aqueum. §. V,		53
Ratio statuendi quantitatem vaporis aquei in aëre existentis ope hygro- metri Desaussurii perfectæ a D. Gay-Lussac.....	§. eod.	54
Tabulæ constructæ a D. Gay-Lussac. . . . .».....	§. eod.	56 et 57
Prout hygrometrum fertur altius in atmosphæra tendit ad siccitatem summam .....	§. VI,	59
Temperatura minor est in altis atmosphære stratis.....	§. eod.	id.
Aqua in nubibus non est in statu vaporis.....	§. eod.	60

## FINIS TABULÆ.

THEODORI LENZ,

LUCILIBURGENSIS,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM A FACULTATE PHILOSOPHICA IN UNIVERSITATE

LEODIENSI

PROPOSITAM :

*POSTULATUR commentatio argumentum Theæteti ita exponens ; ut inde appareat , quænam Platonis de scientia sit sententia et quibus rationibus opposita philosophorum placita refellat ?*

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST.

*Nota.* Theodorus Lenz, natus 15 m. Nov. 1801 in loco Magniducatus Luciliburgensis dicto Schrundweiler, dissertationem, corona dignam declaratam multis perficere animo propositum habuit. Quod quo minus fieret, præmatura mors impedivit, qua carum omnibus caput 6 m. Oct. 1823 coronatum 16 ejusdem mensis ablatum est.

Φοῖβος ἔφουσε βροτοῖς Ἀσκληπιὸν ἠδὲ Πλάτωνα·

Τὸν μὲν ἵνα ψυχὴν, τὸν δ' ἵνα σῶμα σοιοί.

Diog. Laert. lib. III. segm. 45

## PROOEMIUM.

---

QUESTIO proposita quatuor mihi momenta resolvenda continere videtur.

- 1°. Argumenti Theæteti expositionem;
- 2°. Quinam fuerint Platonis adversarii, et quænam eorumdem contraria de de scientia sententiæ;
- 3°. Quomodo Plato has refellerit;
- 4°. Denique hæc ita exponantur, ut inde appareat : quænam de scientia Plato censuerit?

*Primum* in facilioribus conditum non est ; dialogica forma , methodus , qua Plato in scriptis suis placita sua enuntians uti solet , maximas certe opponunt difficultates. Verum enim est , quod recentiorum quis effatus est , *Platonis et Raphaëlis operum pulchritudinem et præstantiam nonnisi longa contemplatione sensim percipi* ; ut juveni desperanda res videatur , nisi forte , quod alumno academico haud facile contingit , largo otio utatur. Opus ipsum itaque post primum conamen dereliquissem , nisi a Facultate non majora quam quæ a philosophiæ et litterarum humaniorum studioso præstari valeant , postulari existimassem. *Alterum* quod quæritur , inextricabile videtur opus , quum Plato adversarios , quos aggreditur , raro nominet , uniusque sub nomine alios multos , integramque non raro scholam impugnare soleat. Coævis allusiones levissimæ sufficiebant in rebus his discernendis , cum omnia omnibus , ut ita dicam , vulgata notaque essent : nostra autem ætate remotissima deficientibus plerumque historiæ philosophiæ fontibus et peritissimos viros ignorantiam suam hoc in campo fateri non pudeat. Hac re factum est , ut nonnisi suspicione quadam sæpissime de philosophis , qui refellantur , atque de eorum effatis loqui possem , quod equidem juveni jure concedendum videtur , in quo tale opus nonnisi exercitatio majora antecedens et

imperfectus debilisque conatus habendum est. *Tertium*, quod mihi perficiendum erat, ex ipsa expositione, si modo rite instituta sit, clarum esse debere existimans in declarandis singulis argumentorum momentis, quod æque superfluum atque onerosum plerumque fuisset, large morandum mihi non putavi. *Quartum* denique tum ex Theæteto deducendum, tum ex aliis, qui supersunt, Platonis dialogis colligendum erat, sicuti et alias non raro ad eruendam philosophi sententiam ad alios dialogos recurrendum erat. Hoc loco iterum fatear necesse est, quod neminem latet, unum ad pervolvenda Platonis opera annum haud sufficere, nisi forsitan qui exclusive hoc opere teneatur. Ea tamen, quæ collegi fini proposito mihi sufficere videntur, ideoque facultati consultissimæ tentamen, quamvis multo respectu non perfectum, tradere ausus sum.

Ut rerum ordo clarior appareret, Dialogi materiem, in unum quidem compositam finem, attamen angusto nexu junctam et variam, in suas partes sequenti modo dispescui :

1) *Introductio in dialogum de scientia. CAP. I. — VIII.*

2) Dialogi PARS I. *Sensus non est scientia. CAP. VIII — XXXI.*

SECTIO I. *Adversarium doctrinæ expositio.*

SECTIO II. *Eorundem refutatio.*

3) Dialogi PARS II. *Opinio non est scientia. XXXI — LIV.*

SECTIO I. *Rectæ opinionis determinandæ inutiles conatus. Opinio recta scientia non est.*

SECTIO II. *Recta opinio juncta explicationi non est scientia.*

Hac divisione multum mihi lucis affulgere visum est dialogo, qui primum legenti inextricabilis labyrinthus apparet, quo in fine pejori modo implicitus teneatur ac in exordio.



---

## INTRODUCTIO IN THEÆTETUM.

---

§. 1. PLATO quæstionem de scientia inchoaturus Theæteti, cujus nomine dialogus inscriptus est, laudes profert, e quibus colligimus, quanto amore præstantem hunc discipulum amplexus fuerit. Narrat enim, Socratem brevi ante mortem Theæteto admodum juveni confabulatum de eo prædicasse, virum quondam eximium fore, si ætatem attigisset. Neque Socratem falso talia prædixisse, cum Theætetus postea egregiæ virtutis virum sese omnibus exhibuerit. Eundem oris quidem deformitate Socrati haud absimilem, ingenii vero dotibus et indolis candore omnibus longe superiorem fuisse, quum maximæ docilitati et memoriæ vi tam mitem, tam æquum ac constantem animum jungeret, ut æqualis haud facile illi quis posset inveniri. Tanto naturæ favore factum esse, ut in juventute mira jam perficeret. Mathematices præceptore Theodoro Cyrenaico (1) usum hujus doctrinæ magnam cognitionem consecutum fuisse, ut hac re præcipue inter omnes emineret. Patrem ejusdem, Sophronium Suniensem, virum et indole et opibus spectandum, filio teneræ admodum ætatis magnas divitias reliquisse: bonis autem maximam partem, tutorum perversitate deperditis, adolescentem tam liberali pecuniæ usu sese commendasse, ut et hac re maxime laudandus omnibus se præstantissimum monstraverit. Socratis cum Theæteto hoc colloquium ex illius narratione et correctione conscriptum Plato se proponere lectori fingit, quodsi fidem illi habere possemus, integrum fere *socraticum* dialogum haberemus, quem tamen post Socratis mortem compositum et vulgatum fuisse, ex hac præfatione jure defendimus (2).

Theæteti  
laudes  
Cap. I et II.

---

(1) Geometra nimirum, a Theodoro Cyrenaico philosopho bene distinguendus. Vid. Diog. Laert. lib. II. segm. 103. Editio Meibonii Amstelodami 1692.

(2) Conf. Schleiermacher: introductio in Theætetum, ubi plura hac de re proferuntur, quæ ad præsentis commentationis fines non spectant.

Cap. II et III.  
Dialogi  
argumentum.

§. 2. His in honorem discipuli allatis, Plato sequentibus dialogi argumentum proponit : 1°. Nonnisi periti cujusvis in re qualibet effatum valere : musici de concentu musico, pictoris de imaginibus opinionem tantum majoris esse habendam : peritiam itaque illius, qui opinionem suam de re aliqua proferat, in examen esse vocandam, ut decernere possimus, quid illi tribuendum sit? 2°. Quæstionem maxime difficilem esse resolvendam an peritia, quam vocant (*σοφία*) a scientia differat, nec ne? hanc autem in rem esse inquirendam. Ad primam sententiam quod spectat, Plato eandem in dialogi parte priori defendit contra eos, qui cuilibet sensui veritatem et quidem valorem scientificum absolutamque certitudinem tribuentes omnem opinionem cujuscumque hominis æquo jure veram esse contendebant. Probat autem, merum sensum neque ad peritiam neque ad scientiam usque pertingere. Altera in parte monstrat, peritiam, ceu veram opinionem ab experientia profectam ad scientiæ certitudinem nunquam posse ascendere, hanc per consequens in omni experientiæ dititione nullibi deprehendi (1).

---

(1) Hoc Platonem ab altera II<sup>di</sup> capitis parte ad cap. IV voluisse, non omnes forsitan mecum consentient. Hi vero sequentibus uti poterunt argumentis : 1°. Platonem accidentaliter modo locutum fuisse, ita ut, quæ in fine Cap. II dicantur, tanquam leve præludium dialogi materiam non spectans consideranda sint. Quæstionem autem : an peritia et scientia differant? eum in finem tantum moveri, ut ad materiam propositam de scientia posset. 2°. Non recte *σοφίαν* peritiam dici, quum usu vulgari *sophia* et pro scientia sumi solita fuerit, recteque conjiciatur, a vocabulo minus determinato (*σοφία*) ad magis determinatum (*επιστημη*) transitum fieri. (confer Schleiermacher in nota ad Theætetum, ubi contrariæ versionis hujus vocabuli rationem reddit) Ad hæc autem respondeo : 1°. Platonem male intelligi, si ea, quæ supervacaneum in modum passim introducta videantur, ideo rei non conjuncta habeamus. 2°. Primam positionem continere quæstionem in priore dialogi parte resolutam : altera vero aperte secundæ partis problema propositum esse, si modo vocabulo *σοφία* eam significationem tribuamus, quam illi jure tribuere debemus. Quæstiones itaque modo enuntiatis rei in dialogo pertractandæ arte esse conjunctas. Peritiam (*σοφίαν*) quod attineat, me huic voci eam tribuere significationem, quam ipse Plato in Theæteto infra definivit, ubi peritos *σοφους* vocat, quibus scientiam paulo post denegat. Conf. Diog. Laert. Lib. III segem. 63. cum nota ad hunc locum adjecta in edit. Meibonii. Schneideri lexicon in voce *σοφισ* et *σοφία*. Arist. de moribus cap. 7 princ. Platonis Apologia Socr. cap. 5-9.

§. 3. Ad quæstionem modo propositam : an peritia a scientiâ differat? respondere non possumus, nisi prius definiamus, quid sit scientia. Inde primo omnium docendum erit, qualis illa, quam quærimus, definitio esse debeat. Hac autem de re sequentia statuenda videntur :

Quænam  
scientiæ defi-  
nitio quæ-  
ratur.  
Cap. IV et V.

Vulgari ista responsione : scientiam esse Geometriam, Astronomiam, variorum opificum artes, nihil perficimus; ante omnia enim definiendum erit, quid sit scientia in genere, quod si negligamus, singulas scientias enumerando frustra fatigamur. Si enim dicamus, scientiam esse Arithmeticam, quid aliud dictum volumus, quam, eam esse scientiam numerorum; sique scientiam esse cerdonicam definiamus, iterum nil proferimus, nisi eam conficiendorum calceorum esse scientiam! (1) Idem de reliquis omnibus valet. Sed non hæc erat quæstio, multo potius : quid sit scientia in genere? Quam si ignoremus, nihil sane proderit ulteriores rei *ignotæ* determinaciones adjicere. Inutili denique labore per longas ambages singulas res recensendo discurrimus, cum genus paucis determinasse sufficeret. Si e. g. quis quæreret, quid sit limus? Esse eum terram aqua mixtam simpliciter responderemus, reliqua omnia tanquam ad quæstionem non spectantia omittentes.

Qualis vero definitio scientiæ quæsita esse debeat, ut justam habere possimus, exemplis e Mathematicorum doctrina desumptis docemur. Hi enim numerum, qui ex alio per se multiplicato oriri potest quadratum, et eum qui alio per se multiplicato produci nequit, numerum oblongum definiunt; figuras vero omnes numerum planum æqualibus compositum lateribus quadrantes, longitudes, quæ vero oblongum numerum circumscribunt, potentias vocant (2). Talis scientiæ quæritur definitio, problema quod in difficillimis reconditum est.

E modo dictis perspicimus, Platonem recta definitionis notione usum fuisse; quantum vero huic rei tribuerit, e maxima illa cura, qua eam non solum in

(1) Nova omni titulo hæc de scientia quæstio erat. Græci enim eam a peritia (*σοφία*) distinguere non solebant; inde confusio illa artis, peritiæ et scientiæ, cujus vestigia hoc loco deprehendimus. Platonem igitur hac disquisitione summopere de philosophia meritum esse, non habeo, quod moneam.

(2) Vide Schleiermacheri notam ad hunc locum.

Methodus.  
Cap. VI  
et VII.

Theæteto, sed etiam in Menone exponit atque dilucidat, compertum habemus.

§. 4. Plato problemate ita exposito, antequam quæstionem resolvendam ipsam aggrediatur, de methodo, qua hoc in dialogo, sicuti in reliquis scriptis suis utitur, aliqua disserit. Methodus autem hæc, qualis illi probata esse debuerit, tum ex ipsa, quam de philosophia et cognitione humana conceperat idea, tum ex iis, quæ in Theæteto et aliis dialogis statuta reliquit, facile colligere poterimus. Probare enim studuit in Menone et in Phædone (1) ideas a priori, quas nos vocamus, independentes ab experientia homini inesse, quippe quæ experientiæ omnis rationem et scientiæ stricte talis materiam contineant. Easdem tradi ab alio nemini posse, multo potius in vita quadam ante humana memoria conditas in edocendi animum revocentur. Cum vero homo nonnisi propria actione eorum, quæ antea quondam didicerit, reminiscatur, methodum scientiæ in homine percolendæ in eo tantum consistere, quod ea, quæ menti humanæ jam insint, veluti arte quadam obstetricia in lucem producantur, atque ad claram reminiscentiam promoveantur. Hominis autem ea est vulgo indoles, ut se scire putet ea, quæ memoria tantum recondita possidet; quo fit, ut primum methodi munus hoc esse debeat, ut docendum in saluberrimas angustias deductum hoc ipso fateri sibi cogat, se ignorare ea, quorum scientia se gaudere falso existimet; hac enim re ad agendum atque ad reminiscentiam in se provocandam excitatur. Hæc si consideremus clarum erit, quid Plato sequenti Socraticæ methodi descriptione dictum velit, atque quemadmodum et in Theæteto undique nonnisi angustias parare studuerit (2).

Methodum hanc, quam præstantissimam continuo summis effert laudibus atque commendat, accuratius expositurus, Socratem de arte sua obstetricia ita loquentem introducit: Filium se Phænaretæ obstetricis vulgo vituperari a plurimis, quod ineptissimus ipse, alios nonnisi ad dubia deducere valeat. Id autem ideo fieri, quod sibi a Numine divino eadem quam mater exerceat ars, præscripta sit. Obstetricem enim, jubente religione Græcis sacra, esse nullam, quæ

(1) Cap. 19. sqq.

(2) Conf. Theæt. Cap. XLIII. edit. Tauchnitiana Lipsiæ 1821.

proli procreandæ adhuc obnoxia sit, nullam quæ partum nunquam in lucem ediderit; hoc enim munus iis, quæ propter ætatem pariendo impares habeantur incumbere. Obstetricem enim optime omnium dijudicare, an gravida quædam uxor sit, nec ne? eam porro pro lubitu parientium dolores et provocare et lenire, ægre parientes ex angustiis solvere, et si visum sit, abortum parare. Ipsam denique et aptissimam esse pronubam, dum omnium maxime scire debeat, quali viro quævis uxor nubere debeat, ut inde proles quam perfectissima procreetur, quamvis ab hoc munere, bonæ famæ servandæ causa abstinere soleat.

Eadem vero de arte sua censenda esse, si excipiamus, quod illa major et sublimior viris, non fœminis, præsto sit, animos non corpora inspiciat, quod denique et hoc inter maxima et difficillima positum obstetriciæ suæ sit dijudicandum: an deforme et falsum, anne potius bene constitutum quid et verum procreatum fuerit. Sibi, uti obstetricibus, concessum non esse, ut aliquid sapientiæ ipse proferat, sed obstetricia arte sua parientibus auxilio esse, ita quidem ut tantum absit, ut aliquid doceat, ut multo potius *quilibet ex se pulchra plurima inveniat*. Qua re factum esse, ut multi omnia hæc sibi adscribentes animo elati a se abierint, qui denique artis suæ auxiliis destituti, mala usi societate animo hebetes et indociles postea visi sint. Similiter eos, quibus intersit, doloribus angi, quos vel provocare vel lenire possit; denique se illorum, qui nulla prole gravidi sint, optimum pronubum esse, dum ei quemque conjungat magistro, quo maxime augeatur. Eadem ratione se in præsentem non nisi alienos partus inspecturum nil ex se proferentem, ut appareat, an imaginationis idola, an veri habendi sint. Aliorum sententiis sese uti, ut hoc medio propriam discentis prolem in lucem protrahat.

Methodi hujus descriptio digna sine dubio est, quam serio perpendamus; quid in educatione valeat, conatus monstrant clarissimi nostræ ætatis viri *Pestalozzi*, qui eam in scholas iterum introduxit, aut potius de novo invenit. Ea perspecta tantum Platonica scripta justa ratione intelligere poterimus; cumque ex ipsa Platonis de scientia idea profluat, et cum illa arctissime cohæreat, ejus expositionem in Theæteto suo loco versari puto. Cæterum eam ad Platonis de scientia sententiam cognoscendam multum conferre, ipsa re clarum est.

# THEÆTETI DE SCIENTIA,

## PARS PRIOR.

SENSUS NEQUE AD SCIENTIAM NEQUE AD OPINIONEM PERTINGIT.

### SECT. I. *Adversariorum doctrinæ expositio.* (CAP. VIII–XVI.)

Empiricorum  
pars.  
Cap. VIII.

§. 1. Plato primam ad quæstionem : quid sit scientia? Theæteto responcionem tribuit, *sentire* nos quæcunque sciamus, inde *scientiam nihil aliud esse quam sensum* (1). Quam sententiam statim eandem declarat, ac illam Protagoræ, qui aliter rem enuntians statuerit : Hominem esse mensuram omnium, quæ sunt, ut sint, et eorum, quæ non sunt, ut non sint, (2) sive quod idem est, quæ cuivis videantur, et ei, cui videantur, revera esse, (3) quod nos ita enuntia-remus : criterium omne veritatis esse mere subjectivum. Hoc autem suo more sequentibus dilucidat : Experientia vulgari Protagoræ sententia jam fulcitur : eodem enim vento flante alium friget, alium non friget; qua re ventum vel frigidum vel non frigidum simul accipiamus, vel cum Protagora defendamus, necesse est, huic frigidum viderit, et esse, cum illi neque frigidus videatur neque sit. Hoc in casu illud, quod sentimus, ipsum illud est, quod nobis videtur; in calidis itaque et frigidis, dulcibus et amaris, et omnibus ejusdem generis rebus, de quibus facile defenditur, eas revera esse privatim illi, cui appareant, sensus et phantasia coincidunt. Phantasiam vero Plato eam vocat cognitionem,

(1) Conf. Arist. Metaph. III. 5.

(2) Protagoras apud Diog. Laert. lib. IX. segm. 51.

(3) Conf. Arist. I. c.

quam nos inanem, appellare consuevimus, eam nimirum, qua rei alicui prædicatum adhibetur, quod eidem re non competit. (1)

Hoc autem nil aliud dictum vidimus, quam res sensuales, in se consideratas nulla distinctas esse forma, multo potius earundem notas in intuentium animo tantum, non in ipsa re existere. Protagoras et ejus pedissequi sensui ita considerato scientiæ valorem tribuentes, illum numquam fallere, multo potius sufficiente certitudine præditum esse docuerunt, (2) indeque eadem ætate, qua Gorgias Leontinus scepticam doctrinam suam Eleaticis superstrixit fundamentis, hi contrariam partem secuti, maxima temeritate: *omnia esse vera, mendacium nullum neque in cogitatis neque in sermone*, (3) contendebant. Rejectis enim omnibus præter sensum et sensibilia eo devenerunt (4) ut igitur præter hanc omni respectu particularem et in se reclusam existentiam, præter vanam hanc et falsam cognitionis speciem homini nil relinquerent. Systema tam perversum Protagoras ab Heracliti noto placito: *fluere omnia fluminis instar, nec unquam consistere quidquam, fieri omnia ex contrarietate*, progrediens in fines suos sophisticos construxit (5): et quidem primo exin probare studuit *de nulla re affirmari serio posse, quod talis potius sit, quam alia*, (6) nihil enim esse aliquid in se; sed motu, mutatione, commixtione et ex relatione mutua omnia continuo fieri, de quibus falso, quod existant, prædicare soleamus. Posito, rei cuius in se talem non potius, quam aliam quamcunque formam adscribi posse, et hoc admittere poterat, *nihil in se unum esse atque determinatum*, et aliud, quod illi placuit, *duas cuiuscumque rei rationes oppositas esse* (7).

Hæc equidem omnia ex dogmate Heracliti de motu continuo deducere licebat empiricis: corpora enim in status contrarios continuo abeuntia videntes, ergo eadem

(1) Ita Plato phantasiam declarat in *Sophistæ* cap. XXXXII.

(2) Vid. *Theæt.* cap.

(3) *Diog. Laert.* lib. IX. ségm 51. *Cratylus* Cap. XXXVIII, *Sophista* cap. XLIV.

(4) *Τά δ' ἄντα ὑπέλαβον εἶναι τὰ αἰσθητὰ μόνον.* *Artst. Metaph.* III. 5.

(5) *Ariot.* l. c.

(6) *Ὡς οὐκ εἰν ἀντιλογίαι.* *Diog. Laert.* IX. 53.

(7) *Diog. Laert.* IX. 53.

in se determinata natura non gaudere defendebant (1); mutationes in mundo sensibili conspicuæ rerum originem et interitum proferunt, quod sine motu et alteratione fieri nequit, inde motu (*κίνησις*) omnia necessario provenire; relatione tantum res aliquid esse, qua mutata res ipsas mutatas affirmabant. Si vero motu omnia tantum talia sunt, vi naturæ quies rerum existentiae contradicit, ergo neque est aliquid, sed continuo fluxu omnia continuo oriantur et intereant necesse est. Quanam ratione ii, qui omne principium rerum præter materiam nullum habebant, rem suam aliter servare poterant? Posito enim continui motus principio ab angustiis liberabantur, ut ad quæstionem: quænam motus universi causa sit? respondere non amplius deberent. (2) Neque ii, qui Heraclytum non solum paradoxum, sed ridiculum putant, ejusdem doctrinam bene perspicere videntur.

Systema hoc antiquissimum nobis a plurimis philosophis translatum est. Dum enim Heraclytus e contrarietate (oppositione) rerum omnia fieri atque fluere fluminis instar defenderet (3), cum Protagora hac re consentit. Heraclytus vero idem, dum sententiam suam mythologice ita enuntiaret: Tempus et Rheam (semper motam et mutatam substantiam) originem rerum esse, quidnam aliud dicere voluisse videtur ac Homerus, qui Oceanum deorum patrem et Thetin matrem vocat, (4) quo omnia ex motu et fluxu orta significare videtur. Ante Homerum adeo vestigia systematis hujus inveniuntur: apud Orphicos scilicet. Quæ enim in Orphei carminibus leguntur Oceanum cum sorore Thetide primo omnium matrimonio junctum fuisse (5), cum Homero omni capite consentiunt (6).

(1) Arist. Metaph. I. c.

(2) Arist. I. c.

(3) Diog. Laert. lib. IX. seg. 8. Arist. Met. III. 5 et frequenter alias.

(4) Iliad. XIV. 201. — Addimus versum ejusdem Iliadis libri 246: *Ὠκεανὸν ὄσπερ γυνεῖσσι πάντισσι τίτυκτο.*

(5) Versus duo orphici citati inveniuntur a Platone in Cratylī capite 9<sup>no</sup>. Huc referri potest et locus carminum orphicorum, quæ ad nos pervenerunt. Hymn. XXII. 4. si tantum de illorum authenticitate satis constaret. Hoc vero cur utamur, non habemus, si addamus, quæ Creuzer in symbolicis hac de re disseruit.

(6) Hunc locum ad ductum capitis noni Cratylī exposui, cum ibi Plato largius exponat,



Simili ratione et Epicharmum motus doctrinam probasse, Plato defendit, quod neque illis repugnat, quæ nobis ex viri hujus scriptis paucissima supersunt. (1)

Dein huc refert Empedoclem, quem disjunctione et conjunctione elementorum agente tum amicitia tum discordia, originem rerum explicasse constat. (2)

Ipse jam sententiam illam enunciaverat, quam Protagoras et Cratylus postea melius expendebant, esse nimirum mutationem ipsius sapientiæ, neque cognitionem aliquid in se continere quod vicissitudini universæ obnoxium non sit. Hanc rem æque Aristoteles ac Plato Empedocli tribuunt. Confirmatur hac re Platonis opinio, quæ plurimos et antiquiores empiricos ad unum hoc punctum pertendere contendit, ut omnes fere unius ejusdemque doctrinæ sectatores habere debeamus. Quod si hoc decernere ipsi nos deficientibus historiæ philosophiæ fontibus non possimus, Platoni aliquam saltem fidem negare nequimus. Omnes denique Jones accuratius considerantes perspectum habere poterimus, omnes uno Anaxagora excepto, qui mentem (νοῦς) principium movens extra materiam admisit (3), omnes dico, in eo fuisse, ut ex motu rerum universi originem deducerent. Atomistas continuum illum motum admisisse, multis testimoniis constat, præcipue tamen Leucippum hoc loco respiciendum putamus, cum Democritus scientiam strictiore sensu non solum negaret, sed etiam sensui veritatem nullam tribueret (4).

Tot tantosque sibi adversarios Plato hoc in dialogo sumpserat, plurimos nimirum eorum, qui ante illum empiricis principiis doctrinas condiderant, quorum præcepta et sentiendi rationem in Gorgia et alias ethico respectu aggressus est. Quibus altera ex parte eos opponit, qui sensum omnem ad illusiones inanes referebant (5).

quæ in Theæteto indicavit. Cæterum ejusdem sententia multum dilucidatur etymologiis, quas in Cratylo legimus, ex. gr. Hestiæ. Locum ipsum Theæteti paululum corruptum suspicor.

(1) Vid. Diog. Laert. lib. III, seg. 11. — Arist. Metaph. III. 5. Arist. Physicor. cap. I. princ. De cælo lib. III. 2. Metaph. I. cap. 4.

(2) Arist. l. cit. Idem de cælo lib. III, cap. 2. id. Metaph. III. 5.

(3) Arist. de cælo III. 2.

(4) Arist. de cælo III. 2. Metaph. III. 5.

(5) Eleatas nimirum, de quibus infra.

Platonis tempore philosophi in oppositis hærentes in angustias quam maximas devenerant. Qui enim vel Ionum vel Atomistarum partes secuti æque in extremis versabantur ac ii, qui eleaticæ doctrinæ nomen dare mallerent. Alii inter utrosque suspensi ad sophisticam doctrinam, et si res serio sumerent ad scepticismum, uti Górgias Leontinus, deducerentur necesse erat. Platonem hac ex desperatione rem philosophicam salvare studuisse, e Theaeteto et Parmenide sicuti ex aliis ejusdem scriptis conjicimus (1). Empiricos ea, qua philosophabantur via, omni scientia necessario frustrari; contrariam vero partem, quæ pluralitatem rerum negabat æque in errore versatam esse, hoc sibi Plato probandum sumserat. In Theaeteto tamen nonnisi eos impugnat, qui materiam motam principium rerum defendentes sensui veritatem tribuebant. Horum doctrinam primo omnium accuratius exponit ipseque fulcit, quo facto eandem argumentis suis destruere conatur.

Argumenta  
Heracliteo-  
rum.  
Cap. IX.

§. 2. Ad tantam Homeri ducis et omnis ejusdem exercitus auctoritatem, cui repugnare ridiculum videtur (2), accedunt et alia, quibus eorundem systema confirmatur. Monstrat enim experientia, motu oriri ea, quæ esse nobis videantur et fiant; quiete contra interire. Ignis ipse, ex quo reliqua omnia oriuntur, ex motu et tritura procreatur (3), recte igitur motu omnia progenita prædicamus. Eodem ex fonte et animantium genus promanat, quorum corpora otio et inertia deperdi, motu conservari et augeri, experientia docemur. Eadem valent et de anima, quæ discendo et diligentia, tanquam motibus, cognitiones acquirit, quum inertia et indocilitate, tanquam quietis speciebus, non solum nil discat, sed etiam, quæ antea didicerit, amittat. Quid tandem de ventorum et maris et aliorum ejusmodi quiete, quæ putrefactionem et interitum afferunt iisdem rebus, quas motus servare solet? Ne denique aliquid desideretur et Homeri auream catenam addamus, qua dicere videtur: quamdiu universus

(1) Conf. hac de re Schleiermacher prolegomena ad Theaetetum.

(2) Arist. Metaph. I. c.

(3) Secundum Heracliteorum vulgatum de igne placitum. Diog. Laert. IX. 7. Plut. de pl. ph. I. 3.

orbis et sol moveantur, salva in diis et hominibus existere omnia, quæ si tanquam ligata consisterent, omnia interitura et inversum iri (1).

§. 3. Secundum principium nihil in se unum determinatum esse, omnia contra continuo e motu oriri, progredientes accipiamus primum: colorem quem vocemus, nihil esse neque in oculis neque extra oculos; neque locum eidem tribuamus: alias enim jam esset et consisteret alicubi, neque ortu tantum oriretur. Color vero producitur appulsu oculi ad motum conjunctum, neque tamen est illud, quod adpellit, neque quod adpellitur, sed aliquid inter utrumque versatum et quidem intuenti cuivis privatim ortum. Primo enim omnium defendere nemo poterit, aliis hominibus colorem eundem videri, qui nobis, attamen propria experientia persuasum habemus, nobis ipsis non semper res apparere easdem; dum in diverso statu versantibus alii continuo sensus oriantur, sentiente nimirum et sensili continuo fluxu dilabentibus.

Accedit ad hæc et sequens argumentum, quo Protagoras et ii, qui ex iisdem, quibus ipse, partibus stabant, adversariis angustias parare conabantur. Ponimus enim tanquam nullo dubio obnoxium 1°. nil vel numero vel extensione vel majus vel minus fieri, quamdiu sibi ipsi æquale maneât; 2°. si rei neque aliquid addatur, neque ab illa auferatur, eandem semper manere sibi æqualem. 3°. Quod antea non fuerit, posterum existere non posse, quin procreatum vel factum sit. Axiomata hæc vero, si res in se determinatæ essent, in animo nostro repugnarent; objectum enim cum alio collatum aliud non evaderet, quin in se fuerit mutatum, quod tamen frequentissime occurrit. Sumamus ex. gr. fabas sex, quas si cum aliis quatuor conferamus, plures sunt et quidem dimidio; eadem vero sex ad duodecim alias relatæ pauciores sunt et quidem dimidio, neque aucto; neque diminuto numero. Ergo accipiendum erit res in se nihil esse; sed quæ videantur existere, ex relatione tantum ad alia oriri.

Sophistica hæc artificia homini quidem nunquam serio persuadent, attamen

---

(1) De Homero non nisi jocantis in modum tantum ea proferre potuit, nisi forsitan alio quodam loco, quam Iliadis VIII. v. 17 seqq. usus sit. Conf. Schleiermacher notam ad Theæt. — Arist. Metaph. l. c. ubi simile argumentum ex Homeri versibus deductum invenimus.

angustias et philosophicæ artis pugilatoricæ occasionem præbent. Magnitudo idea relativa est, quæ nulli objecto in se tribuitur, cum relationem tantum inter duas res concernat, quin res ipsas in se tangat. Si itaque Sophista aliquid probare voluerit, monstrandum illi fuerat: relationem hanc et quidem eandem modo contrario posse dijudicari, magnum scilicet simul et parvum continere. Hac ratione argumentum sophistarum nobis propositum refutatum invenio in Phædone (1). Hoc immo doctrinæ platonice principale illud placitum reconditum est, materiam quidem ex uno statu in alium oppositum transferri, ideam vero esse immutabilem, atque æternam; inde e mundo materiali, qui vanas tantum rerum species nobis offerat, in regionem beatam immortalium idearum, ceu scientiæ esse aufugiendum. (2) Protagoras vero et qui cum illo iisdem principiis utuntur, quamquam non omni respectu ad rudes istos pertineant, qui præterea, quæ tenaciter manu prehendere valeant, rejiciunt, ad systema de motu recurrentes, sequenti ratione, si eorum placita in ordinem redigere velimus, phantasma illud explicant.

Systematis  
de motu ar-  
gumentum.  
Cap. XII.

Universum motus est, hujus autem duæ sunt species, utraque numero infinita, passiva altera et altera activa. Ex earum communiione et tritura procreantur res, infinitæ quidem, sed duplicis generis: sensibile et sensus cum sensibili simul progenitus. Sensus vocamus visum et auditum, olfactum, frigora et sensus caloris, voluptates et tædia, desiderium et metus, infiniti quidem nomine carentes, multi vero nomine gaudentes. Cuivis sensui cognatum est sensibile genus, visui colores varii, auditui variæ voces, alia aliis. Quæ velocia cum remotioribus mota velocia, quæ tarda cum propinquis tarda procreant. Si jam oculus et aliud illi congruum candorem et visum huic respondentem protulerint, quæ altero in aliud offendente non eadem provenissent, utroque movente, visu ad oculos, et colore ad objectum candorem proferens oculus visu repletus non visus, sed oculus videns factus est, similiter colorem proferens res candore impleta non candor; sed res candida evasit. De reliquis idem cen-

(1) Cap. 9. seqq.

(2) Conf. Phædonem passim. Arist. Metaph. III. 7.

sendum. In omnibus vero caveamus necesse est, ne aliquid neque unum in se, neque adeo activum aut passivum habeamus (idem enim tum passivum tum activum est) multo potius omne quodcumque *alicui* ex mutua relatione fieri. Inde nec ulla neque in generalibus, neque in particularibus rei qualiscunque determinatio admittenda, multo potius undique essentia proscribenda, nullum rei prædicatum concedendum. Omnia continuo fluxu oriuntur, mutantur, intereunt: nihil in se revera est, et quæ cuivis videantur, huic privatim et vera sunt.

§. 5. Cum Protagoræi omnia vera esse defenderent, quæ cuivis appareant, et somniis et nausæ, et quæ sunt ejusmodi, eundem, quoad veritatem valorem impertirentur, necesse erat, ac aliis sensibus. Remanet igitur systematis pars, quæ illusiones sensus, somniantium, vesanorum et ægrotorum phantasmata concernit, quæ omnia falsam esse doctrinam arguunt. Somniantes enim et morbis variis et vesania laborantes sensus habere solent, qui in statu vigili et sano habitis contrarii inveniuntur, quibus veritatem tribuere ridiculum et absurdum esset. Protagoras vero et ii, qui eadem castra sequuntur et has repræsentationes, si principiis suis consequentes manere velint, veras habere debent, ut ergo absurda defendere cogantur, et doctrina eorum cadat. Porro certum criterium nobis est nullum, quo dijudicare valeamus, an somniantes an vigilantes sensu aliquo affecti simus. Sequitur inde tantum abesse, ut sensui cuilibet veritatem concedere debeamus, ut multo potius æquo jure omnia sensu præcepta ad inania phantasmata referamus. (1) Quo fit, ut contendere nemo possit, sensum esse scientiam, nec ea, quæ cuivis videantur, eidem et vera esse. Ad eandem rem insanientium observatione deducimur, de quibus idem ac de somno affirmandum, eo tantum excepto, quod in hoc somni et vigiliarum tempus æquale, in vesania inæquale sit; qua re nil immutatur. Veritatem enim temporis pro-  
tensionem dijudicare ridiculum sane haberetur (2).

*Somniis et illusionibus omnis generis tribuunt Protagoræi veritatem.*  
Cap. XIII.

Talia objicientibus Protagoras et alii, qui idem sentiunt respondere poterunt:

(1) Arist. Metaph. III. 5, ubi ultima hæc sententia recensetur.

(2) Conf. Arist. Metaph. I. c. ubi eadem momenta inveniuntur.

Illud, quod ab alio diversum sit, huic esse inæquale, sed diversum et quidem omni ex parte diversum. Si itaque rei alicui contigerit mutari, diversam a se et sibi inæqualem evasisse. Passivorum autem, uti supra dictum est, et activorum infinitorum quodcumque, prout cum alio quovis in relationem deveniat, diversa procreare, et aliud evadere. Jam vero hominem dormientem diversum esse a vigilante, vesanum aut ægrotum a sano, consequenter necessario altero in statu alia procreari, aliosque sensus oriri, eandemque rem vigilanti aliam videri ac somnianti, vesano aliam atque sano. Utroque autem in casu representationibus æque veritatem esse tribuendam. Ægroti ex. gr. vinum acerbum videri, quod eidem sano dulce sit; vinum scilicet cum ægro in relatione potus versatum aliud necessario producere, ac si cum sano congressum intermedium aliquid aliud genuisset. Systema motus itaque hoc argumento nullomodo destrui.

Doctrinæ  
confirmatio.  
Cap. XIV  
et XV.

§. 6. Hisce dictis unum hoc tantum superest monstrandum, doctrinæ huic aliquam inesse necessitatem, qua fulciatur, ne eam ad vanas hypotheses referre cogamur. Hoc autem fit sequentibus : Quo tempore eadem ratione affecti sumus, iidem remanemus, alii itaque alia tantum affectione reddimur. Aliter vero affici, vel alium sensum nancisci non possumus, nisi cum alia re in relationem deveniamus : ut enim sensu aliquo affecti simus, *aliquid* sentiamus necesse est. Ergo sentiens animus per relationem ad rem sensibilem tantum tale aliquid est. Eadem ratione autem et sensibile (objectum) quale aliquid non est, nisi sit alicui, dulce enim, et nemini dulce esse, absurdum jure habetur. Qualitas itaque et objecto eatenus tantum tribui potest, quatenus cum subjecto in relatione versatur. Sequitur inde, neque sentienti, neque sensili existentiam in se competere aliquam, multo potius eandem ex mutua relatione tantum oriri; porro, cum relatio illa respectu cujusvis subjecti alia sit, huic tantum objectum quodcumque tale videri et esse, non autem alii. Denique sensui omni tanquam sentientis existentiae vi naturæ suæ conjuncto, veritatem competere et quidem summo jure, cum affectio quævis animi ipsius determinatio habenda sit, cui certitudinem nullo modo possumus denegare. Quibus positis concludere licet, sensum esse scientiam, quum secundum modo allata veritatis necessitatem in se contineat. Derivatur sententia hæc ex Homeri et Heracliti et eorum pedissequorum dog-

mate *fluere omnia fluminis instar*, et ex Protagoræ sapientissimi (1) illius placito : hominem esse omnium mensuram , seu *omne criterium veritatis esse mere subjectivum*. Omnia enim variorum philosophorum , quos supra enumeravimus , placita arctissimo inter se vinculo continentur , atque in unum systema coalescunt. Omnes nimirum scientiam in sensuum civitate , et quidem in hac sola quærendum statuunt. Cum vero sensilia cuncta sola oppositione conspicua , neque firma maneant , neque tanquam consistentia capi atque teneri possint , inde omnem veritatem permanentem negare , omnemque cognitionem ad vanam aliquam fluxui æterno et necessario rerum obnoxiam restringere coguntur.

Cum dein iidem sola rerum relatione omnem veritatem contineri , vi principii cognitionis admissi defendere deberent , cognitionis communionem inter homines omnem omnino tollebant , deficiente scilicet criterio , quo omnes veritatem rerum eandem cognoscant. Quo posito homo ad eam sentiendi rationem necessario deducitur , qua sibi soli vivit , sibi soli , et ex relatione rerum ad se omnia dijudicat , sibi soli agit , ad se omnia refert , quæ denique omnem societatem humanam evertit atque destruit. Neque sine jure Plato hæc ita deducit ; quid enim empiricis remanebat præter tristem hanc et vilem vitæ humanæ speciem , negato communi rerum principio , quod eam ingressi cognoscendi viam nullibi deprehendere poterant.

Adversariæ partis doctrina hoc modo composita et in ordinem redacta Plato eandem examini submittit , monstraturus , veritatem vere talem sensui nullam esse , consequenter hujus in ditione nullam omnino scientiam inveniri. Quod qua ratione perfecit , ex argumentis , quibus adversarium systema et sustentare et melius fulcire et dein destruere conatur , clarum nobis erit.

---

(1) Sapientissimus , σοφία vocatus et λογος εμμετρος.

## PARTIS PRIORIS THEÆTETI.

## SECTIO II.

*Empiricorum doctrinæ de motu continuo et sensuum scientifico valore refutatio.*

§. 1. Ad rationes quod attinet, quibus Plato Protagoræ et hujus sub nomine conjuncta aliorum virorum placita undique lacessit, plerumque monstrare conatur, doctrinam hanc in se consideratam sibi ipsi repugnare, et si accuratius examinetur, in leves nebulas dilabi. Cum igitur secundum promissa in præfatione (§. 4) enuntiata nonnisi aliorum sententiam reprobet, quin suam eidem opponat, sequentibus, uti mihi saltem videtur, multum in præsentis disquisitione juvatur: si nimirum ea, quæ Platoni placuerint, antea nobis in animum revocemus. Mutationem illam corporum ipse probavit et quidem ita, ut defenderet, sensibilia in se nulla gaudere forma, quippe quæ in mente sola deprehendatur; eadem vero eatenus prædicato obnoxia fieri, quatenus formæ illius, nullo mediante sensuum subsidio, sed recordatione ex pristina vita aliqua in animo conditæ participia evaserint (1). Cum vero corpora formam hanc, cujus participia aliquo temporis momento sint, non servant, cognitionem constantem et certam sive scientiam rerum sensibilibus nullam omnino esse. Corporum continuum motum itaque admisit, et adeo de iis contendebat, esse sensibilia, quippe quæ continua generatione fluant, eadem autem alia ex parte propter continuam mutationem non existere (2). Hoc respectu equidem consentit cum Protagora et Cratylo, sed eosdem in errore maximo versari putat, cum asserant, præter fluentem hanc existentiam nihil in rerum universo inveniri. Quæ enim anima nullo interveniente sensu cognoscat, ea nulli motui obnoxia atque

(1) Arist. Metaph. cap. 6. Arist. hac in parte plerumque Platonis ordinem sequitur, inde jure consulendus est.

(2) Diog. Laert. lib. III. segm. 64. Phædon cap. 26.



æterna esse (1). Hunc in modum mediam inter empiricos suæ ætatis et Eleasiam ingressus statuendum ratus est (2). Hisce præmonitis argumentum prosequamur. Rationes autem quibus adversarios petit sequentia ferme sunt :

§. 2. Primo omnium quærere poterimus ex Protagora : cur hominem potius quam porcum vel simiam vel aliud quodcumque maxime ridiculum ex iis, quæ sensu utantur, mensuram rerum censuerit? Quod si statuisset quanquam mentis rane superiorum non habendum, deum propter sapientiam existimaverimus. Posito enim ejusdem principio omnes intelligentiæ gradus cessant, neque inter hominem et animalia, neque adeo inter hominem et deos discrimen cognitionis admittendum est. Dein si vera sunt, quæ cuique vera videntur, nemini præceptore opus, neque alter de veritate vel falsitate opinionum alterius quæstionem instituere potest, cum veritas omnis singulis hominibus privata res, et singulis quidem exclusive adscribenda ab alio dijudicari nequeat. Colloquia itaque et disceptationes de re quacunque et refutationes alius cujusdam sententiarum, quæ ex supposito omnes simul veræ sunt, ad ridicula referremus. Hisce statutis, uti ex ejus placitis defluunt, cum interrogare poterimus, cur se sapientiorum ceteris prædicans mercedem multumque pecuniæ a discipulis quæsi-  
verit (3), cum tamen neminem vera docere posset, cum nonnisi quod *sibi* verum, cognoscere valeret.

Protagoræ  
doctrina re-  
pugnat com-  
muni homi-  
num sensui.  
Cap. XVI.

Protagoras vero ad hæc responderet objectionibus nullam esse vim : communi  
hominum sentiendi ratione innixas philosophum nullomodo movere. Quare enim tremendum quid esset, hominem ad sapientiam non magis compositum esse, quam animal quæcumque? Deos quod spectet, se de illis defendisse, neque quod existant, neque quod non existant, neque scribendum neque dicendum esse (4). Talia argumenta nonnisi ad populi furorem concitandum valere, atque probabili superstructa esse, quo nunquam sapienti utendum sit.

Cap. XVII.

(1) Phædo. cap. X.

(2) Conf. Parmenidem, ex quo plurima hanc rem tangentia explicari possunt. Vid. et Schleiermacher præfationem in Theætetum.

(3) Ουτος πρῶτος (Προταγόρας) μισθὸν ἐπράξατο ἑκάστον μνας. Diog. Laert. lib. IX. segm. 52.

(4) Diog. Laert. lib. c. segm. 51.

Hisce verò non refutari ea, quæ Protagoræ opponuntur, luce clarius est. Staturat enim iste omnia, quæ videantur cuivis homini, ea et huic existere, consequenter præjudicia nulla errorem nullum nullibi deprehendi. Hoc admissio sententiis aliorum vim concedebat, quam si eludere vellet, ipse sibi repugnaret necesse erat. Quid igitur habebat, quo sententiam suam paradoxam contra communem hominum sentiendi rationem sustineret? Si enim alii sese brutis quoad veritatem cognoscendam sublimiores haberent, si deos admitterent, homini in cognitione superiores, si ipsum propter indignam humanitate doctrinam persequerentur, uti revera contigit, (1) si sibi consequens manere mallet, quod illos incusaret nil præsto habuit. Sed plura de his infra Platonem ipsum mentem audiemus.

*Homo cognoscit aliquid quod non est in sensu.*

Cap. XVII.

§. 3. Protagoræ doctrina subsistere non poterat, si modo monstraretur hominem aliquid cognoscere, quod non sit in sensu. Admisit enim omnem cognitionem percipientis et perceptibilium relatione materiali oriri, quod placito ejusdem, animam nihil esse præter sensum (2) arctissime conjunctum est. Inde Plato eum alia et quidem sequenti ratione impugnat.

Ex positione : omnia nos scire, quæ sensu perspiciamus, falsa sequuntur, ergo ipsam falsam habere cogimur. Lingua enim peregrina loquentes audimus litteras ignotas videmus, quin tamen ideo dicta vel scripta intelligamus; ergo non omnia sensu percepta cognoscimus, multo potius linguæ aliquid inest organis ipsis non percipiendum. Ad hanc objectionem Theætetus facili opera respondet : hoc in casu nos semper intelligere quæ sensu percipiamus, sonos scilicet varios, signaque varia. Patet hac re argumentum contra motum nullo modo infici, attamen Plato idem alio loco largius pertractandum lectori relinquit.

Cæterum ex se clarum est, secundum Protagoræ systema linguam nullam ullomodo consistere; ut enim silentio prætermittamus continuo diffluentibus rebus fieri non posse, ut nominibus signentur, omnis cogitationis communio non nisi casui fortuito nititur ideoque revera talis nulla est. Protagoras cum pedis-

(1) Diog. Laert. l. c.

(2) Diog. Laert. lib. IX. scgm. 51.

sequis non nisi vanis nugatoriisque fallaciis, quas in Oratylo multa cum diligentia expositas et destructas invenimus, doctrinam et res suas sustentare poterant. Linguae tamen existentia doctrinam de motu subjecti sentientis simul et rerum sensibilibium erroris arguit (1).

§. 4. Plato igitur misso præcedente argumento ad finem sibi propositum alio Cap. XVIII. pertendere conatur. Infert autem sequentia : ii, qui nihil esse in anima, quod non sit in sensu, et sensum esse scientiam defendunt, si asserto suo fideles manere velint, falsa admittere coguntur. Posito enim sensum esse scientiam, visum autem esse sensum, sequitur visum esse scientiam. Jam vero scire eos recte dicimus, qui eorum reminiscuntur, quæ viderunt, quæ vero in præsentibus non conspiciunt. Concludimus inde, ergo in sensu habere et cognoscere res in se non omni capite idem esse, ideoque sensum et scientiam inter se differre.

§. 5. Probato esse scientiam aliquam præter sensum, Plato ulterius progressus eandem e sensuum civitate omnino excludere tentat; hoc vero argumento perficere conatur, quod primo aspectu sophisticam vituperandamque speciem præ se fert, quo et ipse transeundo utitur ad monstrandum, quam perverso animo Sophistæ fallacias suas ad augendam rem pecuniariam et ingenii sui famam adhibere soleant.

Sensum non esse scientiam, multo potius aliam superioremque animi humani vim ad eam requiri, sequenti argumento probamus. Ut nimirum sciamus simul et nesciamus, hoc fieri non posse, jure tanquam axioma subjicimus. Qui jam sensum scientiam esse contendit, et visum scientiam admittat, necesse est. Si vero uno oculo clauso, altero videam, video et simul non video, ergo cognosco simul et non cognosco, quod accidere non posse supra statuimus. Sequitur inde Empiricorum sententiam esse falsam. Nos non latet, eum, quem talia forte rogaremus, responsurum, se altero oculo rem conspiceret; sed hoc dum fatetur, Protagoræ contradicit, qui animam nihil esse præter sensus, oculum igitur, non animam oculo mediante in res intueri admisit. Hæc res tam vulgaris commune sensuum centrum indicat, a sensibus ipsis diversum, vim cognoscendi ab organis

Nulla est  
scientia in  
sensu.  
Cap. XIX.

---

(1) Vide Cratyli finem.

separatam. Idem accideret, si quis quæreret an acute et obtuse, cominus et non eminus, fortiter atque debiliter idem cognoscere valeamus et multa alia, quæ omnia nobis monstrant, non eadem de cognitione, quæ de sensu prædicari posse, ideoque hasce res probe distinguendas esse, inde jure nostro defendimus, sensum omnis scientiæ esse expertem, cum eidem cognitionem tribuere absurdum foret.

Platonem sophismatis accusare, hoc loco sine injuria non possumus, cum Protagoræ, oculum videre defendenti secundum placitum, animam nihil esse quam sensum, hæc omnia revera obstarent. Denique nemini Platonem increpare licebit, quod scientiæ notionem longe latiore in præsentia ac in fine dialogi sumat; namque sensim ejusdem limites progrediendo restringit; hocque sibi aperte propositum habuit, ut monstraret, adversariorum scientiæ notionem in se consideratam repugnare, et examini, submissam, corruiere; non igitur Platonica, sed aliorum sententia tractatur. Infra eandem rem ulterius prosequentem concomitabimur.

*Refutationes  
in argumenta  
modo prolata.*  
Cap. XX.

§. 6. Hisce Protagoræ sententiæ obmotis, Plato ejusdem causam suscipiens, quibuscumque rationibus ex adversariorum animo desumptis potest, systema sibi oppositum roborat et tuetur; quo clarius exin ejus debilitas eluceat. Inde sequentem in modum progreditur: Hæcce Protagoræ opponimus, ipse vero si præsens esset, sequentia forsitan ad partes suas defendendas afferret: 1° Argumentis modo contra motis non destructam esse doctrinam suam; absentem enim ut refutatum dicere possimus, postulari, ut ille, qui ejusdem partes agat, iisdem, quæ præsens auctor ipse protulisset, profligatis rationibus ad assensum cogatur. 2° Se non concedere reminiscentem eodem sensu uti, quem antea, in rem intuens habuerit, multo enim alio in statu versari, et aliter esse affectum, se itaque argumento de reminiscentia nullam vim concedere. 3° Neminem negare, eundem idem scire simul et nescire posse (1); quod si quis id accipere recuset, nulli dubium esse: neminem unum in se, sed infinitos multo potius orientes recte haberi (2). Inde ex ultima objectione nil omnino sequi. Quodsi

---

(1) Arist. Metaph. III. 4.

(2) Vid. Epich. apud Diog. Laert. III. 16. in Platone, ubi spec. hac de re sermo.

denique 4<sup>o</sup> systema ejus destruere velimus, principia esse aggredienda: tum vero probandum fore, sensus privatim sentienti cuivis non contingere, neque phenomena ei soli esse vel potius oriri, cui appareant. 5<sup>o</sup>. Tantum abesse, ut hominum differentiam tollat, statuendo cuique ea, quæ illi videantur, vera esse, ut contra maximam admittat, defendendo cuivis alia videri. Neque inde sequi, sapientes esse nullos, nullam sapientiam. Quamquam enim veritatis criterium omne mere subjectivum, adeoque unus quilibet sibi veritatis mensura sit et inde nemo alium veriora, quam quæ ipsi adpareant, docere valeat, tamen esse, quibus mala vera videantur, atque consequenter vera sint, sapientisque vices esse, arte sophistica, quam profiteatur efficere, ut meliora illi appareant, atque inde revera existant. Ægrotum stolidum non esse, quia aliæ illi ac saniores res obversentur neque hunc ideo veritati propiorem; ast hoc non obtante medico officium incumbere, ut in sanitatem illum restituat, quippe qui status melior habendus. Sophistam argumentis, quæ medicus medicaminibus, proferre, non eum in finem, ut qui falsa ante opinione laboraveravit, vera sibi repræsentet, (fieri enim non posse, ut quis *non entia* sentiat) (1); multo potius, ut quæ animæ in statu perverso præsentis conditioni congrua visa fuerint, alio statu producto, alia videantur; hæc autem se *meliora* non veriora vocare. Ranas se sapientes non ducere, in corporibus enim vita præditis medicos, in plantis agricolas esse sapientes, qui loco malorum et ægrotorum sensuum bonas ac sanas veritates (2) illis instillent. Eadem ratione civitati cuivis bona quæ videantur, talia quoque revera esse; sed oratorem, loco malorum, quæ vera videbantur rei publicæ, et erant, ut bona videantur atque sint, efficere. Simili modo discipulos a Sophistis formari, inque meliorem statum transferri; hos itaque maxima mercede dignos jure haberi; quamquam quivis sibi veritatis criterium sit, ac veriora, quam quæ ipse sentiat, a nemine possit doceri. 6<sup>o</sup>. Denique, si de re proposita disquisitionem instituere velimus, pugnam dialecticam, in qua

(1) Vid. Sophistæ Cap. Crat. XXXVIII versus fin.

(2) Controversiam inferre licet hoc loco, cum codices *ἀληθείας* ferant, quod duce Schleiermacher in *ἀληθείας* mutavi. Hoc assumpto aperta contradictio vitatur.

veluti joco, alter ex alterius vitio partes suas augere studeat, a dialogo veritatis evolvendæ causa instituto esse distinguendam; neque ex terminorum consuetudine adversario angustias parandas; hoc enim ex perversissimo philosophandi genere tum philosophiæ ipsi, tum discipulis incommoda inscrescere.

Secundo argumento, quo Plato utitur ad fulciendas partes Protagoræ, non cadunt ea, quæ (§. 4) obmoventur; probandum enim esset: primo omnium reminiscentem eodem sensu non esse affectum, quod æque experientia teste fieri posse videtur; dein sensum a cognitione distinguendum esse: Plato facile monstrare potuit, quo facto non solum ex defensione alias Protagoræ placitis omni capite congrua nil sequitur, sed etiam sententia de cognitione continuo cum sensibus fluente fulcro suo privatur. Tertium ad propellendam ridiculam illam ultimo loco positam impugnationem allatum principio inædificatum est, quod ex Heracliti doctrina Sophistæ derivabant (1), idem scilicet simul esse et non esse, cognosci et non cognosci posse, sive uti Protagoras idem enuntiavit, duas esse uniuscujusque rei rationes contrarias (2); hoc autem repugnat legi animi cognoscentis (principio exclusionis) quam tollere non possumus. Hac de re Plato quid censuerit in Phædone (3) deprehendimus. Hoc si inferretur, adversaria pars, recte monente Platone ad Heracliteum rerum fluxum sese recipere cogebatur; ea autem in arce securi nullomodo erant: continua enim animi cognoscentis mutatione admissa, nulla unquam cognitio inveniri poterat, argumentum igitur cum re destruebatur.

Quartum quod attinet, monstrato, sensus privatim homini oriri, inde nondum sequebatur, hoc de omnibus sensibus affirmandum esse; dulce et amarum ex. gr. si privatæ sint affectiones, idem propterea de cæteris nondum defendendum esse, clarum est. Accedit, quod Protagoræis, quos vocare licet, nisi a principiis suis recederent, nullum criterium præsto esset, quo aliorum sensus dijudicare valerent, quod Plato jam statim ab initio indicavit (4).

(1) Arist. I. c.

(2) Enthydenius et Dionysiodorus omnia omnibus inesse defendebant, quod idem aliter enuntiatum conspiciamus; ast non habemus, cur ridiculos istos hoc loco introducamus.

(3) Cap. 49.

(4) Theat. Cap. 10.

Distinctione quinto loco posita, uti infra videbimus, Plato ad politicos et oratores suæ ætatis propius accedit; ea tamen quoque ratione Protagoræi et reliqui similia defendentes Sophistæ ruinam systematis sui impedire non poterant. Sophisma de non ente (*μη οντος*), alias miserrimum, cui præcipue insedebant a Platone in dialogo, cui Sophistæ nomen præfixum (1) destructum est. Sola hac via Sophistæ res suas sustentare potuisse quidem videntur, attamen et hac ultimo hæcere eos debuisse, ex capitibus subsequenter clarum erit. Distinctionem denique ultimam quod spectat, eandem a Protagora revera factam fuisse a Diogene Laertio docemur (2). Sophista idem, eodem referente Diogene (3), missa re ex nomine disputavit; quum ipse igitur hisce flagitiis in vita maxime uti soleret, Plato hæc illum illusionem satis ingeniose petit.

§. 7. Quibus argumentis ad melius fulciendam adversariæ partis sententiam introductis, ultimo ex fundamentis ipsis de motu et mutatione continua rerum et Protagoræ doctrinæ evolvere studet, non unum quemlibet quoad veritatem sufficientem sibi habendum, adeoque peritiæ et ignorantæ distinctionem aliquam admittendam esse, quam rem Protagoras ex supra dictis negabat. Hoc problemate resolvendo duplex continetur responsio, ad quæstiones nimirum: 1°. an sensus sit scientia, et dein quid censendum sit de iis, qui peritiam a sensu nullam distinguant? Ad hæc responsurus sequentem in modum progreditur:

Qua ratione Protagoras differentiam aliquam sapientiæ in iis, quæ sensu præ-  
 dita sunt, admittere potuisset, juxta meliorem scilicet seu pejorem in qua ver-  
 sentur conditionem supra monstravimus. An vero differentiam hæc ipse revera  
 concedere debuerit, ex ipsius principiis deducendum erit, quo demum facto  
 eum ad assensum cogimus.

*Protagoræ  
 systema in se  
 corrumpit.  
 Cap. XXII.*

Hunc in finem ab ipsius asserto egrediamur, quo defendebat omnia, quæ cuivis appareant, huic ipso facto vera existere; quo posito omnibus hominum opinionibus, nulla excepta veritatem concedat necesse est. Jam vero quotidiana

(1) Cap. 44 seq.

(2) Diog. Laert. IX, sègm. 52.

(3) Ibid.

docemur experientia, homines persuasum sibi habere, esse generi humano veram cogitationem et insipientiam vel falsam opinionem, ergo re ipsa vel differentia hæc existit, vel Protagoræ principium falsum est. Hac re tantis angustiis implicitum et reclusum Sophistam tenemus, ut nulla illi via remaneat, qua rebus suis consulat. Vel enim ponimus homines semper vera opinari, vel tum vera tum falsa, utroque in casu sequitur, non semper vera; sed tum vera tum falsa homines existimare, ergo non omnibus, quæ cuique videantur, veritatem competere. Si enim aliquis ea, quæ aliis falsa videantur, vera opinetur, secundum Protagoræ placitum sibi equidem vera, aliis contra falsa censeat necesse est. Si neque Protagoras neque cæteri sententiam, quemlibet sibi hominem mensuram rerum existere, veram haberent, veritas illa nemini, adeoque nec veritas esset. Si vero alii rem ita sese habere, alii autem contrarium opinentur, secundum Protagoram eatenus sententia vera existimanda quatenus vera videtur, et quidem eo magis vera quam falsa quo pluribus vera quam quibus falsa appareat. Protagoræ autem sententia modo proposita paucis vera, plurimis erronea habetur, ergo falsa magis quam vera. Porro Sophista noster adversarios suos vera censere necessario concedit; qui vero oppositam suæ sententiam veram admittit, suam erroneam esse simul adfirmat. Oppositæ contra doctrinæ accedentes Protagoræ placito veritatem denegant, ergo ipse sententiæ suæ falsitatem necessario una cum adversariis suis admittere cogitur.

Sophistarum horum systemata itaque in principiis sibi repugnans omni fulcro caret atque in se corruiat; indeque hominem homine sapientiore vel insipientiore ipsi non possunt non concedere.

§. 8. Modo dictis adversaria Protagoræ doctrina destructa erat, attamen Plato eandem iterum alia ex parte sustentare conatur, et quidem rationibus, quas alii etiam Sophistæ probasse, quanquam non palam enunciassent videntur. Hoc ipso monstrat, quoniam nexu variorum virorum, oratorum præcipue suæ ætatis et politicorum et præ reliquis Aristippi sententiæ cum hac Protagoræ et Heracliteorum et antiquiorum adhuc sapientum doctrina contineantur. Quo facto quæstio de scientia in Theæteto mota latius extenditur et novam philosophiæ historiæ regionem antecedenti conjunctam occupat. Hoc consilio, uti mea saltem opinio, sequenti ratione Plato disquisitionem suam producit :



Sermo Protagoræus, si qua salvandus est, hoc potissimum, quo supra eum sustentare conati sumus, modo servari posse videtur; hoc nimirum: cuiilibet, vera esse, quæ illi adpareant, dulcia, amara, gravia, calida, arida et cætera, et omnia, quæ ad præsentem sentientis statum spectent, non autem puerum quemcumque, mulierculamve vel animal quaecunque cognoscendo, quæ sibi sana proficuaque et utilia futura sint, pares inveniri, hæcque in re differentiam illam sapientiæ positam esse. Eodem modo, quæ civitas sibi honesta et turpia, justa et injusta, sacra et profana statuat, ea quoque illi existere, neque hæc in re rempublicam republica, neque privatum privato esse sapientiozem. In consulendo contra, quæ utilia sint futura, hominem homine, civitatem civitate superiorem esse. Defendi enim nullummodo posse, utilia quæ alicui appareant, eidem futura quoque esse. In justo contra et injusto, sancto et profano, nil a natura constitutum esse contendere volunt, opinione autem determinari, taliaque existere, quo ex tempore statuuntur ad momentum, quo opinio cessat, plurimi, qui in aliis multis a Protagora recedunt, summo studio defendunt.

§. 9. Quibus dictis Plato eo delatus est, ut monstret perversæ huic doctrinæ perversam sentiendi rationem, quæ cognitionis inter homines communionem sublata, ita ut non nisi individua singula in se reclusa remaneant et politicam hominum existentiam angusto sui amore tollat. Oratores hosce aliis locis aggressus est, uti in Gorgia; in præsentem tantum vinculum inter theoreticam et practicam virorum horum doctrinam indicat, quippe qui et in bono et in justo præter opinionem nil relinquebant. In hisce nominandi sunt 1°. Polus et Calicles (1), qui docuere, nullas homini in agendo a natura leges præscriptas esse, nisi quæ in stimulo sensuali et arbitrario et in vi physica rationem habeant. 2°. Trasymachus, qui ultimis hisce consentiens statuebat, justum esse quod fortiori prosit (2); ARISTIPPUS et qui ab illo profluxere Cyrenaici, qui voluptatem summum bonum et hominis finem (τελος) habentes, nihil natura sua honestum vel turpe, justum aut injustum, sed consuetudine et opinione (νομον lege)

De futuro.  
Cap. XXIII.

Digressio.  
Cap. XXIII-  
XXIV.

(1) Vid. Gorgiam.

(2) Plato de republ. lib. I.

asserebant negato cognitionis discrimine sapientiæ discrimen admittentes (1); Archelaus, qui similiter justum et injustum non natura; sed opinioné statutum palam enuntiavit (2); Prodicus hucce referendus, qui vulgatam illam de sanctis sententiam primum movit: ea quæ homini profuerint, deorum numero habita fuisse (3); et Critias, religionem politicæ commentum prædicans. Denique sub Protagoræ mortui nomine omnes illos præcipue aggredi videtur, qui secundum principia supra enuntiata justum et honestum negabant præter illud, quod hominum opinione, consuetudine et lege statuitur. Ad hos omnes trahendi sunt qui excluso communi rerum principio præter subjectiva nil admittentes, omnem a natura præfixam tum cognitionis tum actionis legem tollere studebant. Erant autem magnam partem oratores et causidici et politici, qui sententias has coram iudicibus et populo sequebantur philosophorum nomen haud jure usurpantes.

Hi mihi esse videntur quos Plato sublimi animi evolutu increpans sequentibus reprehendit:

Homines politici sycophantæ et oratores revera ex philosophiæ partibus non stant, quanquam abutentes nomine sapientes sese vocare consueverunt (4). Philosophi enim mens tranquilla, nullo studio abrepta; orator velut in voragine circumtortus veritatis inquirendæ mora et quiete non utitur; philosophus in universalibus, in rerum causis et origine versatur, orator in specialibus vagabundus circumagitur; ille ad sublimia elatus a communi vita alienus, hic ab infantia causis ambiguis et injustis implicitus altioris animi evolutus nullius capax invenitur; ille bonorum sensus, honorum et divitiarum vanitatis contemptor ad subimiora pertendit, humilia cætera despiciens, hic vilia commoda, non nisi quæ inferiora et humilia sunt, finem sibi proposuit, perversa illa sentiendi ratione agens, quam probat.

Sensualitas, malum principium, in mortali hac natura nunquam potest extingui,

(1) Diog. Laert. lib. II. segm. 93. 87. 88.

(2) Diog. Laert. lib. c. segm. 16.

(3) Cicero D. N. D. I. 42.

(4) Conf. Menonem.

semper enim aliquid bono oppositum esse debet, quare in sublimiores illas regiones, in quibus discordia hæc cessat, aufugiamus. Fugæ autem via hæc est, ut numini Divino similiores continuo evadamus. Sententia illa Cyrenaicorum, qua inferunt, prudentem nil contra civitatis legem agere, ne pœnam a republica statutam malitivè famam incurrat (1), muliercularum sermo nugatorius habendus; alia enim pœna existit, quam subterfugere nemo potest. Duo nimirum nobis propositæ sunt in vita imagines, divinum et beatitudo, impietas et miseries. Perversi isti homines huic sese similes reddere student, et quod pessimum in ipsorum miserie existit, cui similes facti sint, non vident. Quos futuræ vitæ conditionis spe et timore si movere aut terrere velis, rident. Unum autem hoc illis contingere solet, si virili animo partes suas sustentare studeant paulo longius in colloquio perdurantes, tum deficit eorum ars oratoria atque in angustias dilabuntur balbutientes, ut ab infantibus differre non videantur.

Platonica philosophia in genere hæc est, ut scientiæ ad actionem ratio in vita humana conspicuam et vice versa continuo monstretur, quod sane summo opere laudandum est. Sicuti Plato sensum in oppositis versantem cum philautia sic dicta et arbitrio sensuali conjunctum habet, ita etiam scientiæ et virtutis vinculum ubique investigat, mali fontem in mundo physico, boni originem et fulcrum in mentis æternis legibus monstrans. Ne, itaque supervacaneam omni titulo præsentem alias sublimem et præstantissimam digressionem habeamus, admonitione non eget. Præcipuum enim hoc eo discursu claro modo propositum nobis est, virtutem nullam, nullam civitatem, nullam justitiam empiricorum principiis superstructam inveniri, atque cum scientia vere tali hisce sapientibus deneganda et vitam vere humanam, omnem imo hominis dignitatem evanescere, atque rerum universum assumpta hac sentiendi ratione horrendam generi humano speciem suscipere. Interjecta itaque hac animadversione quæstio de scientia altiorum iterum relatum nacta est, dum in tenebris illis infernalibus sola cognitio supra omnem sensualitatis regionem quærenda spei sublimioris et consolationis

---

(1) Ὁ μὲν τοὶ σπουδαῖοι οὐδὲν πράττει δια τὰς ἐπιχειρήμας ζημίας καὶ δοξας. Diog. Laert. lib. II. segm. 93.

lux fulgeat sine qua in rerum universo quasi in vasto oceano rate fragili fato circumacti nulla ducamur cœlitus stella, nullum deprehendamus certum salutis portum.

§. 10. Hisce in medium allatis Plato ad problema, sibi propositum revertit et quæstionem de futuro sectaturus hunc in modum progreditur :

Vidimus supra eos, qui motam existentiam et exin profluentem sententiam : omnia ei, cui adpareant et reuera esse probent, id in omnibus defendere, et præcipue hoc, justa quæ civitati videantur, illi justa quoque existere in quod tempus talia illi adpareant; de bono vero illos affirmare, neminem tantæ existere temeritatis, ut contendere audeat, ea quæ civitati utilia videantur, eidem etiam utilia fore. Leges ex. gr. in republica ferendæ utilitatem, ad futurum tempus semper spectantem, scopum sibi propositum habent. Si jam ita Protagoræ doctrinam concipiamus, ut differentiam hominum tanquam entium intelligentium manentibus ejusdem principiis admittere possit, sicuti vi eorum, quæ supra attulimus, admittere cogitur, etiam hac via sententia ejus de scientia salvari nequibit, tum enim quæremus e Protagora : si homo omnium sibi mensura est, gravium, levium, alborum, et omnium hujus generis, ita ut quilibet de iis, tantum, quibus affectus est, judicare valeat; an quisvis etiam eorum, quæ futura sibi sint, in sensu criterium habeat? Si negative respondeat, homo non omnium mensuram sine ulla exceptione in se habet; si vero affirmative, ridicula facile defendere cogitat. Ægrotus nimirum feбри se correptum iri, medicus de eodem contrarium putat; si uterque vere judicavit, ægrotans sibi non autem medico feбри æstualet, quod absurdum jure ducimus. Cæterum nemo inficias ibit, agricolæ de futura vini præstantia opinionem illa cytharœdi potiore existimandam esse; cytharœdum eodem modo de concentu musico futuro, et de eo, qui gymnastices magistro concinere videbitur, melius quam ipsum gymnasticum judicare. Rem publicam in statuendis legibus, in utili futuro, sæpe aberrare, frequens experientia docet. Quid denique de ipso Protagora, qui vatem se prædicavit omnibus superiorem in prædicendo, de quibus coram judice quis persuadere possit, nec ne? qui eam ob rem pecuniam plurimam quæsivit? Placito suo itaque haud multum consequentem invenimus (1). Sequitur inde in

(1) Arist. Metaph. III. 5.

futuro prævidendo alium alio superiorem existere, adeoque Protagoræ placitum, omnia illi cui appareant, revera esse, ad opinionem de futuris trahendum non esse. Porro cum legislatio futurum semper tempus spectet, civitatem in legibus ferendis civitate; privatam in rebus futuris dijudicandis privato sapientiozem inveniri; Protagoram itaque falso statuisse, hominem sibi esse *omnium* mensuram. Eadem ex se mediate consequentia contra oratores, in quos peroravit § antecedente, evolvi poterat: si enim justum opinione in futuram utilitatem statuitur, sique illa opinio errori obnoxia est, justum quod vocant, vana tantum aliqua specie sine fundamento consistebat (1).

§. 11. Hisce prior disquisitionis pars absoluta est, in angustiores jam limites remota Protagoræ sententia; inde eandem in hoc ulterius restricto campo sectaturus questionis statum præsentem determinat:

Ultimo hoc potissimum de futuri cognitione argumento, atque illo, quo Protagoras aliorum opinionem sibi judicem ponens veritatem illis tribuit, qui falsam ejus sententiam judicant, placitum illud, omnes hominis cujusvis opiniones simul esse veras, erroris arguitur, quod idem aliis rationibus monstratu difficile haud esset. Præsentem vero sententis statum quod spectat, quo sensus illi et secundum hos opiniones enascuntur, majoris est et difficilioris operæ. et quidem difficillimum probatu sensationes tales veras non existere, neque eisdem scientiæ valorem et certitudinem esse tribuendos.

Quem in finem in doctrinam de mota existentia in qua, uti supra dictum assertum de sensus scientifico valore ultimo fundatur, atque deducitur, inquirendum nobis erit. Pugna hoc de systemate haud parva existit; Jones enim Heraclitei illud multo cum ardore defendunt. Ii quos vel Homericos et antiquiores admodum vocare licet, simul cum Ephesiis, qui his rebus se valere dicunt, secundum scripta sua ipsi continuo motu diffluunt, minusque quam nulla quiete utuntur. Existentiam nimirum ex omnibus ejicere conantes, neque aliquid in sermone neque in animo constans relinquunt. Interrogati minutas

Fluentes.  
XXVII.

---

(1) Conf. Koeppen: Politik nach Platonischen Grundsätzen; pag. 348. in eodem opere multa hanc rem concernentia et quidem præstantissima leguntur.

sententias , veluti ex pharetra protrahentes mittunt , si , quid dictum velint , quæras , nova aliter formata petunt . Neque alius quis neque ipsi inter se , uti saltem videtur , quid statuunt , possunt experiri ; unusquislibet eorum alios despiciens nullo usus magistro , automata excrescit . Qua re factum est , ut systema illorum cognosci nequeat , utque ipsos tanquam problema nobis resolvendum considerare debeamus . Problema hoc ab antiquioribus poëseos ornamentis involutum nobis propositum est , dum statuerent , Oceanum et Thetim originem esse omnium ; a recentioribus aperte tandem enuntiatum reperimus , defendentibus omnia continuo motu fluere , nihilque in universo constare .

Altera ex parte Eleatæ oppositam omni capite doctrinam condiderunt ; sicuti enim illi omnia fluere fluminis instar , ita hi omnia esse unum atque in se quiescens , dum locus nullus inveniatur in quo moveatur , asserere conantur . Inspiciamus itaque primum fluentes , sique veritas eorum ex partibus nobis obviam fiat , ad eos concedamus ; si universi statores vero propiores contra videantur , ad hos aufugiamus : nisi forsitan infelici sorte inter utrosque hæreamus . Si vero ab utraque forsitan schola recedere volumus , ridiculi habebimur novam , quamquam inferiores viam ingredientem tanta virorum præstantissimorum sprete auctoritate .

Refelluntur  
fluentes.  
Cap. XXVIII.

§. 12 Ad Heraclitum itaque et ejusdem sectam devenimus , placitum de continuo rerum fluxu vulgatum examinaturi . Quo facto ad Parmenidem et alios Eleaticæ scholæ asseclas trauseundum nobis erit . Ut autem disquisitionem nobis propositam recte institnamus , primo omnium videamus necesse est , qualis ille motus *κίνησις* sit , quem statuunt ? Qua in re sequentia admittenda videntur : 1<sup>o</sup> motum esse vel rei ex loco in locum transitum , vel ejusdem in eodem loco rotationem ; hanc vocamus speciem motus primam : 2<sup>o</sup> rei non habito loci respectu qualemcumque mutationem alteram speciem distinguimus . Est igitur motus proprie sic dictus et mutatio (1) . Si itaque fluentes , quos vocamus , omnia moveri (*κίνησθαι*) et nil consistere defendant , quæramus necesse est , an altero tantum ,

---

(1) Distinctio hæc necessaria erat ; utrumque enim vocabulo *κίνησις* comprehenditur , quod nos duabus vocibus exprimimus . Eandem institutam fuisse ab Eleatis ex Parmenide scimus . Edit. Platonis Tauchnitzia , tom. VII. pag. 165.

an utroque modo omnia moveri putent. Si altero tantum modo respondeant, aliquid firmum maneret, adeoque sibi repugnarent asserentes, nihil omnino consistere. Utroque igitur modo omnia fluere accipiant necesse est.

Supra vidimus: caloris et coloris originem et reliquorum omnium a fluentibus ita explicari, ut quodlibet eorum inter activum et passivum feratur, et ita quidem, ut passivum sentiens fiat, non autem sensus, activum vero quale aliquid, non autem qualitas sive quod idem est, ut calidum non calor, candidum non candor evadat. Si jam admittant, utroque modo omnia moveri, etiam qualitatis fluxum concedant necesse est, alias enim in ipso motu aliquid consisteret. Qualitatis vero motu et mutatione continua concessis, prædicatum subjecto tribuendum nullum amplius invenitur, continuo enim fugiet judicantique inter ipsam operationem dilabatur, quo fit, ut de continuo motis magis quod existant, quam quod non existant, defendere non possimus; res enim constanter diffluentes nullo modo sensiles perceptioni sese subtrahunt. — Dein si omnia secundum Heracliteorum doctrinam continuo moventur, et sensus ipsi continuo fluxu fluant necesse est; quo admissio de sensu non magis, quod existat, prædicandum erit; quodsi jam sensum aliquis scientiam definire vellet, eam non magis scientiam quam non scientiam esse defendere deberet. Dum itaque definitioni de scientia propositæ in systemate motus continui fundamentum quæreremus, eo delati sumus, ut quodvis responsum æque verum et falsum haberi queat. Posito enim hujus doctrinæ principio, de quavis re æquo jure defendimus, eam vel ita vel non ita fieri; immo si nobis repugnare vereamur neque « *ita* » neque « *non ita* » illud enunciandum erit: consistentem enim aliquam qualitatem indicant; contra indeterminato » *nullo modo* « excepto omnia prædicata simul proscribere cogemur (1).

Qua re asserto Protagoræ secundum systema motus defendentis: hominem esse omnium mensuram, assensum denegamus, atque tantum abest, ut scien-

(1) Respondent hæc argumento supra allato, quo defenditur, linguam præter sensum vim aliquam animi exposcere. Conf. Cratyli ultima capita.

tiam esse sensum concedamus ; ut adeo solius periti et hominis ingenio perfecti sententiæ auctoritatem tribuamus (1).

Observatio  
Eleatas spec-  
tans.  
Cap. XXIX.

§. 13. Quibus finitis Eleatarum doctrina opposita nobis in examen vocanda esset ; sed quamquam Melissus et reliqui tanti non sint habendi , quanti unus Parmenides , cui ob ingenii et doctrinæ venerabilem profunditatem honos tribuendus , attamen ne justo levius rem tanti ponderis pertractemus , silentio eos in præsentia transeamus necesse est , inchoatam de scientia quæstionem ad finem perducturi.

Plato reverentiam , quam Parmenidi habuit , hoc loco multo cum fervore profert , quantaque opera sit , in hujus viri systematis adytum quam injuste agant , qui ei irrideant , exprimere videtur. Parmenides separata cognitione vere tali a ratione profecta ab inani quanquam necessaria sensuum specie Platoni ad veritatem propius accessisse videbatur , quanquam etiam illius doctrinæ nonnulla obmovenda censeret. Xenophanes inter empirismum et systemata de *uno vera existente* ambiguus hæserat ; inde ejusdem de incerta hominis cognitione quærelæ , quam sentiendi rationem Plato non omni titulo probare poterat. De Melisso parum nobis memoriæ traditum est ; hylologicum ejusdem Pantheismum , Platonica doctrinæ e diametro oppositum conspiciamus. Ad Zenonem denique quod spectat , quem hoc loco neque nominatum invenimus , Plato in argumentis , quibus empiricos aggressus est , parum certe satisfacit. Ulteriora si quis scire cupiat ad Parmenidis nomine inscriptum Platonis dialogum secedat ; in præsentii inceptum nostrum prosequamur.

§. 14. Plato in præcedentibus in eo erat , ut monstraret , eos qui sensui scientiæ auctoritatem concedant , sibi necessario repugnare eorumque systema accuratius examinatum male roboratum inveniri ; in sequentibus vero exponit , superiorem quamdam animi facultatem requiri , ut cognitio aliqua oriri possit ; hoc qua ratione perfecit , juxta videamus :

Si rem attente inspiciamus , clarum nobis evadet , non sensu (externo) , sed per sensum tanquam organon nos percipere ; et certe horrendum esset , si varii

---

(1) Vide quæ alias de peritiis Plato statuit , uti in apologia Socratis. Cap. 12.



sensus in nobis juxta sese positi existerent, qui in unam ideam sive animam sive alio quodam nomine eam vocare velimus, quasi in focum communem confluant.

Dein etiam hoc ponere poterimus: quod uno corporis organo percipiamus; illud alio percipiendum non esse (1); ex. gr. soni per oculum, coloris per auditum in communem sensationis focum experientia duce accessum non existere. Quibus concessis, sequentia necessario accipienda erunt:

Cognoscimus aliquid rebus diversis organis perceptis commune; primum enim quod de sono et colore cogitamus, in eo consistit, ambo existere, alterum ab altero esse diversum, unumquodlibet secum idem, ambo esse duo, utrumque unum, esse sibi similia vel dissimilia. Communia hæc rebus, quo corporis organo percipiamus, non habemus; ad ea referenda sunt τὸ esse et non esse, similitudo et discrepantia; identitas (τὸ ταυτόν) et diversitas, unitas et pluralitas rerum, de quibus omnibus prædicandum est, ea nullo sensus intercedente medio immediate ab anima perspicui.

Immediatam hanc mentis humanæ cognitionem Plato in præsentem quidem non probat, non incuria tamen, sed consilio, eam rem in aliis dialogis demonstrandam silentio prætermittit. Rationem hujus rei alias reddidit sequentem: nil per sensum cognoscere valemus, nisi prius formas (prædicata) rebus tribuendas præsto habeamus, inde concludimus, nullam rei cujusvis sensibilis imaginem in nobis oriri posse, nisi notiones illæ, quæ rerum percipiendarum primaria prædicata efficiunt, et earundem rationem continent, menti ante omnem perceptionem insint. Sequitur, ex his notiones aliquas in nobis sensu priores necessario existere (2). Argumentum hoc eodem consilio aliter enuntians statuit: anima humana vel ex se cognoscit aliquid vel nil omnino cognoscit. Si enim aliquid

(1) Gorgias Leontinus vicariatum sensuum, quem nos nominamus, admiserat, sed quibus rationibus, quo sensu, nescio. Ex Platonis quæ supersunt operibus locum non novi quo probasset, vicariatum sensuum rejiciendum esse; sed hac in re experientiæ intercessio, quam in auxilium vocat, sufficienti auctoritate gaudere videtur.

(2) Phædo, inde a cap. 19.

omnino ignoret, vel quærendo inveniet, vel semper ignorabit; quærens autem rem, de qua nullomodo sciat, qualis erit, in vanum fatigabitur; vel enim nunquam eandem inveniet, vel casu fortuito ad eandem deferetur; si itaque fortuito invenerit, nulla ratione cognoscere potest, an inventum illud sit, quod quæsiverit, nec ne? quod scilicet ex supposito ignorat; ergo quærendo illud, cujus nullam omnino notionem habemus, veritatem nullam consequimur. Sequitur ergo nos, nisi ante experientiam aliquid noscamus, semper ab omni ejusdem cognitione alienos fore (3). Demonstratio hæc citissima et propter plebejam faciem commendabilis legitur in Menone; modus autem, quo ortas has notiones in homine Plato putavit, nos hoc loco non tangit; concludit autem ex argumento animam aliqua immediate cognoscere, ad hæcce autem realitas et reliqua modo allata pertinent. His itaque missis ulterius progrediamur.

§. 15. Si sensus ad realitatem usque non adscendit, de eo sane defendere non possumus, eundem ad veritatem unquam pertingere; quod enim a realitate alienum, a veritate remotissimum jure habetur. Quodsi jam sensus veritatis nullius percipiendæ in se capax est, sequitur inde et scientiam ei denegandam esse, quippe cujus a realitate rerum exordium. Colligimus ex modo allatis: scientiam ex omni sensualitatis regione exclusam in sublimiore illa animi vi quærendam esse, quæ nullo intercedente organorum subsidio veram rerum existentiam cognoscit. Sublimiorem vero vim, de qua sermo est, illam cogitandi habemus, qua opinio producitur. Ejusdem operatio syllogismo constat, quem anima in se reclusa de rerum veritate vel inani specie componit, atque judicio sententiam suam statuit.

Quibus perfectis prior hæc disquisitionis pars, negata sensui scientia, omnis absoluta est.

---

(3) Meno. Serrani edit. tom. II. p. 80.

## THEÆTETI DE SCIËNTIA

## PARS SECUNDA.

SCIËNTIA IN OPINIONIS SPHÆRA NULLA DEPREHENDITUR.

SECTIO I.<sup>ma</sup> *Rectæ opinionis determinandæ inutiles conatus. Vera opinio scientia non est.*

§. 1. In resolvenda quæstione nobis de scientia proposita, eo nos delatos videmus, ut eandem ex sensualitatis civitate proscriptam, in opinionis ditione quæramus. Hanc rem quod spectat, primo omnium opinionem in genere scientiam vocandam non esse, elucet ex eo, quod opinio falsa sit; inde quæstio hac de re in sequentem mutanda est: *an scientia desuiri possit, opinio recta?* adeoque eam in præsentia in veræ opinionis ditioni investigemus necesse est.

Quæstionis  
status.  
Cap. XXX-  
XXXI.

Statu quæstionis ita posito, quænam opinio recta sit? quærimus: si enim nullum habeamus certum criterium, quo opinionem veram a falsa distinguemus, illi sufficiens et ad scientiam necessaria certitudo deneganda erit, et disquisitio statim ab initio mittenda. Primo igitur omnium limites, quibus verus et falsus inter se opinatus separantur, describendi et circumducendi sunt. Jam vero in onerosam illam quætionem offendimus: an opinio falsa possit existere: ad quam respondendi haud parva et inextricabilis forsitan est opera.

Re vera nullam omnino falsam inveniri posse opinionem, teste historia philosophiæ non deerant, qui antiquitus defenderent. Protagoram enim et An-  
thisthenem contendisse constat: positionis nullius falsitatem sufficiente ratione evinci posse (1), quod reliquis Protagoræ placitis consentaneum habemus. Ad-

Adversarii.

(1) De utroque viro vide Diog. Laert. lib IX. segm. 93. *ὅς οὐκ ἐστὶν ἀπίστιον..* Conf. Schleierm. Proleg. in Theæt.

missa enim veritatis mensura mere subjectiva, admissis cujuslibet rei duabus rationibus oppositis, admissio denique omnia esse vera, uti supra dictum est, quid remanebat præter sententiam: opinionem quamlibet æqua certitudine gaudere?

Hac in dialogi parte admirabili arte et cura exarata Plato empiricos in angustias iterum maximas deducit. Sublata enim mundi physici et cognoscentis distinctione, quam plerique philosophorum ante Socratem transgressi erant, falsa opinio non nisi miraculo quodam explicari poterat; si vero, uti Protagoras, errorem hac in regione cognitionis humanæ negarent, ad ridicula ut dilaberentur, necesse erat. Qua re Plato omnis in eo mihi esse videtur, ut a principiis adversariorum egrediens monstraret, ea via philosophatos ad meliorem doctrinæ conditionem pervenire non potuisse. Ipse rerum sensibilium cognitionem ex earundem participatione cum ideis explicans, erroris rationem bene conditam et fundatam præsto habuit. Frustraneo jam illo conatu falsæ opinionis ex empiricis principiis evolvendæ eo deducimur, ut nos ad limen Platonice doctrinæ de participatione rerum experientiæ cum æternis animi ideis, qua et cognitionem et errorem ratione bene condita et fundata explicabat, delatos nos videamus. Platonem igitur in disquisitione hac præstanti atamen asperrima sequamur.

Cap. XXXI. §. 2. Primum in falsa opinione evincenda sequentia statuimus: si falsa aliqua opinione tenemur, vel de cognitis vel de ignotis false opinemur, necesse est; hoc autem respectu valet axioma: fieri non posse, ut eandem rem simul cognoscamus et ignoremus (1). Qua positione tanquam criterio adhibita statuimus: fieri non posse.

- a) Ut quis falsa opinans cognitum sibi aliquid aliud similiter sibi cognitum habeat;
- b) Ut ignotum aliud habeat similiter ignotum.
- c) Ut notam aliquam rem habeat aliam ignotam, et denique
- d) Ignotam aliam, quam cognoscat.

Præter casus enumeratos nullus alius invenitur; atqui omnibus in his falsa opinio nulla est, quia fieri non potest, ut cognoscamus rem et eandem simul

---

(1) Arist. *Metaph.* I. c.

ignoremus; porro membra disjunctionis omnia enumerata sunt, ergo concludendum erit, falsam opinionem in omnibus nullam inveniri.

§. 3. Secundo etiam in civitate entis et non entis falsam opinionem non deprehendi sophistæ sequenti ratione probare student: falsa nimirum opinari eum, qui illud quod non sit existere putet. Opinantem enim necessario aliquid opinari, aliquid autem quodcumque ad non entia pertinere non posse; non ens itaque arbitrantem nihil opinari; eum autem, qui nihil putet, non putare: ergo neminem, quæ non sint, existimare posse (1).

Sophistæ hoc de non ente argumento ita uti solebant, ut exin concluderent, neque mendacium neque falsam opinionem ullam inveniri; quid Plato de eodem consuevit, ipso loco quo illud in dialogo condidit, clarum mihi esse videtur. Qui enim duplicem mundum non distinguebant, inanem cognitionem haud facile admittere poterant, sicuti modo in priori dialogi parte vidimus. Non ens (sit venia verbo) absolutum, quod æque cogitari nequit, sophistæ cum inani rerum imagine confundentes errorem hunc doctrinæ crassissimi empirismi satis accurate conjunctum admiserunt.

§. 4. Tertio ad finem propositum eo pertendere poterimus modo, ut dicamus falsam opinionem locum habere, si quis errore cogitatorum permutationem (ἀλλοδοξίαν) faciat, eorum quæ sint aliud alius loco ponens, cogitando forte rem aliam alii subjiciens. Cogitandi actus autem est discursus animæ, quem secum instituit, sese interrogans de re, sibi que respondens, affirmans atque denegans; dein majori minorive cura determinat, et quod tum non amplius dubia effatur, quin vocabulis idem externe conspicuum reddat, opinionem dicimus. Si cogitando rerum permutatio aliqua fiat, duobus in casibus accidat, necesse est. Anima nempe vel e duobus sibi substituendis unum tantum vel utrumque cogitat; si unum tantum, hoc alii cujus conscientiam non habet, non potest subjicere; si utrumque animo præsens sit, inter se mutari non possunt, quia utramque rem non nisi eandem secum; non autem aliam a se diversam sumere

---

(1) Sophista. cap. XLIV. seqq. conf. Cratyl. cap. XXXVIII versus fin. Theæt. cap. XX. Arist. l. c.

potest. Pulchrū enim turpe vel turpe pulchrū, sane nemo unquam nec in somnio adco existimavit, neque hoc unquam eveniet. Utroque ergo in casu falsa opinio nulla iterum deprehenditur.

Qui sophismate seu mala fidē usum Platonem fuisse hoc loco putat, iterum errore tenetur. In angustiis enim versatur ea via, quā consilio progressus falsam opinionem frustra sectatur; si alias (1) nodum solvat, hoc in præsentia extra propositum erat, dum monstrare vellet, nisi facultate superiore gaudeamus, quæ prædicata rerum præstet, præter inextricabiles tenebras et desperationem homini nil superesse (2), nosque eo necessario devenire, quo sophistæ hærebant, dum falsam opinionem negare coacti ad ridicula et absurda deducerentur.

Cap.  
XXXIII.—  
XXXIV.

§. 5. Sequenti conatu demum aliquid lucis effulgit, ut jamjam exitus vestigia deprehendere valeamus. Progreditur autem hunc in modum: antequam de re proposita desperantes absurdis coacti assensum tribuamus, sequenti adhuc via problema resolvere conemur: negemus nimirum, quod paulo ante posuimus, fieri non posse, ut aliquid cognitum aliud habeamus, quod non cognoscamus; hoc enim accidere frequens docet experientia, sicuti, si Socratem, quem novi e longinquo alium mihi ignotum habeam vel vice versa. Id evenire posse negavimus, quia tum sciremus simul et nesciremus. Alio modo itaque hæc propositio enuntianda erit, ut facta illa nobis explicare valeamus.

Plato hunc in finem discendi actum et oblivium, quæ antea tanquam ad rem non pertinentia ac inter cognitionem et oblivionem posita seposuerat, iterum in lucem provocat, quorum ope sequenti conamine falsam et veram opinionem determinare studet: Imaginemur nobis in anima fluxum careum, impuriorem in aliis ac duriorem, in aliis justo fluidiorem, in aliis contra recte omnino constitutum. Quæ memoria tenere velimus, vel sensu percepta vel cogitata, ceræ huic imprimimus. Quæ impressa sunt, ea memoria tenemus, reminiscentesque scimus, tamdiu, quamdiu imago eorum in anima remansit; quæ contra impressa non sunt, eorum obliviscimur, eademque nescimus. Quo

(1) Vid. Sophist. et Cratyl. l. l. c. c.

(2) Theæteti. Cap. XXXIII. initium.

admisso recte defendimus per mutationem cogniti (cujus imago animæ impressa non est) locum habere, falsamque opinionem aliquam inveniri posse.

Multi inde oriuntur casus, quos juxta ponimus :

A. In notitia sine sensu (perceptione per sensum externum) :

1) Fieri non potest, ut quis cognitum quodcumque, cujus imaginem in animo servat, quod vero sensu non percipit, habeat aliud, quod similiter animo tenet, quin percipiat; (Conf. §. 2 et 4.)

2) Ut quis cognitum, quod actuali modo non percipiat, habeat aliud, quod neque cognoscat neque percipiat; cum alterius tantum conscientiam habeat, consequenter error ex transpositione representationum oriri nequeat; (Conf. §. 2.)

3) Ut quis id, quod neque cognoscat, neque percipiat, aliud habeat, quod similiter (dum neutrius conscientiam habebat) neque cognoscit, neque percipit; denique.

4) Nec evenire potest, ut quis incognitum habeat aliud quod cognoscat. (Conf. §. 2. et §. præ. n. 2.)

B. Si sensum solum respiciamus, sequentes proveniunt casus :

1°. Fieri non poterit, ut quis sensu actualiter perceptum aliud similiter perceptum habeat;

2° Ut perceptum sumat pro alio similiter non percepto;

3° Ut id, quod non percipit, aliud existimet, quod simul non percipit;

4°. Denique, ut quod non percipit, habeat aliud quoddam, quod non percipit.

C. Si sensum et notitiam conjunctos sumamus, sequentes casus componere possumus;

a) Numquam eveniet,

1°. Ut cognitum, quod percipimus, cujusque reminiscimur, aliud habeamus, quod cognitum similiter et reminiscentes percipimus.

2°. Ut illud, quod cognitum percipimus cum reminiscencia, aliud quid habeamus notum non perceptum.

3°. Ut illud, quod eadem ratione cognitum percipiamus, aliud perceptum putemus.

4°. Ut neque cognitum neque perceptum aliquid aliud existimemus simul neque cognitum neque perceptum.

5°. Ut illud, quod neque cognoscamus neque percipiamus, aliud ignotum attamen perceptum censeamus;

6°. Ut aliquid neque notum neque perceptum aliud habeamus, quod non percipiamus.

Exclusa ex his omnibus falsa opinione, sequentes remanent casus :

b) In illis, quæ novi, fieri potest

1°. Ut putem, esse alia mihi cognita, quæ percipiam. Si ex. gr. Theodorum mihi notum e longinquo conspiciens eundem alium mihi cognitum existimem;

2°. Ut cognitum aliquid habeam aliud ignotum, quod percipiam : ex. gr. si Theætetum notum conspiciens alium, quem non novi, putem;

3°. Ut aliquid, quod cognitum percipio, aliud esse censeam æque cognitum simul atque perceptum. Hoc fit interdum, si Theætetum et Theodorum, quorum notitiam habeo, ita inter se transponam, ut Theodorum opiner esse Theætetum et vice versa.

Ex modo allatis clarum est, opinionem vel veram vel falsam locum habere posse in sphaera eorum, quæ scimus simul atque percipimus; porro falsam oriri, si rei perceptæ imago ad typum ejusdem in anima respondentem justo modo non referatur; veram contra, si res recte typo suo adaptetur. Duas itaque res ad falsam opinionem requiri admittimus, imaginem rei et rem modo perverso ad se relatas : neque empirica via philosophantes secundum supra relata, alium errorem concedere possunt.

Dein si rem ita sumamus, facile phænomenon in homine frequens nobis obvium explicantes perspicimus, eum, qui memoria bene composita, facili, tenaci, fideli et ampla utatur, primum quidem docilem esse, secundo reminiscentiæ vigore gaudere, rei cuicunque perceptæ typum memoria bene servatum adsignare, neque signa confundere. Inde fit, ut homo ea ratione a natura constitutus omnibus suum tribuens falso opinatui tantum obnoxius non inveniat. Hac qui natura gaudet, peritus (doctus) recte vocatur. Qui contra memoria difficili, impura, labili vel nimis circumscripta laborant, unquamlibet rem ad suam imaginem ante habitam referre non valentes errori in existimando expositi ignorantes et indociles sese commonstrare solent.



§. 6. Hac autem ratione non omnem falsæ opinionis rationem descriptam Cap. XXXV.  
seq. esse, per se clarum est. Cum jam empirici præter errorem in reminiscencia nullum admittere valeant, similiter patet, eorundem systema factis experientiae maxime vulgaribus repugnans falsitatis suspicionem incurrere. Quam rem Plato sequenti modo exponit:

Errorem aliquem jam concedimus, neque tamen disquisitio modo instituta ad finem nobis propositum nos *omnino* perduxit. Supra dicta enim monstrant, neque sensus in se sumpti, neque mere cogitatorum in regione falsam opinionem unquam contingere. Experientia vero docti concedere cogimur et in cogitatis errorem locum habere, quod fit, si quis quinque et sex, duodecim existimet, quod in numeris paulo majoribus frequenter accidere solet. Hac re iterum in angustias inextricabiles dilapsos nos conspicimus; error enim hic aliter explicandus non esse videtur, nisi admissio, nos idem simul cognoscere et ignorare posse, quo posito de omnibus omnino desperandum foret.

Ast clarum est, ea qua usque huc progressi sumus via, nos necessario sine frustrari; quærimus enim ab initio scientiam, quin sciamus, quid sit. Hoc vero stultum incœptum esse, nemo negabit. Utimur vocabulis cognoscere et ignorare, scire et nescire, intelligere et non intelligere, quorum significationem tum tandem determinare poterimus, si scientiam ante definiverimus. Hæc itaque prior evincenda nobis fuisset.

Ingeniose sine dubio vices suas Plato his in partibus egit: post tot conatus ultimo ipsa re monstrat empirica via hæc nil perficiendum esse. Si rei notio cognitionem præcedere debet, uti respectu scientiæ infertur, hoc ipso ad ideas experientia priores remittimur, quibus admissis longe alia falsi opinatus deducendi via erit. Sed non minori arte rem inchoatam ad finem perducit sequentibus:

§. 7. Si alia ratione propositum tentemus, fortuito in rectam viam forsan reducemur. Sunt nimirum qui *scientia uti* scire definiant; quam positionem paululum mutatam nos ita enuntiamus, ut scientiæ possessionem idem esse atque scire prævie admittamus. Possidentem autem dicimus illum, qui plenam de re disponendi habet facultatem, habentem contra, qui re possessa actu utitur.

Si v. g. quis in columbario aves captas ita servet, ut eos habere, i. e. iis uti ad libitum possit, possessorem nominamus. In anima humana igitur columbarium multifariarum avium vel adgregatarum vel separatarum, vel sine ordine circumvolantium imaginatione nostra struamus. Loco autem avium scientias subjiciamus admittentes, quod empirici vi statutorum concedunt, infantium illud vas vacuum esse. Hac in cavea si quis sibi captam scientiam recluserit, eum didicisse seu scientia potitum admittimus. Hac propria scientiæ est possessio, quam scientiam nuncupamus. Huc referimus notum illud, quod a nonnullis defenditur, arithmeticum illum esse, qui omnium numerorum tum parium tum imparium cognitione utatur; ergo illum, qui numerum quærendo tantum inveniat, arithmetice non omnem nosse. Nos contra duplicem scientiæ venationem, alteram pro ejusdem possessione, pro usu ejusdem a possidente postea institutam ponendo eam rem nobis explicare studeamus.

Hoc iterum concesso ex angustiis non liberamur. Si arithmeticus numerum quærit, discit vel quæ cognoscit, vel quæ ignorat; si ignoret, arithmeticus dicendus non est, si cognoscit, ea discere cogitur, quæ jam novit, quod absurdum est. Ignorantiam illam ipsius scientiæ, quam posuimus, comprehendere nullo modo possumus (1).

Si vero supponamus, scientem quidem necessario scientiam possidere, atamen in ejusdem usu ex permutatione rerum cognitarum errorem in mere cogitatis contingere, quin admittamus, nos simul cognoscere et non cognoscere, sequenti denuo ratione sententia hæc iterum expugnatur: si nimirum falsa opinio in mere cogitatis ex scientiarum permutatione oriatur, aliquid cognitum aliud habeamus, quod non sit, necesse est: ignoramus itaque iterum, quod cognoscimus, hoc autem sana ratio non fert.

Ultimo hoc modo problema resolvendum tentare poterimus, ut concedamus, scientias et inscitias animo inesse, quarum transpositione falsa opinio proferatur. Hoc illato per longas ambages in easdem fauces dilapsos nos vidimus, in quibus antea in vanum laboravimus. Vel enim scientiam et ignorantiam quas novimus

---

(1) Platonem et alias arithmetice gradum perfectæ scientiæ denegasse notum est.

alias nobis ignotas haberemus, vel utramque ignorantes alias nobis non notas existimarem, vel denique cognitae haberemus alias ignotas vel vice versa; quod fieri non posse, supra perspeximus. Porro ridiculum in modum scientiarum scientias et ignorantias in infinitum substituere cogeremur, qua re ultimo nil, nos perfecturos clarum est.

Cum ultima disquisitione undique eo simus deducti, ut ex ignorantia ipsius scientiae, errorem explicare debeamus, compertum denique habemus, scientiam antea definiendam esse, si falsam opinionem determinare velimus; quare persuasum habeamus necesse est, ea quam in praesentia secuti sumus methodo, nos necessario a fine aberrare.

Plato itaque conatu hoc frustraneo optime monstravit, admissa scientiam a sensibus exordium sumere animamque humanam praeter tabulam rasam nihil esse, vi experientiae errorem in cogitatione evinci non posse. Ex ultima disquisitione denique et hoc clarum evasit, ratione scientiae veritatis et erroris distinctionem nullam omnino existere, adeoque cognitionem stricte talem, i. e. certam et indubiam per se in opinionis ditione non quaerendam, multo potius respectu cognitionis vere talis non nisi de usu, non de acquirenda ejusdem possessione sermonem movendum esse. Hac observatione introducta quaestionis de scientia status omnis alius factus est.

Cum Plato in Theaeteto non nisi negative ad quaestionem de falsa opinione explicanda propositam respondeat, qua ratione eandem solverit, quaeri potest, ut ejusdem sententiam perspiciamus. Quenam vero hac de re judicaverit, in Sophista legimus, ubi sequentia statuit (1). Falsa propositio oritur, si subjecto praedicatum tribuitur, quod illi vi legis participationis non competit; cum vero propositio non nisi cogitationis expressio sit, recte defendimus, de falso judicio idem censendum esse, falsam consequenter opinionem contingere, si res qualicumque sub forma (praedicato) non conveniente subsumatur, distinguendum itaque erit inter formam seu ideam et rem eidem subsumptam (inter subjectivum et objectivum, rationem et rationatum). Qui vero experientia duce doc-

---

(1) Cap. XLIV. sqq.

trinas condunt, distinctionem hanc non recipiunt, ergo errorem nullum possunt admittere nisi in casu illo supra exposito (§. 5). In mere cogitatis eadem valet distinctio, ergo et in his error admitti potest, qui tamen nullus esset distinctione hac rejecta. Quibus sufficienter, uti mihi saltem videtur, Protagoræ et Antisthenis sententiam nullius opinionis falsitatem sufficiente ratione evolvi posse, refutavit.

Neque vera  
opinio scien-  
tia est.

§. 8. Si falsam relinquentes opinionem ad positionem in capite positam revertamur: veram scilicet opinionem esse scientiam, integra oratorum et caudicorum ars nobis sufficienter monstrat, neque hanc sententiam constare. Hi enim defluente aqua non docent, sed persuadent tantum de re in occulto patrata, cujus veritatem nonnisi testis ocularis novit. Si jam iudices justis rationibus persuasum sibi habeant, recta quidem opinione, non autem scientia utuntur. Sequitur inde utramque ab alia diversam esse; scientiam enim omnibus in rebus nonnisi immediate opinionem mediate nanciscimur.

Differentiam scientiam inter et veram rerum existimationem Plato et aliis locis multa cum cura determinavit; hocque eo magis necessarium erat, quo magis Græci, uti plerumque et nostri vulgares in philosophia parum versati peritiam et poëticum animi evolutum cum scientia confundebant. Platonica doctrina, uti ex Theaeteto jamjam colligere fas est, distinguit inter cognitionem stricte talem, ratione cujus error omnis exclusus, et opinatum errori obnoxium, qui quasi intermedium inter scientiam et ignorantiam positus est (1). Sicuti supra Plato philosophum a juridicis hominibus diversum monstravit, ita et aliis locis parallelis illum scientiam vere talem extra experientiam quærere, hos in mera opinione, peritia et persuasione (Gorgias) versatos esse docet, adeoque eosdem æque ac opifices et quoscunque peritos non ad philosophos sensu strictiore, sed ad philodoxos, quos vocat, referendos (2). Nexu hoc perspecto plurima in dialogo clariora evaserunt. (3)

---

(1) Conf. De justo. dial. V. versus finem.

(2) Apologia Socratis.

(3) Conf. Schleiermacher. proleg. in Theaet.

Monstrato in opinione scientiam quærendam non esse, superest, ut aliqua proferamus de iis qui veram opinionem cum explicatione (λογος) scientiam definiunt.

## PARTIS II<sup>æ</sup> THEÆTETI

### SECTIO II.

*Recta opinio cum explicatione non est scientia.*

§. 1. Plato primum a sensu crasso ad opinionem simpliciter talem in præcedentibus ascendit, in præsentia denique ad altiorem illam peritiam transit, cui sufficiens est claritas, ut explicatum admittat, monstraturus et hanc ad scientiæ gradum non posse pertingere. Hoc vero in campo grammaticum obviam habet, quem ultimo loco aggressus refutat.

Rectam opinionem junctam explicationi rei scientiam esse, Sophistarum aliquis defendisse videtur. Plato eundem, uti plerumque consuevit, non nominat, hac tamen ratione sententiam producit, ut inde jam suspicari liceat, unum ex iis putari, ad quos nonnisi multa soluta pecunia aditus pateret, quorumque doctrina vulgata non esset. Deficientibus, quantum mihi notum est, fontibus, quibus declarare rem possimus, verosimile mihi equidem est, Prodicum ejus doctrinæ defensorem extitisse: rationibus verò nitor præcipue sequentibus: Diogenes Laertius Protagoram missa cogitatione de nomine disseruisse memoriæ nobis proddit (1); quod equidem propter absurdum inceptum obscurius videtur, neque tamen aliud ac in quod Plato in Theæteto illudens dicit: ne dicamus tamen nomen, sed rem nomine nobis in animo præsentem sumamus. (2) Hæc si accurate consideremus, eadem doctrina esse videtur, quam Plato in Cratylo impugnat, quæ Protagoræis adeoque Heracliteis principiis omnino superstructa invenitur. Supra jam vidimus, linguam systemati de motu continuo rerum

(1) Καὶ τὴν διανοίαν αἴφνης πρὸς τοιοῦτον διελχθῆναι. lib. II. seg. 53.

(2) Cap. 23.

repugnare, quippe qua probetur, existere aliquid in anima, quod non sit in sensu. Hoc Protagoras negare debebat, ne cogitationem ipsa perceptione non datam admittere cogere, indeque, uti intelligere fas est, rationem cognitionis rerum in ipsarum nominibus deprehendi, defendisse videtur. Quo facto sane secundum vocabula, uti de eodem legimus, disputare poterat. Prodicus Protagoræ discipulus hanc sententiam ulterius excolens et perficiens in grammaticis progressus videtur, dum rerum rationem in vocabulis quaereret, de nominum rectitudine (etymologia) lectiones habens (1). In doctrinam hanc Plato una ex parte, uti opinor, inquit, quatenus nimirum λογος scientiæ fons seu conditio habetur. Cæterum ad rationes, quibus ductus definitionem hanc Prodicus tribuendam censeo, accedit et hæc, quod Plato de Prodicis grammatica in Cratylo eodem fere modo atque in hoc Theæteti loco loquatur, ut ex insuspiciendum sit, eandem doctrinam putari. Hisce allatis argumenti ultimam partem hanc prosequamur, quæ sequenti ratione absolvitur.

§. 2. Superest nobis scientiæ definitio, quam fama tantum cognoscimus (2), cujus prima positio, si recte ad nostras perlata est aures, ita enuntiatur: veram scilicet opinionem cum explicatione (λογος) concomitantem esse scientiam; omnia igitur explicata non gaudentia extra scientiam posita esse existimanda.

Sententia autem hæc sequentibus continetur: prima elementa varia, ex quibus et nos et reliqua omnia compositi sumus, explicatione carere, neque præter nomen illis prædicatum, neque quod existant, neque quod non existant, adiciendum esse. Quod si fieret, jam existentia vel ejusdem privatio illis adjiceretur, atque non sola in se simpliciter proferentur, multo potius composita cum aliis, quo facto elementa non amplius essent. Prædicata enim a rebus, quibus adhibentur diversa, variis elementis apponi. Elementum igitur propria explicatione ab iis omnibus separatim pronuntiandum fore; sed hoc fieri omnino non posse, cum naturæ rei convenienter prædicatum omne sit exclusum: ergo elementorum

---

(1) Vide Cratylum. Cap. 1.

(2) Conf. Cratylum, cap. 1 et passim, ex quibus intelligimus, Platonem Prodicis lectionibus non interfuisse.

explicationem nullam posse præstari. (1) Iisdem vero inter se compositis, nomina eorum simul inter se collata rationis reddendæ facultatem præstare. Elementa (στοιχια) explicatus expertia sensibilia quidem, sed præter cognitionem existere; composita contra (συλλαβας) cognitioni, iudicio et veræ opinioni obnoxia censenda. Quodsi quis sine explicatione vera opinione gaudeat, cum veritate quidem uti, neque tamen cognoscere, quum vera gavisum opinione et rationem rei reddere valentem optimo jure scientia instructum et ornatum defendamus.(2)

§. 3. Sententia hæc, quamvis aliquam veritatis speciem præ se ferat, cum nulla scientia esse videatur sine vera existimatione et ratione, tamen falsis fulta principiis consistere nequit. Quod enim præcipuum in illa est, elementa præter cognitionem percipi, compositorum vero genus cognosci posse, falsitatis arguimus. Qua in re dijudicanda litteris (στοιχια) et syllabis (συλλαβαι) utamur, quas ipse doctrinæ auctor sine dubio adhibuit. Ponamus exempli loco syllabam SO, cujus explicatio secundum sententiam nobis propositam præstatur litteris S et O; litterarum vero harum nulla amplius ratio reddi potest. Hoc posito syllabam SO cognosceremus ingnorantes ejusdem elementa S et O. Jam vero SO nihil aliud est ac litteræ, quibus componitur, quas si ignoremus, tantum abest, ut syllabam cognoscamus, ut earundem cognitio necessario supponatur; ergo falsum est principium modo allatum, sicuti ipsa, qua legendi artem ediscimus, methodo ejusdem falsitas confirmatur.

Argumentum modo allatum etiam Leucippum offendere videtur; quæ enim de grammatica litterarum compositione valent, eadem contra Atomistarum doctrinam proferenda esse, clarum est. Sicuti nimirum Plato quætionem movet, quomodo vocabulorum cognitio sine litterarum notitia proveniri queat, ita etiam e Leucippo quærere poterat, quomodo ex principiis præter omnem cognitionem (judicium) vi naturæ suæ positis, res componatur cognitioni subjecta? Hoc in medium producto quasi in ultima arce Empiricorum doctrinam a sensu

(1) Conf. Cratylum.

(2) Vox λογος et hoc loco multiplici significato, uti plerumque in aliis rebus dijudicandis, philosophos græcos vexasse videtur, cum et iudicium et propositio et explicatio et ratio intelligi posset.

originem scientiæ deducentem infesto telo petit, ut nullum illi amplius refugium remaneat. Inde rationes in defensionem doctrinæ oppositæ hujus afferendas ita destruit.

§. 4. Si qua salvanda est viri modo allati de elementis sententia, hoc tentandum erit modo, ut dicamus: syllabam aliquid in se consistens atque una idea comprehensum esse ab elementis suis diversum. Hoc defendi nequit, nisi antea probatum sit, compositum a omnibus partibus quibus constituitur, differre; huic rei claritatis gratia conjuncta est alia quæstio, an nimirum omne, quod vocamus, et totum diversa sint nec ne? (τό παν καὶ τὸ ἅλον). In his autem sequentia statuimus:

Unum sexies repetitum, tria bis, duo ter sumpta, quatuor et duo, tria duo et unum, semper æquant sex, inde abstrahimus, omnia æqualia esse omni respectu numerorum in abstracto consideratorum; quod idem, quin de concretis valeat, dubium non est. Porro totum vocamus, cui nihil deest, deficiente vero parte neque omne, neque totum accipimus, ergo utrumque idem existimamus. Jam vero si omne est totum, si totum est æquale suis partibus, tum syllabam æqualem ponamus litteris necesse est; quo facto sententia de elementis nullâ ratione cognoscendis destruitur.

Posito vero, quod tamen concedendum non putamus, syllabam sive compositum unum esse et individuum, ideam simplicem; tum quæ antea de elementis defendebantur, nunc de composito valerent, quod eodem omnino modo declaratione careret tanquam partibus non constans. Si vero compositi explicatio invenitur, et elementi ratio (prædicatum) sit necesse est. Experientia idem docemur: nonne enim ab elementis et in musica et in omnibus semper progredimur, quibus demum cognitis ad composita transire valemus?

Quo probato Plato acquiescere potuit: rationem enim cognitionis aliam præter illam, quam in elementis empirici vel grammatici deprehendere sese credebant, requiri clarum erat: neque præter idearum immediate consequendarum necessitatem quid supererat. Si nimirum elementum in se simplex judicio subjiendum est, uti modo monstratum, in sensatione adversarii prædicatum eidem adhibendum frustra quærebant, consequenter ad cognitionem ab experientia



non pendentum refugere cogebantur. Attamen missa hac consequentia, quam deducere potuit uti opinor, in sententiam supra enuntiatam : veram opinionem conjunctam ratione seu explicatione perfectam esse scientiam inquit, eamque ita pertractat :

§. 5. Assertum viri nobis propositi triplici modo secundum triplicem vocis *λογος* significatum sumi potest. Et primo quidem rationem reddere seu explicare dicimus, internam animi nostri cogitationem verbis et nominibus externe conspicuam efficere, opinione veluti in speculo seu in aqua, ita in oris fluxu delineata. Hoc vero cum surdis et mutis exceptis omnes vel melius vel deterius perficere valeant, omnes saue vera opinione utentes ad scientiam strictissimo sensu pervenissent, neque ulla existimatio recta extra scientiam posita esset : jam vero veram opinionem scientiam non esse in genere supra monstratum est : ergo ex placito, hoc sensu sumpto falsa sequuntur. Ceterum absurdum esset scientiam enuntiatione talem admittere.

Prima explicationis species scientiam non continetur.  
Cap. XLII.

§. 6. Secundo explicare cum dicimus, qui rei elementa proferre et enuntiare potest exemplo Hesiodi asserentis : centum ligna currus, quibus enumerandis ejusdem rationem praestamus, vi cujus secundum positionem supra allatam scientiam recte nobis tribueremus. Primo omnium ridiculum est, neminem scientifice aliquid posse cognoscere, nisi veram opinionem cum omnibus rei elementis pronuntiet, veluti si interrogatus Theætetis nomen ejusdem syllabas et litteras enumeraret secundum veram existimationem, ideoque grammaticum sese opinans. Hac autem in re multa officiant, quin hæc sententia consistat; illum enim nondum scire contendimus, qui tum hanc tum aliam de rei elementis opinionem sequatur, etsi casu forsitan tetigerit punctum; veluti qui grammaticam discentes elementa nominis Theodori et Theætetis componunt, primo facile Theodori nomen littera  $\theta$ , Theætetis vero littera  $\tau$  inchoabunt; quin illis tamen cognitionis certitudo insit. Qui recta opinione ita utitur, sine cognitionis certitudine, ei certe scientiam tribuere nullo titulo possumus. Hac ratione ducti enumerationem elementorum cum recta existimatione scientiam non habemus. Hoc ipso argumento et prima de explicatione sententia simul evertitur, cum partium enumeratio certam in se cognitionem non involvat. Concludimus inde viam a toto ad elementa in genere ad scientiam non ducere.

Altera explicationis species scientiam non efficit.  
Ibid.

Tertia expli-  
cationis spe-  
cies.  
Cap. XLIII.

§ 7. Remanet explicationis definitio qua explicare definitur determinare, qua re objectum ab omnibus aliis differat, cum quibus formæ aliquam communionem habet. Secundum hunc explicandi modum is, qui recta alicujus rei existimatione gavisus et differentiam addere valeret, scientiam esset consecutus. Hoc autem iterum e longinquo veritatis speciem offert, si propius inspexeris, abiit. Hac enim posita sententia recte opinaretur, qui notas rerum communes tantum non autem eas, quibus differunt, cognosceret, quod fieri non potest. Ut nimirum rem qualemcunque noscamus, requiritur, ut et differentię notionem nacti simus; nulla itaque opinio sine differentię notionem invenitur. Hanc igitur declarationem veræ existimationi adjicere absurdum esset, cum nunquam desit adeoque omnis opinio scientia recte haberetur, quod admittendum non est. Accedit et hoc, quod differentia hæc præter opinionem ipsa nihil existimanda sit, adeoque opinione opinioni superadditâ scientia oriri nequeat.

Ut igitur positioni ultimo loco positæ sensus sit, ita enuntianda foret, ut dicamus, scientiam esse veram rei existimationem cum cognitione; non autem cum opinione differentię; cognoscere enim est scientia potiri. Sed neque hoc responso acquiescimus; quid enim juvat, scientiam definire rectum opinatum cum scientia differentię seu alius cujuscunque rei? Omnis igitur quæstio a nobis mota ridicula nobis adparet; primo enim scientiam quæsivimus in campo extra cujus fines omnis posita est, non determinato ante ipsius vocabuli sensu; secundo explicare studuimus rem, quæ vi naturæ suæ nonnisi immediate cognoscenda nullam omnino rationem admittit.

Parallela est quæstio in Protagora tractata an virtus doceri queat? ad quam Plato negative respondet, simili ratione defendens, virtutem animo insitam et a quolibet homine proprio Marte producendam non magis doceri et extus inferri quam ipsam scientiam explicari et tradi posse. Hac ratione iterum practica et theoretica doctrinæ platonice pars sublimis harmoniæ vinculo inter se continentur atque junguntur (1).

Conclusio.  
Cap. XLIV.

§. 8. Concludit igitur Plato, neque sensum, neque rectam opinionem neque

(1) Conf. Protagoræ conclusionem in fine.

rectam opinionem conjunctam cum explicatione sese scientiam. Addit : verum quidem esse, præsentis disquisitione problema nonnisi negativo solvi modo ; sed et hoc operæ pretium putat, optando, ut omnes, vi modo dictorum scientiæ expertes persuasum sibi habeant, se revera nescire, quæ ignorant, minus molestos sese exhibentes.

§. 9. Hoc loco dialogus nobis propositus, tum propter artem, qua conscriptus est, tum propter modum, quo tanti momenti res in eodem pertractatur, maxime mirandus. Platoni hoc tantum propositum fuisse videtur, ut monstraret, nos frustra de scientia laborare, quoad sensus et opinionis sphaera teneamur, quamdiu ab empiricis egrediamur principiis; hac via philosophatos ad majora non potuisse pervenire. Quænam autem Platonis de scientia fuerit positiva sententia ex aliis ejusdem scriptis colligimus. Cum nimirum neque sensu neque opinione cognitionis humanæ stricte talis rationem contineri defenderet, ad ideas independentem ab omni experientia consequendas confugit, ad *rationem* nimirum, superiorem illam animi humani vim, quæ et mundi moralis et physici supremam legem continet atque præscribit, cui ultimo et immutabili fundamento omnis cognitionis absoluta certitudo innitatur. Ideas has, quas vocat menti humanæ revera inesse multis locis et præcipue in Phædone monstravit (1). Immediata hac rationis cognitione, quæ et absoluta et universalis est, consistit philosophia, cujus formam Plato scientiam habet.

Scientia hac absoluta certitudine (2) distinguitur ab opinione, a peritia, ratione quarum veritas et error inveniuntur, quibus itaque relativus tantum valor est, quæ a philosophia et cognitione stricte tali semper alienæ sunt (3). Opinio certitudinem omnem nonnisi ab ipsa scientia consequitur, consequenter in se homini nunquam omni titulo sufficit. Differt iterum scientia a cognitione, quam vates incalescente animo nasciscuntur, quæ ex sensatione et quasi ex sympathia aliqua mentis proveniens, neque certitudine, neque stabilitate scientiæ gavisâ

(1) Cap. 19 — 23.

(2) L. c.

(3) Apologia Socratis. Cap.

est (1). Sola scientia hominis sublimior conditio consistit, ad quam usque paucissimi ascendunt. Homini tanquam duplici rationis et sensus principio subiecto, nunquam pura scientia inhabitat, quippe quæ entis pure intelligentis, nullo externo influxu et materiali stimulo turbati prærogativa est, adeoque in Deo ac in animo puro sedem figere potest (2). Neque tamen de scientia mortalibus omnino desperandum, quo magis enim libertate et a mundo physico independentia sese sensuum imperio subtrahunt, quo proprius ad NUMEN DIVINUM ascendunt, eo magis ad scientiam compositi jure existimantur (3). Ethica hominis perfectio sine scientia sublimior existere nequit, quia hac tantum bonum cognoscit et fines, quos vi naturæ suæ sibi propositos habet (4). Scientia ea tantum via perficitur, ut quivis proprio actu ideas, memoria e vita ante humana in mente conditas in animam sibi revocet easdemque ad claritatem quam maximam promoveat (5).

Quæ si attente perspiciamus, quamquam non omnia æquo jure probare possimus, tamen virum omnis antiquitatis maxime sublimem, neque sine jure divi nomine decorum miramur. Post tantam sæculorum seriem is semper mansit scriptor, quo philosophiæ alumnus maxime coli, ad majora præparari, ad sublimia excitari valeat. Quinam ejus usus nostra adhuc ætate sit, vir in juris scientia venerandus, Kœppen nuperrime monstravit. Si præsentis opere platoniciæ doctrinæ amorem et ejusdem auctoris reverentiam grato animo condidi, sane non habeo cur plura desiderem.

(1) Jo. a capite ad finem. Apologia Socr. l. c.

(2) Phaedo. Cap. 19 — 23.

(3) L. c.

(4) Meno.

(5) Ibid.

JOANNIS-HENRICI BORMANS,

TRUDONOPOLITANI,

PHILOSOPHÆ ET LITTERARUM

IN UNIVERSITATE LEODIENSI STUDIOSI,

COMMENTATIO LITTERARIA,

QUA RESPONDETUR AD QUÆSTIONEM AB HUMANISSIMO PHILOSOPHIÆ  
ET LITTERARUM ORDINE IN ACADEMIA LEODIENSI ANNO MDCCCXXII.

PROPOSITAM :

*QUUM inter recentiores poëtas latinos vel insigniter olim, sive arte, sive dictione, sive utraque celebrati nunc vulgo ab indoctis juxta doctisque negligentur et contemnantur, quumque inter lyricos ita emineat Sarbievius, ut critici Horatium ab eo æquatum lyrica poësi, nonnulli superatum censuerint : postulatur commentatio, in qua, præmissa de neglectæ neolatinae poëseos causis, deque ejus sive justo sive immerito contemptu disputatione, in altera parte, quatenus Sarbievius Horatium dictione et poëtica facultate vel æquaverit vel superaverit, instituta, et universe, et carminum aliquot comparatione, dijudicetur.*

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST.

# MEMORANDUM FOR THE RECORD

TO : THE PRESIDENT

FROM : THE SECRETARY OF DEFENSE

## THE PROPOSED REVISIONS TO THE DEFENSE DEPARTMENTAL REGULATIONS

The proposed revisions to the Defense Departmental Regulations are intended to bring the regulations into conformity with the requirements of the Executive Order of 1955. The proposed changes are as follows:

1. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

2. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

3. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

4. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

5. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

6. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

7. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

8. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

9. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

10. The definition of "Departmental Regulation" shall be amended to include any rule or regulation issued by the Department of Defense.

Very truly yours,  
The Secretary of Defense

P R O O E M I U M.

---

HANC dissertationem scribere aggresso multa jam ab ipso initio occurrebant, quæ sollicitudinem, metum etiam movebant. Ætas auctoris, per quam, ut nec amplam satis lectionem et scientiam, ita nec subactum meditatione ingenium habere licebat; tum librorum, quorum hic aliquis usus fuisset, aut defectus aut, quod verius, ignorantio; denique temporis, quod satis fuisset otioso, nimis tamen breve spatium multis negotiis studiisque distracto.

Quæ, etsi singula animum a proposito abstertere debuissent, tamen pulchræ laudis avidum, deprimere eo usque non potuere, ut tentare saltem non auderem. Sic enim mecum reputabam; si propriis viribus fretum esse non decebat, aliquid tamen spei ponendum (hæc autem nec invidiose dico, nec callide), sive in pari eorum, qui mecum una contenderent, mediocritate virium, sive in benignitate amplissimorum virorum, qui hunc qualemcumque conatum meum essent examinaturi.

Omnium tamen minime me sollicitum habuit, quod ego tirunculus multis doctissimis viris, qui linguam Latinam tūti sunt, quasi musca caput, ut Catullus ait, viderer velle icere, quia probe scirem boni consulturos si quid afferrem boni, si vero omnia leviora essent, habituros in temeritate mea quod aut risu dignarentur, aut venia, non quod improbarent.

Hac itaque cura liberatus, dicam quædam ad laborem meum pertinentia, et quid de eo ipse sentiam.

Propositum primo mihi fuerat multo longius procedere, quam quo tandem pervenire me posse intellexi; non modo laboris, sed neque temporis accuratam satis rationem inieram. Quid facerem admonitus imminentium Sextilium calendarum nihil dum digestum, nihil limatum, nihil denique, quod describendum dari posset, in schedis habens? eæ sparsæ pleræque; aliis extemporales tantum cogitationes exceperam, quas nec sic proferre audebam, nec me negligere patiebantur amicorum frequentes querelæ: ne multi jam temporis laborem frustra esse sinerem, ne me ipse defraudarem. Ergo manus denuo, jam enim per plures menses quieveram, admovenda erat operi, idque gnaviter, si volebam illis diebus quindecim, qui soli ex concessis supererant, ex collectitiis specimen saltem aliquod concinnare; nam justæ dissertationis, qualem ante conceperam elaborandæ nulla spes erat super.

A festinatione vitium adhæret primo præsertim capiti et ultimo; illi quod longius, non enim superflua rescare licuit, neque exprimere tantum, quod intenderam, sententiam auctorum, quorum nunc loca integra transcripsi; huic quod brevius, si molem spectamus, pro reliquo corpore commentationis. Cujus rei etsi scio semper rationem habendam esse aliquam, tamen, ubi non est habita, excusandum arbitror, si quæ allata præterea sunt, sufficiant ad ea evincenda, quæ sola interest.

Non ignoro fore plerosque quibus nimis multa etiam non hujus loci disputasse in priori parte videbor; verum apud hós mihi vel rationi, quare sic egerim, fuerit, quod undique adductis argumentis unum, idque primum fulciendum vallandumque, et diu agitatam quæstionem aliquanto jam evidentius, data opportune occasione, tractandam crediderim; vel excusationi sit, quod adolescentuli raro in modum teneamus, et quidquid corrasimus undique in penum quam primum atque una veluti manu cupiamus ante omnium oculos effundere, eoque sæpe nos commendare studeamus, quo solo fortasse non sumus commendandi.



---

DISSERTATIO DE NEGLECTU NEOLATINÆ POESEOS DEQUE  
HORATHI ET SARBIEVII DOTIBUS.

---

PARS PRIOR.

---

CAPUT PRIMUM.

**P**RINCIPIO videndum est universe quæ sint causæ neglectæ neolatinæ poeseos; reperiuntur autem variæ: pleræque veteres, quarum multæ ipsi Latinæ linguæ inhærent, quædam recentiores sunt, atque vix ante patrum nostrorum memoriam existere. Aliæ iterum ad Latinam et Græcam tantum, aliæ ad alias etiam linguas referri possunt. Eas omnes causas recensere juvat, et examinare an in se justæ sint, quantumque, tractu temporis, eis vel additum sit momenti vel detractum. Hoc nimis quam longum esset, nisi perstringere modo singula statuissem, etsi vereor ne sic quoque præcipua seligendo longior videar.

Sunt hæc Vellei Paterculi extremo lib. 1. c. 17 verba: *Alit æmulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit, naturaque quod summo studio petitum est, adscendit in summum difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque, quod procedere non potest, recedit; et ut primo, ad consequendos quos priores ducimus, accendimur, ita ubi aut præteriri aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et quod adsequi non potest, sequi desinit, et velut occupatam relinquens materiam, querit novam; præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus.* Quæ propterea hic ad caput dissertationis apposui, quoniam et speciem commendationis, et totius fere quæstionis solutionem in se habent.

Et in Italia quidem, ut ab ea regione, unde, post novem amplius sæculorum densissimam noctem, litterarum splendor primum per Europam illuxit, incipiamus, postquam Dantes Alighierius, Franc. Petrarca, Franc. Poggius, Guarinus Veronensis, Laurent. Valla aliique conjunctis viribus Angium illud barbariei stabulum, quod post tot annorum incuriam tam late patebat, repurgare aggressi essent, et e Græcia tum demum vere ægresti Latio naufragas artes intulissent Emm. Chrysolaras, Georg. Trapezuntius, Theod. Gaza multique præterea tam Græce quam Latine doctissimi viri, ad summum omnia fastigium vix adducta fuerant, cum iterum collapsa cecidere.

Nam altero statim sæculo non solum detrahi Latino sermoni captum est, sed nequidquam in diversa pugnantibus Rom. Amasæo, Huberto Foglieta, Quinto Mario Corrado multisque aliis, prævaluit sententia: Latine nec debere, nec omnino recte posse scribi, et neglectus Latinus sermo jacuit. Ut de P. Victorio hæc sint Thuani: *eum longa sua ætate consecutum esse, ut litteras in Italia renascentes viderit, et pæne iterum extinctas*, et Caselius exeunte sæculo XVI scripsit: *Italos jam pridem cepit fastidium Græci sermonis, et satietas Latini*. Quibus addatur Sturmii quo scribente, *Manutii ætate, in quo uno quasi eloquentiæ cupiditas constitisse tum visa erat, Hetrusce gloriari, quam Latine aut Græce scribere malebant Itali*. Vid. quoque Perpinianus, de avita dicendi laude recuperanda, orat. XI.

Non intra solius Italiæ mite cælum et natale solum dumtaxat Latinae litteræ floruerunt, aut saltem cultæ sunt, cæteræ Europæ regiones suos quoque viros habuerunt earum curiosos; Lusitania Emen. Alvarum, et Hier. Ozorium; Hispania Lud. Vivem, Franc. Sanctium, et Joan. Perpinianum; Gallia Bunnellum, Doletum. P. Stephanum, Lud. Strebæum, M. A. Muretum, Scaligerum, Turnebum, Casaubonum, Salmasium etc. Anglia Morum, Linacrum et Aschamum; Belgium, Erasmus, Grotium, Heinsios, Lipsium, etc. tandem Germania Melanchthonem, Camerarium et infinitam priorum et posteriorum turbam produxit; quorum ætate mirus in singulorum patria Latinarum litterarum addiscendi ardor exstitit. Sed ille quoque intra paucos annos summum complexus, communi quodam fato rerum et cupiditatum humanarum, sed maxime, ut de-

hebat, proprio et suo, refrixit. Sturmii tempore, si ipsi credimus, ad summum unum aut alterum proferre quæque regio Latine doctum poterat; et Franciscus Vavassor *cum Latine*, inquit, *plurimi intelligunt, non pauci loquuntur, nonnulli scribunt, tum qui norint quid sit bene Latine vel loqui vel scribere, rarissimi sunt: qui bene utrumque præstet, aut etiam de duobus alterum, fere dicam nemo.* His innuit, neminem in id incubuisse, ut solidam Latinæ linguæ scientiam acquireret; neque mirum: cum enim rerum novarum, nisi propria quadam et firma dote consistant, desiderio et fruitioni eo solet citius succedere fastidium, quo fuerant acrius expetitæ, necesse erat illud quoque studium et impetum quo ad linguam Latinam omnes rapiabantur, languescere et exstingui. Nam fatetur Camerarius: *et maxime seniorum admirationis, et ardentissimæ juniorum cupiditatis, renascentibus in Germania litteris, declaratæ, non tam iudicium quam novitatem causam fuisse.* Idem J. Caselius, cujus hæc quoque sunt verba: *quæ nova sunt ea vel cum ratione vel absque ratione aveamus cognoscere, et initio fervent omnia. Ille evenit annis abhinc circiter CL, quando et Græca lingua in Italiam et cis Alpes ad nos allata fuit, tum enim non unus et alter Græcam linguam cognoscere gestiebat, sed exercitus subito oriebatur amore Græcitatís-ne an Latinitatis flagrantium; non minus autem sunt homines natura ἀψικτοὶ quam φιλοκελοί.*

Quis, cum hæc legerit, credat neglectum illum atque contemptum, de quibus adeo queruntur, multo fuisse illa ætate, quam nunc sunt, minores? Erant tamen: sed nihilominus maximi, recordantibus qui viri paullo aute floruisent, quot eorum morte cathedræ aut silerent, aut misere balbutirent; recentique summæ eruditionis memoria, mediocritas vel probabilis etiam doctrina vilescebat.

At cl. virorum de Latini sermonis fastidio tam frequentes querelæ nonne eadem censi possent, atque istæ quas fere fundunt senes, quibus solemne est laudare præterita, præsentia increpare? Hos quidem ætas, at illos haud raro et ætas et eruditio (quæ, nisi philosophia egregie temperetur, non unum vitium senectutis habet,) ut plurimum morosos facit. Etenim majores natu viri in junioribus nihil carpere solent, nisi quæ, præter ea, quibus ipsi a pueris assueverant, assumpsere, utcumque illa sint præstantia; et litteratorum communis

morbus est scientias prædicare, et auctores efferre præ cæteris eos, in quibus sive addiscendis sive illustrandis plurimum sibi posuisse operæ, aut collegisse doctrinæ videntur. Alii ipsa litterarum professione, se ad veteres linguas propugnandas cogi arbitrantur; et profecto durum est contemptum cernere abjectum, que quod ipsi semper maximi fecimus, atque unde præcipuam laudem aut sumus consecuti, aut speravimus :

Turpe putant, quæ  
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Et nescio quo humani ingenii vitio fit quoque, ut doleamus semper cum minori, quam nos adhibuerimus, impendio evectos alios consideramus, non quia evecti sint, sed quia nobis, quasi qui minus polluerimus, magis fuerit eadem in re desudandum : qua cogitatione amor, ut vocant, nostri læditur, qui, si modo non semper aliquid obmurmurat, haud facile ignoscit. Quare non dubitem, quæcumque ipsi et de sui temporis juvenum negligentia, et de neglectu linguæ Latinæ atque adeo omnium bonarum artium contemptu scripserunt, vulgari proverbio, cum grano salis accipienda esse, dicere.

Fatendum tamen est sæculis XV et XVI multo justiores fuisse, quamquam tum etiam non justæ erant, quas diximus, conquestiones, quam hoc nostro ævo. Nulla recentiorum linguarum, si unam Hetruscam excipiamus, adhucdum magnopere exulta, aut ad scientias tractandas adhibita, quantum potuisset esse venustiorum hominum, et doctiorum sive medicorum sive theologorum, imprimis vero jureconsultorum, nisi Latinum saltem sermonem percalluissent? Quamquam vel ii qui Hetrusco primi excelluerunt, Latine docti fuerunt, quam bene pauci posteriorum, quales laudantur Dantes, Boccacius et Petrarcha. Unde non male quis colligat, cum Galli etiam, et Germani et Hispani, omnes tandem prius Latina quam sua lingua scripserunt, cum id studium eorum ingenia mirifice excoluisse, tum futurum fuisse, ut nunquam tanti patria lingua existissent, nisi præclarissimorum scriptorum Græcorum Latinorumque præcipuas venustates omnes antea animo complexas habuissent, inque succum et sanguinem convertissent : quando nihil erat quod aliunde imitarentur. Et cum cerno pru-

dentissimos quosque Latine scribendi et auctores esse et duces, libens crediderim non aliam ob causam illud fecisse, nisi ut hoc exemplo æquales tum tantum ad quidquam patrio sermone consignandum sese accingerent, cum jam, Latinum tractando, didicissent quæ sint alicujus linguæ dotes, et eruere ex ea, quidquid præstare potest, pulchri: ne ex imperfecta materia, quales tum linguæ erant, artificis ignorantia, multo etiam imperfectius prodiret opus, sed flectere ipsi linguam possent ad imaginem illius pulchritudinis, quam ex veterum scriptis mente concepissent; ut nemo patrium sermonem usurparet, qui non idem, quod in iis initiis maxime necessarium, ditaret et poliret; id autem qua ratione felicius, quam sermone Latino, unde ille fere ducebat ortum, apprimè cognito?

Quidquid sit, hoc saltem certum est, assiduam linguarum veterum culturam; vitæ spatium in addiscendis pæne insumptum; multa percepta ex illis commoda, plura sperata, effecisse, ut et olim præ recentioribus in amore ab eruditis habitæ fuerint, et etiamnum sæpe habeantur. Quibus rationibus addam etiam perversam de recentioribus linguis, haud raro ex earum ignorantia, multorum opinionem, et denique speciem quamdam dementiæ. Nam quantum absunt a furore quæ scripsit Gabriel Barrius in opere de Calabria antiquitate et situ? *Quid de vulgaribus ignorantissimis scriptoribus dicam...? nam Latine scribere nesciunt, et Latina quæstus gratia vulgaria faciunt..... graves autem et eruditi viri gravia et Latinae linguæ nitorem, gravitatem ac majestatem sectantur, et Latina scripta legunt, et Latine scribunt, quo sua ingenia, judicia, ac doctrina ubique gentium pateant, cunctis utilitati sint, et æternitate donentur! vulgares vero libellos, uti indignas ac viles res abominantur et execrantur. Quare ego illis, qui hos aliosque meos libros, Latine a me editos, in vulgarem sermonem vertere audebunt, jam nunc Dei iram imprecor, ne exigant annum. Atque ne hæc imprecationes meæ in hujusmodi improbos, nefarios et lucriones homines irritæ sint, Deum ipsum vindicem imploro; nolim enim eas lucubrationunculas, qualescumque hæc sint, in Italia tantum maligni ac sordidi et imperiti vulgi obtuso et hebeti judicio exponi et brevi aboleri; sed ubique gentium in eruditorum manibus versari, et æternitate do-*

nari.... (audistis hominem ; sequentia de tripode sunt) *Futurum est enim, et quantum auguror, e proximo, ut Latina lingua, simul cum fide et imperio Romano rursus universum orbem permeet; vulgares autem libelli propediem cum suis auctoribus interibunt.....* Risum, dicam, an stomachum? ego Hercle! malim furiosum hunc, qui ita scribit, disputantem, sed super eodem argumento, audire, quam vel Roscium si Plauti Amphitruonem agat.

Post ista quidem nemo mirabitur Melch. Inchoferum in commendationem linguæ Latinæ dixisse inter alia : *Beatos in cœlo Latine locuturos, et Latinam linguam labium illud electum esse, quod Deus, interprete vate Sophonia, omnibus populis promisit.* Quod idem affirmavit Bern. Aldrete Hispanus, in Antiq. Hispan. l. 1. c. 2. Frid. Taubmannus quoque, *linguæ Latinæ beneficio salutem imperii Romano Germ. contineri serio credidit.* Adeo multi nulli parcent commento, dummodo alios in suam sententiam pertrahant! Quo tamen profuere isthæc omnia? nimirum, quod diximus, efficere non potuerunt, ut ne, amissa semel novitatis gratia, ingens illud et veluti commune studium Latini sermonis languesceret.

Nunc ad alias causas descendamus. Et primo una est quam invidiose satis attulerat magnus Erasmus; dixerat : *ubicumque Lutheranismus, ibi litterarum interitus..... Evangelicos istos quum aliis multis, tum illo nomine præcipue odi, quod per eos ubique languent, frigent, jacent, intereunt bonæ litteræ, sine quibus quid est hominum vita? amant viaticum et uxorem, cætera pili non faciunt.* Id ipsum Melanchthon professus est in Encomio eloquentiæ; et in oratione Noribergæ habita in laudem novæ scholæ, sic queritur : *errore quodam vulgi scholæ deseruntur : quidam stulti concionatores a litteris abstrahunt; magna pars ventri metuens, ad quæstuosas artes se recipit, postquam spes abjecta est sacerdotum redditibus victitandi, quos solos laboris sui præmia putabant.* Porro Burckhardus, quem in tota hac enumeratione secuti sumus, hæc referens, addit : *errorem hunc seu contagione late vagatum plurimos cepisse tum : qui ne non valde theologitari viderentur, humaniores disciplinas omnes contemnendas decreverant.*

At idem Erasmi verbis opponit ipsius Lutheri ad eum epistolam, in qua sta-

tuit : *per litteras ad sinceram bibliorum lectionem veniri*. Tum hæc quoque ipsius affert : *Deus adeo nobili dono (linguarum peritia) cumulata liberalitate Germaniam nostram præ cæteris pæne omnibus gentibus donavit, vidimus autem quomodo satanas per academias et monasteria his studiis semper fuerit reluctatus*. Item hæc : *ignorabant omnes, quum primum emergerent litteræ, quo consilio divina sapientia linguas in lucem prodire sineret, donec re comperita vidimus, hoc Evangelii instaurandi causa factum esse*. Aliorum præterea ut Ulrici Hutteni et Melancthonis multa affert, quibus, quamlibet Luthero faventes, litteras præsertim Latinas commendarunt. Unde concludit aliam istius fastidii causam quærendam esse, et longe veriorem ab ipso Erasmo proditam : multorum partim ignaviam, partim sinistros mores; quam confirmaverint Demet. Chalcondylas et Nic. Quadus : quorum alter, qui sex et viginti circiter annis antequam Lutherus reformationem, ut vocant, aggressus esset, nempe MCCCCXCI, Florentia ad J. Reuchlinium (Capnionem) scripsit *isto jam tempore in Italia studia jacere iterum visa esse, quum ignavia, et ignorantia principum, tum maxime cupiditate hominum circa quæstum, quem omnibus bonis artibus major pars hominum anteponebat*. Alter in epistola ad H. Nuenarium Roma hæc notavit : *in litteris nihil est novi : adeo hic passim studetur quæstui. Florentinorum mira sitis : frigent studia litterarum*. Adjicere Burckhardus potuisset eandem plane causas jam olim in dial. de caus. corruptæ eloq. §. XXVIII. indicatas a Quintiliano aut!, ut quidam volunt, a C. Tacito. Ibi enim hæc legimus : *Quis enim ignorat et eloquentiam et cæteras artes descivisse ab ista veteri gloria, non inopia hominum (ingeniorum?) sed desidia juventutis, et negligentia parentum, et inscientia præcipientium, et oblivione moris antiqui*.

Sed causarum illarum, quas hic allegavimus, prima, et, ut sic loquar, ipsa causa quæ fuit? quæ est enim vis istius rationis : Lutheranismus, ignavia et sinistri mores litterarum contemptum invexere? Nonne tanti erat affirmare neglectionem neglectus, contemptionem contemptus fuisse causam? Simile quidquam est de quæstu; quasi non semper ea fuisset mortalium indoles, saltem inde a Saturni patris regno, ut divites esse quam pauperes maluerint : vetus est :

O cives, cives quærenda pecunia primum,  
Virtus post nummos;

Etiam doctrina. Sed heu! raro illis ad hanc tum etiam conquirendam tempus suppetit; nimirum: quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, et sic vita abit. Verum mittamus hæc, et videamus quid præterea causati sint.

Philippo Melanchthoni principes vapulant, qui sua crederent interesse, ut leges omnes, religio et civilis disciplina abolirentur, aut litterarum curam infra se putarent. Bellorum etiam incusat tumultus, cum episcopi quoque arma tractarent: quo facto litteris decessisse honorem; quin odia et pericula discentibus fuisse proposita; unde aliud quoque majus malum, paupertatem. Dolet idem Melanchthon discentium alios scholas omnes perreptantes, præceptoresque admirantes non intellectos, alios domo nusquam pedem proferentes, librisque, tanquam pistrino addictos, cum ingenti labore, maximaque valetudinis jactura desipere tantum didicisse. Tum cruda adhuc studia, ut ait Arbiter, in forum protrusa, et male concocta doctrina rapi se passos juvenes sive ad medicinam, sive ad theologiam.

Cum satis modo, et nimis etiam fortasse sit locorum, quos transcripsi, ad fastidium legentium, unum dumtaxat Sturmii adjiciam, ex ejus Gymnasii Argentor. luctu ad Joach. Camerarium: *Si unquam alias, inquit, nunc opus habemus eruditis viris quorum raritas et jam magna est, et major impendere videtur in hac neglectione sive potius contemptu. Nulla laus, nulla præmia digna tantis laboribus sunt constituta. Quos enim patronos habent? et ut sua tuentur patrocina? Nemo est qui non medicus et juris peritus esse malit, quam hoc genus studiorum sequi, quod nos colimus; liberum quidem, nullisque alligatum rerum legibus, tamen laboribus ingens, immensum, infinitum...*

Eæ igitur sunt causæ quas eruditi attulerunt, de quibus nobis jam dicendum restat quid sentiamus. Nihil tamen addemus illis quæ de Lutheranismis et de juventutis ignavia modo scripta a nobis sunt, cum sufficere, in quæstione secundaria, videantur. Nihil etiam de quæstu, nisi, postquam litteras suis spoliare præmiis coeptum est, plures esse visos qui quæstuosus se dederint artibus, non quod essent subito facti avidiores, sed quod aliam semper præter inania verba, mortales ex labore suscepto, qualiscumque ille sit, mercedulam expectent, saltem cupiant; et existiment supervacaneam esse defatigationem quæ operæ prætio



careat, eaque quæ certos honores et obvium lucrum pollicentur præ aliis in pretio habeant, et potissimum sectentur.

Quod est de stupore principum, et quæ inde pendet, paucitate Mæcenatum, est hæc in præcipuis caussis vel nunc; quippe, ut vetus canit poeta:

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat

Res angusta domi;

Hic quoque non male:

Ipse per Ausonias Æneia carmina gentes

Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum,

Mæoniumque senem Romano provocat ore,

Forsitan illius nemoris latuisset in umbra

Quod canit, et sterili tantum cantasset avena,

Ignotus populis, si Mæcenate careret.

Quot enim jacent præclara ingenia inter vilissimos scurras consepulta, quibus olim, præter patronum, nihil defuit ut pulcherrima in luce effulgerent? Ut multa alia transiit mos ille antiquus patrociniarum, et tempus beatum quo » *Non unquam vates inopi timere senectæ* » non sufficiunt hodie hæc tam demissa:

... Dignare tuos aperire penates!

Tu nanti protende manum; tu, Piso, latentem

Exere; nos humilis domus et sincera parentum,

Sed tenuis fortuna sna caligine celat.

Possumus impositis caput exonerare tenebris,

Et lucem spectare novam, si quid modo lætus

Annuis et nostris subscribis, candide, votis.

Nemo autem sciscitabitur quomodo ea linguæ Latinæ, præsertim in poësi, usui obstiterint, qui considerarit amplioris fortunæ homines faciliora fere munia ambire, et ea ad quæ Latinis litteris carere possint, qualia multa esse voluerunt rerum publicarum commoda; illos vero quorum res minus erant expeditæ, quosque olim patronorum cura promovebat, nunc omni opæ destitutos, sibi que relictos, sin ab omnibus litteris, à Latinis saltem prohiberi. Nam recentiores linguas utcumque adhuc discere poterant; veterem illam, multi otii, multi temporis, multi laboris, nullo modo. At ubi (quoniam de eo agitur) ad scribendum

instructa supellex? Nam grave sit oportet quod doctis tantum offertur, secus qui emanant erunt *vel duo vel nemo*. Quæ causa est cur jam pridem librarii officina aquæ potoribus interdixerint. Eam Mæcenatum paucitatem Casp. Hofmannus barbariæ imminentis causam olim appellavit, ostenditque ætate sua eo rem perductam fuisse, ut plerique, quos imprimis decebat, auctoritate sua apud principes, honestos coetus et tueri, et ornare, studia promovere, et dicentes beneficentia sua pro viribus adjuvare; quum aut exiguum aut nullum studiorum haberent usum, locumque suum tueri se posse diffiderent, si adhiberentur peritiores et exercitati, maluerint pauciores esse eruditos et suis tantum consiliis stare rempublicam, seque primos esse apud reges, dejectis de gradu sapientibus. Atque illos asserit ob hoc ipsum studiis et litteratis fuisse iniquiores; unde accidisse, ut eruditi, quum tenuitatem suam docendo utcumque sustentare vellent, se in alias ignobiliores curas mergere sint coacti.

Non miror sæpe ægre fuisse olim Latine doctis, quia nimio sibi suæque diatribæ serviendi studio, quamvis non omnes aut Grotii essent aut Hospitalii, honores tamen et munera suo sibi jure vindicare posse arbitrabantur; hæc diu admodum mens et persuasio fuit illius ordinis, ut proximo superiore sæculo geometrarum. Porro quod Hofmannus de sui temporis aulicis et præfectis, id alii de mediæ ævi monachis tradiderunt: eos laicis ad linguarum scientiam aditum præclusisse, et vulgarium usui in decretis etc. obstitisse, ut soli in principum aulis dominarentur.

Hos vero quod attinet, qui se litteris elegantioribus dicarunt, etiamsi scripsit H. Foglieta: *Qui præmiis ducuntur, ii pluris se exiguam mercedem, quam virtutem ipsam facere declarant, neque bonum publicum spectare, quod egregiis viris imprimis est propositum, sed turpe lucrum degeneri cupiditate consectari, ingeniumque et eloquentiam tanquam cauponari; quo questu nullus potest esse sordidior*. Illa, inquam, etiamsi Foglieta scripsit et assentientem habuit Caselium, nihilo tamen minus verum manet eos, qui litteras profitentur, nullo jure posse compelli, ut scholas aperiant in quibus, vacuis scamnis, soli relinquuntur. Adolescentes vero quis indignabitur ea deserere, reputando secum, artium omnium initia aspera esse et tædii plena, et non eam esse constantiam mortalium, qui sola artis alicujus, ad eam perdiscendam præsentis maximo la-

bore, sterili olim percipienda voluptate alliciantur; contra opus esse semper spe aliqua, nec ea longius reposita, lucri aut gloriæ; nihil autem simile offerri juvenibus in studio litterarum, sed videre eos, cum ingenti dolore et summa desperatione, præceptores plerosque, quos sua neque doctrina neque virtus eximere a pauperie et contemptu potuerit, conversis alio hominum studiis. Utrum igitur pro ea sorte obtinenda litteras unice amplectantur, ane potius, quod et laboris et temporis multo fieri minori impendio cernunt, rem aggrediantur quamlibet aliam, unde opes, unde saltem honores sperantur? Illud equidem scio, quibus conditio proponatur, protinus posterioris vitæ sortem lecturos.

Addendæ sunt supra commemoratis nunc illæ causæ, quæ superiori sæculo imputari debent, et in nostra tempora extenduntur.

Eodem pæne tempore quo resplendentibus per Europam artibus, ne non omnis facies mutata esset, etiam purgari partim, partim innovari religionis instituta cœpere, quam barbariæ rubigo quædam superstitionum nonnihil fœdaverat, institutus est ordo monachorum de nomine Jesu. Hi quantum novatrici Evangelicorum sectæ adversabantur, tantum ipsi adnixi sunt semper seque suamque causam iisdem tueri armis quibus oppugnabantur, linguarum præterquam Græcæ et Latinae, etiam Orientalium cognitione; philosophiæ, juris, theologiæ, tum humaniorum omnium disciplinarum scientia, tractatione, exercitatione summa. Quibus se illi artibus utrinque, ut dixi, partim tuebantur et impugnabant, partim illecebris utebantur ad captandam juventutem. Nam utrisque, cum pari sectatorum studio, hæc calliditas erat, ut intelligerent, emorientibus suarum partium veteranis, hinc succrescere novos exercitus debere, suamque doctrinam non unquam certius in futuras ætates transmitti posse, quam si novis adhuc et in omnem formam fictilibus juvenum animis committeretur, qui, quomodo obduruere, perstant. Inde tot illorum ubique ludi litterarii, ut ipso testante Scioppio, Jesuitæ circiter ducenta millia discipulorum haberent in Europa! Dum igitur prima illa cupiditas Latinitatis atque eruditionis hominum mentes obsedit eaque omnium potissima habita sunt, utrique et explicare et illustrare Latine scripta, et Latine scribere et Latine loqui, tandem omnia Latine. Postea quando etiam alia mirari cœptum est, bona semper pars, imprimis cupida juve-

num pectora declamationibus et carminibus Latinis mire capiebantur, et quod his proficiebat, næ illi non negligebant. Ita inmutua æmulatione, forsitan et veteri laudis memoria ingeniique consuetudine Virgili Ciceronisque lingua locuti sunt, ad ea usque tempora, quibus, suppressa societate, Jesuitis animus et otium, adversariis stimulus et scopus deesse cœperunt. Mox enim et eodem veluti mandato ab ambabus partibus cœssatum. Quo exemplo, unaque trahentibus alio temporum fatiis juvenus carminibus et scriptioni Latinæ ut plurimum valedixit. De qua temporum atque ingeniorum conversione multa dicenda essent gravia et recondita, sed non ea nostri sunt neque instituti opus, neque virium et unidumtaxat rerum publ. peritis investiganda. Illud causæ est, cur pauca hæc monuero tantum: diversorum ordinum, et, sicuti nominare consuevimus, corporum studia et commoda, quæ toties rebus publ. detrimento fuerant; deletis ipsis, intimis patriæ bonis cessisse, et in medium omnia collata, quod jam unum omnes corpus efficerent, neque Romanis esset opus, aut Græcis, sed civibus, nec suffocari diutius vulgi ingenia possent. Illum inquietum, et degustata semel doctrina tumefactum, pluraque et majora cognoscendi avida actum necessitudine, regendum alii, alii impellendum, pro varia spe aut timore; censebant; omnium in se mentes expectatione converterat. Longe autem hic illis linguarum, nisi vernaculæ, peritia, quando etiam indocti sermone ducendi erant. Præterea non paucis ante annis multi vernaculi scriptores celeberrimi docuerant, quantum non modo emolumentum expectare ex hujuscemodi scriptis liceret, sed laudis atque gloriæ. Ita, quod necessarium erat, et utilius experti sunt, patrioque sermoni paulatim cessit Latinitas.

Ergo adest ultima causa, linguarum usus recentiorum; atque ut omnium postrema accessit, ita est gravissima et vero justissima: *non parum quoque*, inquit Val. Henr. Voglerus; *linguæ Latinæ studio derogatum est, posteaquam quæ antehac illa describi solebant, hinc inde vernacula multorum tradi cœperunt.* Etenim postquam renascentibus Latinis litteris, nescio quis Deus cœpit polire mores, quos ut cætera omnia barbaries occupaverat; cœpit quoque cultior ubique sermo, et in loquendo suavitas esse in pretio, et vulgari lingua vulgaria aliqua scripta prodire; quo factum est ut per populum sparsa, a quo avide, ut omnia

nova arripiebantur, ejus cum moribus aliquid humani ultra afferrent, tum quoque sermonem plurimum emendarent. Post ea initia aliis ad operosiora delapsis; linguisque eorum opera proxime ad perfectionem excultis, nata est apud plebsque populos quam litteraturam appellamus. Tum subito exorta ingens turba scriptorum, quidquid adhuc dormitabat cordatorum juvenum famam nominis excitavit, qui cuncti ad insoliti quasi miraculum sermonis exsiluere. Nam (præter necessitatem, quæ postea incidit, et de qua paullo superius dictum est) sive gloriam spectarent, major erat in æmulandis veteribus laus, quam in describendis; sive utilitatem, præstabat universorum teri, quam paucorum manibus; etsi utrumque esset cum pari utilitate et laude conjunctum.

Non me fallit doctiorum modo judicio nitendum esse in nostris artibus, et hanc unam legitimam esse curam scribentium, ut iis displicere nolint; at quanto erit pulchrius, si, rei illæsa gravitate, pluribus etiam placere concessum fuerit? Nihil vero cogitare possum exoptabilius; quam et a rudibus, et ab eruditis cum pari omnium voluptate, certe assensu legi, et ex æquo prodesse universis. Nunquam autem illud vel optimi Latinitatis auctores obtinebunt, ut qui solis eruditibus loquantur. Nam, et est illud diligenter attendendum, quamvis in cæteros homines indefinita, immensa est summorum virorum vis et auctoritas (nos vulgo influentiam dicimus), non ideo de scriptoribus idem sine errore statuatur; qui ignobiles plerique atque, cum re domestica misere impedita, umbraticæ vitæ, raro in lucem prodeunt, non sermones cum populo, non conciones habent, et quantum prodesse possunt, in libros condunt; ibi sunt aliquid; cæterum, quod ajunt, ex multis.

Athenis et Romæ, sed maxime Athenis, et oratores, et sophistæ, et historici, et poëta et quidquid tandem erat dicentium apud populum, aut recitantium, publici potius præceptores erant, quam quod vocabantur. Ibi plebs belli et pacis momenta ab oratoribus, rerum gestarum seriem, patriæque decora ab historicis discibat; accedebant poëtæ, qui versuum lenociniis omnia illa animis insinuando, magis et magis ad patriæ amorem impellerent. Hæc quotiscumque recogito, non jam miror tot infimæ conditionis homines tam præclara dixisse vel patravisse, sed inventos fuisse aliquos, qui ab hac indole desciverint. Et illis tantis bonis

cum nostræ republ. careant, illud præterea decesse certe non patiemur, ut ne per otium quidem legendo vulgus erudiri queat. Illud olim fecerint, quorum intererat doctum credi neminem, nisi qui aut Latinum aut Græcum librum edidisset, quando vulgato hoc nomine cum vernaculis scriptoribus, spoliati ipsi magna parte gloriæ fuissent. Sui non patriæ amantes, nec ipsius audebo dicere, ingenii humani perfectionis, malebant appellari nomine, quod sibi exhumato veteri aliquo codice, eoque notis (quibus sæpe!) illustrato, vel collectis modo variis quibusdam lectionibus pepèrerant, quam et patriæ et sibi perennem conciliare famam vulgares egregios libros, quod multi certe potuissent, dando in lucem. Dicam tamen cum celeb. Laharpio gratiarum actiones deberi maximas indefessæ primorum illorum virorum industriæ, qui in abstergendo a veteribus pergamenis situ consentuerunt, et cum mortuis viventes vigentesque habitarunt. Ipsis furor ille quo vetera omnia appetebant, necessarius ad constantiam fuit; nobis vero, quibus hæ perennes lucubrationes viam ad scientias aperuerunt, utilissimus, ut satis illorum memoriam venerari nequeamus. Ignoscendum ipsis est, quod linguam cui, discendi ardore, soli assueverant, scribentes amittere noluerint; at insecutos, vel qui præclara multa scripta reliquerunt, quibus unum hoc vitium adest, quod Latina sint; illud suum ingenium ad patrium sermonem excolendum non contulisse; vel quibus unicum negotium fuit priorum dicta religiose repetere, et, ut sic dicam, papparia vorare, ex hac re pares se illis existimasse, in multo minori doctrina parem præ se fiduciam tulisse, parem denique laureolam ambiisse; quis non indignetur? nisi forte ignoscamus quoque his ultimis, tanquam talibus, qui propter ingenii infirmitatem aperta se in luce ponere non ausi, *scripturientes* Latinam linguam arripuere, quo artificio fore cernebant, ut et auctores salutarentur, et inscitæ notam, saltem apud plerosque, effugerent. Neminem enim non plane indoctum fugere potest, ex quinque milibus, qui a renatis litteris laudati fuerunt, Latinorum poetarum, si vernacule scripsissent, vix centum fuisse futuros legi dignos.

## CAPUT SECUNDUM.

An expediat linguam aliquam existere universalem, et quo sensu? an ea possit esse Latina? an ea etiam nunc recte scribere concessum sit?

Ut rem aggrediamur dicendum primo est de illo quod a neolatinae linguae defensoribus omnium primum objici solet: optabile esse ut sit *communis aliqua eruditorum lingua, qua inter se communicent diffusi et dispersi per omnes populares civitates*; eam autem linguam esse Latinam, et ejus in locum nullam aliam suffici posse.

Communis istius linguae prima commendatio est Cartesii (epist. tom. 2, pag. 548) post eum tuitus est Leibnitiuss (oper. vol. 6. p. 297) qui perperam primus excogitasse fertur, et multi alii. Eam esse; aut multo potius, ejus vices supplere linguam Latinam omnes fatentur. Quod vero si dispicimus paulo accuratius, opus esse distinctione videbimus, atque id ex ipsius Cartesii mente. Quippe enim, etsi multiplex esse usus potest communis linguae cunctis eruditis qui per varias orbis partes disseminati sunt, circumscriptus ille tamen atque intra certos aliquos fines conclusus est. Expediit sane ut scientiae et inventa quam brevissimo tempore omnes terras peragrando illustrent; ut quae ad physicam, mathesin, jurisprudentiam, medicinam, dicam quoque quae ad eruditionem spectant, hac lingua vulgentur quam paucissimi ignorant; sed litteras quid necesse est omnes uno idiomate comprehendere? et, ut sic dicam, uno tantum sermone atque ore musas loqui? aut qui idipsum fieri possit?

Igitur si de eloquentia aut poesi intelligi illud vellent, negarem profecto id prestare linguam Latinam posse, cum neque omnibus ea facultas sit, etsi eruditissimis, ut Latine eloquentes sint, neque, si esset, optabile illud foret, quoniam hoc ipso omnes aliae linguae interciderent. Sed de hoc infra latius: nunc videamus modo quid statuendum in scientiis.

Magni certe et multi commodi esset in scientiis usus linguae quam omnes intelligerent. At praeterquam vero quod scientiae linguarum statum fere comitan-

tur, ut a viris doctis jam pridem observatum est, qui vere sunt eruditi eas plerique linguas omnes, nostro præsertim ævo, tenent, quibus quidquam quod lectu dignum sit, consignatur, aut si fit ut unus et alter eas nesciant, præclariora scripta et quæ mereri hanc operam videantur, nonne ut prodeunt mox in alias linguas convertuntur? Quo etiam accidit, ut qua lingua conversio illa facta est, modo non oscitanter, totidem ea bonis operibus ditior habeatur: ut taceam de numero verborum locutionumque quas lucrifacit, ut pòte quas sæpe necesse sit ab auctore vertendo mutuari, aut novas fingere. Nisi forte parva illa sint, nec cujusque populi intersit divitem et exultam habere linguam. Contra verò si de principio Latine conscriptum sit opus, eruditis quidem, sed solis illud legendi intelligendique facultas erit, et in nullius populi quasi censum referri poterit. Quin (nequè tamen sum barbarus) si in scientis tractandis solum, quod nemini potest esse falsum, et in iis dumtaxat artibus, quæ extra imitationem positæ sunt, communis illa lingua, quam hic Latinam facimus, adhibenda est, dicam nihil referre quomodo secum invicem colloquantur eruditi. Nec porro dubitabo affirmare non esse cur puriori elegantiorique acquirendæ Latinitati multum insudetur, cum extra reprehensionem munus suum præstiterit, modo intelligatur, sermo quantumlibet durus et invenustus. Tum licet, me auctore, verba hæc, quæ *alibi-cumque* monstra essent, ubique apponere: *infallibilis, inexstinguibilis, susceptibilis* et sexcentæ hujus aliusque formæ. Et nonne jam factum est? nonne hujusmodi vocabulis plena est lingua theologorum medicorumque, quod iis carere non poterant? Atqui nihil peccatum tamen, neque peccabitur, cum verba ad res designandas inventa sint, et in scientiis ad res non ad verba attendatur. Ne in affirmando videar fortasse audacior, conferatur Cic. l. 1. de fin. C. 5. n. 15. *in philosopho*, inquit, *si eloquentiam afferat, non aspèrnor, sed si careat, non admodum flagito*. Edico tamen, perspicuitatis gratia potissimum, ut qui cudere talia vocabula voluerit, ab eo et originis et analogiæ habeatur ratio. Non sum nescius reponderi posse sæpe elegantiore dictione et vividiore colore opus esse ut vincatur fastidium; multum certe interest utrum quis scribat uti Bartholus; an Grotio sit similior, si laudem litterati viri spectamus; porro quod cætera attinet ego sentio, qui theologiæ aliusve scientiæ studio se dicavit, et



horridiore suæ disciplinæ auctorum stylo ab eorum lectione absterreatur, fore ut is neque comptiore vehementer capiatur. Nolim diutius illi scientiæ addictus maneat, nihil unquam profecturus; sed amæniore Musarum descendat in valles, ubi pro spinis et sentibus, queis adeo terrificatur.

Pallentes violas et summa papavera carpens  
Narcissum et florem jurget bene olentis anethi :  
Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis  
Mollia luteola pinget vaccinia caltha.

Sed jam satis multa de communi lingua : sequitur nunc ut videamus utrum, si linguam Latinam assumimus, æquare veteres scribendo possimus, id est utrum ulla ratione fieri possit, ut Latinæ linguæ ingenium assequamur. Nam si possibile non est, ut oratio nostra *pura, sincera, emendata, nihil habeat sordium a recentiore ævo nihil alienum a consuetudine Latina et grammatica ratione*, absurde faceret qui Romanorum sermonem scribentibus commendaret. Nihil autem arbitrator esse facilius quam demonstrare quid ad hunc nobis finem desit.

Ut quis bene scribere dicatur, primum et ante omnia requiritur ut nihil peccet in proprietatem verborum : *Hæc ego*, inquit Favorinus apud Gell. l. 4. c. 1. *Cum philosophiæ me dedissem, non insuper habui discere; quoniam civibus Romanis, Latine loquentibus, rem non suo vocabulo desmonstrare, non minus turpe esset, quam hominem non suo nomine appellare* et Boil. in arte poët.

Surtout qu'en vos écrits la langue révérée,  
Dans vos plus grands excès vous soit toujours sacrée.  
Envain vous me frappez d'un son mélodieux,  
Si le terme est impropre, ou le tour vicieux....  
Sans la langue, en un mot, l'auteur le plus divin  
Est toujours, quoi qu'il fasse, un méchant écrivain.

Quæ explicatione non indigent; quippe liber in quo illa desideraretur duplici vitio laboraret, et quod desideraretur, et quod, quæ dicta essent, intelligi, nisi divinando, non possent.

Primarium illud et capitale vitium non potest esse a recentiore Latinitate alienum. Etenim in quo continetur illa verborum proprietas? ut singula voca-

bula eo, quo decet sensu usurpemus. Veram autem significationem quomodo sequemur, quibus tam paucula sunt, quæ sese lucida distinctaque offerant, ut pleraque certis locis non intelligeremus, nisi male definita non capientibus præsto esset totius sensus sententiæ, qui hariolantibus ænigmatis aliquam partem revelaret? Audiatur quid ipsi veteres hac de re testentur: *pleraque vocabula, quibus vulgo utimur, neque tamen liquido scimus quid ea proprie atque vere significant, sed incompertam et vulgariam traditionem rei non exploratæ secuti videmur magis dicere quod volumus, quam dicimus.* (Gellius l. 16, c. 5. expend. ejusd. verba l. 17, extrem. c. 13.)

Nec verborum modo singulorum, sed locutionem quoque, quas omnes linguæ multas proprias habent, maxime tamen veteres, proprietatis necessaria est ad recte scribendum cognitio. Atque harum quoque verum sensum solus locus, quo inveniuntur, ut plurimum determinat; rescisse a reliquo corpore orationis ambiguae sunt, et *æquivocæ*, ut dicitur, significationis, recentioribus inquam, non autem veteribus, ut nec nobis patriæ linguæ locutiones quidquam habent obscuritatis. Confirmanda illa exemplis non arbitror, cum neminem fugere possint, qui tantillum modo cum antiquis scriptoribus commercii habuit. Deprehendunt in iis vel doctissimi multos locos ad quorum interpretationem non ad grammaticam sed ad logicam recurrendum sit; ut aliquando mirari contingat, qui fieri potuerit ut idem scriptor eadem vocabula acceperit vel tam varia significatione, vel tam parum determinata. At risum merentur nonnulli, qui tantum sibi tribuunt ut, suam dum fateri deberent ignorantiam, auctorem quem non intelligunt insimulare malint obscuritatis, imo ignorantiae. Et accusaverunt eum quidem, qui omnium semper habitus est scripisse purissime et studiosissime, Ciceronem. Cujus hæc fidem superant, consulat is Cic. epist. ad Att. l. 7. ep. 3. in qua dubitat scribendumne sit *ad Piræa, in Piræa, Piræum, an in Piræum*. Ibi memini me de commentatoribus nescio quem (piget enim dicere) videre affirmantem quod Cicero ignorasset *causas linguæ Latinæ*. Neque Virgilius aliter habitus est, quem Cl. Verderius, Ant. fil. vocabulis barbaris ac dictione minus Latina usum esse ostensum ivit, etsi is nulli fere veterum pepercit. Videantur quoque quæ Jan. Nicius Erythræus (Jos. Vict. Roscius) de Jo. Ciampolo narrat in Pinacoth. imag. ill. p. 2, pag. 63 seq, edit. 1692.

Verum si nulla alia via probari posset verborum vim et proprietatem non posse in recentioribus scriptis conservari, nonne id abunde præstarent veterum grammaticorum disceptationes, in quibus, quantum augurari licet ex his, qui non intercidere, non modo inquiritur temere de qualibet voce, sed gravissimi auctores ad tribunal citantur; ut hinc quoque colligas tum quanti illa sit, tum quam vel ipsis veteribus servatu difficilis. Sic Carbilius Æncidomastiga scripsisse dicitur; Largius Licinius Ciceromastiga; neque eidem Ciceroui pepercit Gallus Asinius, teste Gellio l. 17. c. 1. qui eos prodigiosos vocat homines, quod scribere ausi sint M. T. C. parum integre atque improprie, atque inconsiderate locutum; Sic Sallustium reprehendit, quasi ejus scripta nimia essent priscorum verborum affectatione oblita et audacioribus plena translationibus, Asinius Pollio (Suet. ill. Gram. 10. conf. Gell. X. 26, ubi tamen a Pollione dissentit). Eundem Pomp. Lenæus acerbissima satyra laceravit, appellans et vitæ et scriptis monstruosum; præterea priscorum cætonisque verborum ineruditissimum furem (Suet. ibid. c. 15)..... Libet hic interrogare quæ sint ea prisca vocabula, quæ elegantior meliorisque notæ Latinitas, qualis tum temporis erat, non tulerit, et quid habeant vitii? et quomodo interpretanda sit obscuritas illa Sallustii atque audacia translationum de quibus est apud Suetonium? Namque ego sic puto, aut injuria reprehensum fuissæ Romanæ historiæ principem, idque tantum non ubique, aut, qui se veteres æquare dictionis puritate posse jactitet, debere illum responsionem habere in promptu; et cum tale hoc sit, ut scias oporteat prius quid sit recte facere, quam facere possis, nisi recentiorum aliquis id, quod dictum est, scire se non ita futilibus rationibus probaverit, incipiam jam non amplius de causa esse sollicitus. Interea pergam tamen.....

An verborum proprium sensum compertum habere censeudus est, qui synonymorum, quæ vulgo feruntur, differentias non videt? minime sane: nam quæ plane idem significant, pro certo habeo vix esse ulla. Audiatur Cicero: » *quamquam enim vocabula prope idem valere videantur, tamen quia res differerebant, nomina rerum differre voluerunt* » Audiatur Quint. » *pluribus autem nominibus in eadem re vulgo utimur, quæ tamen, si deducas, suam propriam quamdam vim ostendent* ». Ipse Quintilianus plurimas hujusmodi synonymas

voces interpretatur. Seneca quoque, et Varro de l. l., et Festus de vet. verb. sig.; Non. Marc. de var. sig. serm.; Asc. Pædianus; Servius, alique veterum; inter recentiores autem Laur. Valla; A. Manutius; Hor. Tursellinus; Henr. Stephanus; J. C. Scaliger; Gasp. Scioppius; Vossius; Vavassor; Popma batavus; et novissime Gardin du Mesnil Gallus, sed quorsum hæc vel tam pauca, vel tam incerta? Nam ut antiqui egregias nobis interpretationes reliquerunt; sed quarum numerus non sufficiat: ita posteriores satis quidem multas, sed vero errori obnoxias, nec quibus fidere tutum sit, imo a quibus non raro cupias dissentire; et grammaticis quidem inter ipsos non de uno vocabulo lis est. Non congeram huc exempla quæ ubique obvia sunt; unum dumtaxat alterumve Ciceronis locum juvat adscribere, ubi voces aliquas deduxit, unde intelligi queat, quam non omnia, quæ forte putantur, synonyma sint. (tusc. quæs. l. 3 in fine, pag. 403 Elz. 1642)

» *Angi, lugere, mærerere ærumna affici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia esse, afflictari: Hæc omnia definiunt stoici, eaque verba, quæ dixi, singularum rerum sunt, non, ut videntur, easdem res significant, sed aliquid differunt: quod alio loco fortasse tractabimus* ». Nimirum l. 4. pag. mihi 411 sic illa persequitur: *Est igitur ægritudo opinio recens mali præsentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.... angor est ægritudo premens; luctus est ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. Mæror ægritudo flebilis; ærumna ægritudo laboriosa; dolor ægritudo crucians; lamentari ægritudo cum ejulatu; sollicitudo ægritudo cum cogitatione; molestia ægritudo permanens; afflictatio ægritudo cum vexatione corporis, etc.* Horum certe plerorumque discrimina etiam citra ciceronis expositionem cernebamus; sed qui sic inter omnia distinguat, aut vel subolere differentiam possit, næ ille mihi homo fuerit sagacissimæ naris! dicerem latinissimæ, nisi dubitarem an satis latine....

Sed videor mihi jam audire obstrepentes aliquos quos non fefellerunt scilicet illa superius a me allata ex Fabio: *pluribus nominibus in eadem re vulgo utimur*: hem intellexistin? non ille asserit promiscue adhiberi? quid est illud *vulgo et in eadem re?* — ego vero intellexi; sed vereor ne ipsi Hercle! pessime, aut nodum, ut aiunt, in scripto quærant. Nam illud vult Fabius, id vulgo fieri

quidem in quibusdam vocabulis, sed eum, qui probari cupiat dictione, oportere propriam singulorum vim prescrutari; tum fieri illud non ubivis: quoniam multi sunt casus, ubi, quæ alibi synonyma fuerint, si ut talia adhibeas, vacare culpa non possis. Qui sint autem illi casus, is profecto nodus est, quem ne ferro abrumpere recentiores posse contendo. Quod vero de Stoicis agat Cicero in loco allegato, id, cum contra nos nihil faciat, non arbitror esse amoliendum.

His qualibuscumque meis argumentis summorum duum-virum in republ. literaria auctoritatem adungere libet, Voltarii et Bolæi. Quorum prior sic loquitur: (Verti locum, quia brevior, dicit autem de neol. cel. poeta) « placet his qui » putant lingua latina bona etiamnum carmina componi posse et ab exteris » Augusti seculum revocari, dum lingua utuntur quam ne pronuntiare quidem » sciunt: *in sylvam ne ligna feras.* » Atque ipse tamen Latine luserat aliquando, nec sunt ipsius Latina carmina cæteris neolatinis pejora. Fidem faciat hoc ejus distichon dissertationi de igne præfixum:

« Ignis ubique latet, naturam amplectitur omnem,  
» Cuncta parit, renovat, dividit, unit, alit.

Quid potest esse brevius, clarius et simul elegantius, atque, quatenus licet, magis ad antiquum morem? at bono litterarum gallicarum factum est, ut illam facultatem ad ipsas potius transtulerit, quam frustra Latinis insumpsisset, duxque æqualium et posterorum quam pedisequus esse maluerit antiquorum. Bolæus autem et ipse egregie Latine doctus, acerrime adversus neolatinos stetit et argutissimum reliquit Latinæ satyræ fragmentum ex quo satis apparet quid de neoterica Latinitate senserit.

« Quid numeris iterum me balbutire Latius,  
» Longe Alpes citra natum de patre Sicambro,  
» Musa, jubes? istud puero mihi profuit olim,  
» Verba mihi sævo nuper dictata magistro  
» Cum pèdibus certis conclusa referre docebas;  
» Utile tunc Smetium manibus sordescere nostris,  
» Et mihi sæpe udo volvendus pollice Textor  
» Præbuit adsutis contextere carmina pannis:

- » Sic Maro, sic Flaccus, sic nostro sæpe Tibullus
- » Carmine disjecti, vano pueriliter ore
- » Bullatas nugas sese stupere loquentes. «

Sed nihil æque lepidum aut ingeniosum atque dialogus quem idem ille Boëlius composuerat in poëtas Latinos recentiores, quemque ab auctore, ne amicos quosdam suos offenderet, suppressum ipsius nobis servavit commentator.

Totum quidem, quam longus est, et sicut habetur in edit. Amst. vol. IV. pag. 269 seq., non transcribam; partem tantum subijciam: Apollo ridens temeritatem neolatinarum poetarum hortatur Horatium ut et ipse versus faciat Gallicos; respondet Horatius: *C'est-à-dire qu'il faut, que je vous donne aussi une scène à mes dépens, et aux dépens du sens commun.* — Apollo. *Ce ne sera qu'aux dépens de ces étrangers; rimez toujours.* — Horatius: *Sur quel sujet? qu'importe? rimez puisqu'Apollon l'ordonne; le sujet viendra après:*

*Sur la rive du fleuve amassant de l'arène. ....*

Poeta aliquis: *Alte-là... on ne dit point en notre langue sur la RIVE du fleuve, mais sur le BORD de la rivière; amasser de l'ARÈNE, ne se dit pas non plus, il faut dire du SABLE.....* — Horatius: *Vous êtes plaisant. Est-ce que RIVE et BORD ne sont pas des mots synonymes, aussi bien que FLEUVE et RIVIÈRE? Comme si je ne savais pas que dans votre cité de Paris la Seine passe sous le pont nouveau. Je sais tout cela sur l'extrémité du doigt.* — Poeta: *Quelle pitié! je ne conteste pas que toutes vos expressions ne soient françaises, mais je dis que vous les employez mal. Par exemple, quoique le mot de CITÉ soit bon en soi, il ne vaut rien où vous le placez. On dit, la VILLE de Paris. De même on dit le PONT-NEUF, et non pas le PONT-NOUVEAU. Savoir une chose sur le BOUT du doigt et non pas sur l'EXTRÉMITÉ du doigt.* — Horatius: *Puisque je parle si mal votre langue, Messieurs les faiseurs de vers latins, croyez-vous que vous soyez plus habiles dans la nôtre? etc. etc.*

Quotusquisque exterorum sic non loquitur, ut in hoc dialogo Horatius? Si non eadem illa vitiose eloquuntur, similia certe multa. Itaque exemplo idiomatis

Gallici hic ostenditur quid putandum sit de Latino. Nulla non lingua sua vocabula habet, quæ certis tantum locis adhibenda sunt, suasque phrases in quibus quidquam immutari nefas est. Sic Latine *capitis minor* dicitur, *frontis minor*, ut in Sarbievio est (lib. iv. od. 29), non dicitur. Sic gallice recte proferas *le jardin du Roi*, *le palais royal*, si invertas, *le palais du Roi*, *le jardin royal*, jam nescietur quid velis. Quæ cum ita sint fateamur necesse est nunquam nos perfectam mortuarum linguarum cognitionem posse acquirere; quippe qui illa tam tenuia, quorum ratio est in linguæ solo usu et ingenio, nulla mentis intensione deprehendemus neque divinabimus; fateamur, inquam, in verbis singulis, et in verborum constructione, neque proprietatem requirendam esse, neque decorum.

Sed, dicet aliquis, an credibile est quemquam in id vitium incidere posse, si nonnisi phrasibus utatur ex veterum scriptis undique collectis, et simili sententia? Quamquam illa puerilis questio est, respondebo tamen; primo: hujusmodi centonem commendationem, siquis ita vult, esse memoriæ illius qui consuerit, sed placere posse nemini. Tum, non posse eo modo longius neque novum argumentum tractari, absque eo ut multa sive clam irrepant, sive ultro à nobis inserantur, quæ nostra sint, atque adeo nisi multa mala admisceantur. Deinde, cum præcipuum sit scriptoris alicujus decus dictionem habere propriam et peculiarem, an, si quis tamen composuisset eo modo quidpiam, is bene scripsisse dicendus esset, cum stylum haberet non suum neque simplicem, sed esset opus ipsius mera farrago? si vero fieri posset, ut omnia ex uno aliquo auctore desumerentur, tum, fateor, foret æquabilius dicendi genus, sed cui bono lacerasse in frusta et disjecisse, quæ apud ipsum auctorem habemus et ad suum certe ordinata ingenium? De hujusmodi scripto dicere liceret, quod olim a divite quodam responsum est homini, qui se hinnitum equi artificiosissime imitari voce posse jactitabat, hinnientes equos audire se quotidie in stabulis. Argute etiam Fontenellius, referente Alembertio, cujus hæc pleraque sunt, dicebat sese juvenem admodum Græcos versiculos composuisse, nihilo Homeri versibus deteriores, sed exclamantibus ad id amicis, addebat: erant enim ipsius Homeri, sicque facile fidem inveniebat.

Ad hæc, num in antiquis scriptoribus omnia sunt sincera, pura, elegantia?

An nulla sunt in Racinio, Rossæo, Voltario vitia sermonis? Nemo dixerit. Quæ autem illa sint, nisi nos Galli docuerint, unde sciemus? eadem ratio est Linguae Latinæ. Quis affirmaverit in phrasi quam mutuati simus nullos inesse nævos, non inaccuratam esse, non indecoram, non a véro et pulchro abhorrentem, uno verbo quomodo cognoscemus an proba sit et congrua? nullo modo. At constat ex fide æqualium paucissima esse in Cicerone, Cæsare, Virgilio quæ reprehendi mereantur; non negamus: sed ex iisdem constat, idque humana confirmat ratio, esse tamen aliqua, quæ nos, quia ignoramus in quo peccent, perinde atque cetera assumemus. Nemo nescit de Patavinitate Livio ab Asinio Pollione objecta, nec est tamen ullus, qui Livii inter et Ciceronis latinitatem quidquam discriminis reperiat, nec qui non Patavinam æque ac Latinam ex illo locutionem arripiat.

Longius etiam progrediamur: sunt quædam scriptionis genera quæ tota versantur circa communis vitæ usum consuetudinemque, et in quibus unice præsentis ævi mores intuemur atque depingimus, quales mimi, fabulæ, etc. atque a quibus, ut recte a viro clarissimo observatum est, propterea omnino est neolatinis abstinendum. Nihil enim est nostris in antiquorum moribus simile, neque adeo in lingua quidquam est quod ad illos exprimendos accommodatum sit. Hinc consequitur ut a quorundam veterum scriptorum non imitatione modo, verum lectione etiam sit temperandum (nam quod vel invitus imitari nolis, ne legas facito) a Plauto autem dico, Terentio et similibus. Namque locutionibus uti comicis, præterquam in comedia, id demum esset comicum. Eorum absurdam opinionem, qui putabant Terentii dictionem ad epistolas traduci posse jam pridem Alembertius evertit: *quid?* inquit, *laudaret ne Gallicarum epistolarum auctorem is, qui diceret qui eum legunt putare illos se Molierium legere?* Nonne hoc etiam tenendum est, Terentium, quo magis est ejus celebrata proprietas orationis et elegantia, eo minus esse attingendum cupienti quidquam scribere Latino sermone, quia eo certe magis tendant omnia ad ridiculum? Nihil agitur dicendo esse in eo multa, quæ, aliorum auctoritate etiam extra comædiam decere cognoscimus; namque quid confert ad copiam Latinitatis Terentius si, nisi quod ab alio quoque dictum sit, post eum dicere religio est? fuerunt tamen, nec illud



mirari desino, qui ad omne argumentum varias Terentii loquendi formulas transulerunt, verum qua laude, id Dan. Heinsius declarat, *consequuntur*, inquit, *quod non vident, ut inviti risum moveant*. Hæc tamen ipsa a meditatione potius, quod aliter evenire non posse videbat, quam ab experientia profecta esse arbitror.

Sic delectus etiam inter Ciceronis scripta, orationes, dico, dialogos et epistolas instituendus esset, neque temere ac promiscue quodcumque Ciceronis est, ad cuiusvis materiæ tractationem arcessendum, cum in dialogis, potissimum autem in epistolis innumera sint a quotidiano more desumpta, quæ soli æquales cuius essent naturæ perspecta habuere. Nam nos etsi facile cernimus quid intersit inter dicendi genus simplex et acuminosum, inter concinnam rotunditatem et abruptam breviter, ad quod quamvis exigua linguæ scientia sufficit, tamen, ut jam dictum est, vim et naturam verborum phrasiumque, quod ad recte scribendum absolute necessarium est, non percipimus. Viderat Sarbievius in epist. Cic. ad fam. l. X. 16, quæ ad Plancum est, *ne in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus*. Ubi hæc ultima priora illa respiciunt: *ne a senatu consilium petendum putes*; atque ut familiarissima sunt ita commodissime sequuntur. Polonus vero illa imitatus L. III. 16. sic canit:

Quid diu vanas feriente nubes  
 Vota fallaci jaculamur arcu?  
 Quid loquor dudum mihi consul ipse,  
 Ipse senatus?

Quæ est multum absit ut damnare ausim, tamen impetrare a me non possum ut omnino tanquam eximia (bona) accipiam. Illud præsertim quod de suo addidit, *mihî consul ipse*, suspectum habeo vitii. Verum quidem est vicinas esse notiones consulis et senatus, incertumque utrum senatus hoc loco posita vox obelo, ut aiunt, figenda sit; At consul est non qui consilium dat, sed qui providet, neque adeo cerno quid Latine significare possit *sibi esse consulem* eo modo quo a Sarbievio usurpatum est. Horat. l. IV. 9. *consulque non unius anni sed non plane eodem sensu dixit*. Similiter libro II. oda 17. peccasse videtur:

Non curiosus ille lignonibus  
 Evisceratæ collibus Indiæ,

Aut emedullato Liburnis  
Montibus insidiatur auro

Ubi *emedullato* Plautina vox an conveniat, ego quidem nescio, ut nec illud scio an aurum dici possit emedullatum, anne potius ipse mons effodiendo aurum emedulletur. Sic passim dubitamus recentiores, nusquam certi, nisi ubi incerti esse non possumus. Si tamen emedullato accipiendum est, vix dubitem quin alterum quoque hoc Plauti, *exossare*, in lyrico carmine probandum sit.

Sæpe miratus sum unde adeo veteribus ingeniis nostratia præstarent, aut quæ tanta recte scribendi recentioribus illico adjecta facilitas esset Latine loquentibus, ut, cum Maro et Cicero, hic ligata, ille soluta oratione perpétuo iratos Deos experti sint, ipsi tamen seu carmen seu prosam scribant, nisi plane caprimulgi, ut ait ille, sint aut fossores, utraque vena ex æquo divites et amæni fluant. At illius incredibilis mutationis hanc tandem mihi visus sum posse causam reddere, quod veteris istius linguæ, præter cætera multa, habitus et quasi coloris penitus ignari atque imperiti, iidem omne construendi artificium ignoremus. Modos enim, arbitrator fuisse quosdam et formas quibus linguæ illius ingenium, ubique sui simile, varium tamen et diversum, liberam orationem a poetica phrasi discriminaret, ambarumque constantes leges sive illæ ad inversionem, verborum nexum et texturam, sive aliam quamvis ad rem pertinerent. Quidquid illud fuit, fuit tamen aliquid quod amisimus simul cum communi sermonis istius usu.

Hæc sunt igitur quæ de vocabulorum vi et proprietate, de phrasium facie coloreque, de temporis locique ratione et dicendi generis habenda, in quibus vocabula ac phrases illæ adhibendæ essent, hucusque disquisivimus, et, nisi fallor, ex dictis concludi potest cum cl. Alembertio, *ut perfectam illarum rerum cognitionem obtineamus, necesse esse ut ea vocabula, atque loquendi formulas usurpata viderimus consutaque mille modis diversis. Exiguum librorum numerum, qui nobis in singulis generibus relictus est, quamvis eos vicies perlegamus, omnino ad id non sufficere. Eo perveniri non posse nisi crebris confabulationibus, continuis sermonibus, ea ipsa lingua institutis; nisi usu assiduo et infinitis meditationibus quas solus ille usus suppeditare possit.*

Idque tanto verius defenditur quod non nisi illa ratione atque post multos annos studii exercitationisque existit aliquis egregius patria lingua scriptor ; *ce n'est pas encore seulement le génie d'une langue qu'il faut connaître pour la bien parler, c'est la propriété des termes qu'il n'appartient guères encore qu'à celui à qui une langue est naturelle de bien distinguer.* (Rhét. de M. Dewez.) Illi igitur qui mortuam linguam amplectuntur, in qua omnibus illis adjumentis carent, quamlibet aliam potius quam styli laudem expectent.

Sed dicet fortasse aliquis cum doctissimo viro linguas recentiores plerisque scriptoribus non minus mortuas esse censendas, quam Latinam, quod nulli popularem alicujus provinciæ sermonem *simpliciter* sequantur, quin reprehendi vel in optimis illa videamus, *quæ a sua quisque provincia traxisse censeatur, a probato librorum*, ut aiunt, *sermone abhorrentia*. Hæc ego, quantum judicio meo tribuo, nullum esse argumentum arbitror, quo æque esse facile Lingua veteri atque recentiori recte scribere persuadeatur ulli. Primo enim non credo ex eo quod nemo popularem sermonem *simpliciter* sequatur, recentiores linguas mortuas æque ut Græcam et Latinam dici posse. Præterea certissimum est nullam existere adeo à librorum sermone diversam ejusdem linguæ popularem dialectum, ut non sit eadem omnium omnino vocabulorum utriusque communis origo, sive, ut loqui consuevimus, radix, quæ sola, in partes veniente usu, uniuscujusque vocis suppeditare potest veram significationem. Tum suæ quisque linguæ quasi e natura ipsa hausimus scientiam; instinctus inest in nobis aliquis quem nulla præcepta supplere queat. Et ingeniis et corporibus nostris patria suum quoddam signum impressit constans et indelebile, quod nec dissimulare ipsi possumus, nec exteri simulare, quasi vereretur ne se aliquando abnegaremus, aut nothis in prædam cederet. Quot Gallorum malæ simiæ! dum illorum mores, incessum, habitum imitari enixe student. Quin flexibilis illa et tam varia corporis nostri pars, lingua, præbere se huic fraudi negat, et officio, quod jure quodam nostro ab ea reposcere videmur, deest quam maxime. Contra nascendo ad patrium sermonem erudimur.

Non ignoramus vocum, quæ popularis sermonis sunt, illiusque quem in libris usurpamus, non eandem semper esse inflexionem, detorqueri plerumque ultimas

syllabas, verum adversus hæc peccata jam pueri declinationum et conjugationum schematibus munimur. Construendi ratio fere eadem est, nisi quod altera paullo exquisitior et curiosior; sed hoc pendet ab ingenio scribentis. Si vero dantur quædam locutionis formulæ, quæ quidem vitiosæ sint, eæ facillime vitantur, cum nemo, nisi insaniat, absque prævio linguæ studio sese ad scribendum accingat. Quibus hoc volo, linguas recentiores, sicut eas quotidie adhibemus, mortuas esse, si quis ita vult, scribentibus, sed ita, præter colorem nihil ut in ipsis considerent, in Romana vero et Græca tantum non omnia.

Libet hoc loco apponere quæ habet Dureau de Lamalle, præf. in Tacitum, pag. 14. *Cuique linguæ suum est ingenium, suæ veneres, sua forma..... Quot (linguæ Latinæ) perditus usus! quot allusiunculæ consuetæ æqualibus, nobis autem obscuræ et incertæ..... Ad hoc nullum est in sermone Gallico vocabulum cuius non sit Gallo liquida et explorata significatio; mortuarum vero linguarum obscuritatis involucris teguntur, et quasi velis quibusdam aliquatenus obtenduntur loquendi formulæ, unde divagari ingenio licet, unde etiam fit ut videantur sæpe nobis multo plus habere venustatis vel audaciæ quam revera habebant æqualibus.* et cl. Laharpe mihi vol. 1. p. 4 edit. comp. in-8° et sane, inquit, *plurimi sunt in sermone lepores, plurimæ suavitates et gratiæ in pronuntiatione, proinde plurima his virtutibus contraria vitia, quæ percipi, nisi à Romanis, non potuerunt;* etc. Itaque nemo est qui non plura florente adhuc lingua, quam jam post illam viventibus, tribuat.

Nihilo autem plus efficere arbitror cl. virum dum addit: exteros, neglectis provinciarum dialectis, scriptorum sermonem præse sequentes litteris v. g. Germanicis imbutos, et in Germania diutius versantes, sæpe videri Germanice melius quam plerosque eruditos natione Germanos loqui, nec scribendo esse inferiores; itaque quod illi in Germanica assequantur, quam idoneam rationem adferri posse, cur id assequi recentiores in Romanorum lingua nequeant? Respondeo nullam omnino, si supponamus recentiores litteris Romanis imbutos, Romæ (in veteri nempe) diutius fuisse versatos. Quippe si, (quis autem dubitat?) major difficultas potius in sermonis Latini a recentiorum *sermonum* diversa indole quærenda est, consuetudine jam fiet ut è barbaris evadant Romani, quod in Te-

rentio aliisque vidimus, nec mores solum, sed, de qua hæc maxime assero, linguam vel inviti sæpe assumant. Nam ut cernimus quamque nationem, pro diversitate coeli sub quo habitat, moribus esse vel asperioribus, vel mitioribus, et hanc ipsam diversitatem inesse quoque in sermone: pari modo longiori cum illis commercio, eundem quasi contagio colorem ducunt exteri, et adsciti sermonis consuetudine pæne natura fit. Alii populi alias litteras nullo conatu efferre aut exprimere voce possunt, quod de Otahitiis constat, quare, cum esse nequeat alia prononciationis quam ipsius linguæ ratio, videri possit quæque lingua cuique dumtaxat apta esse populo, idque ipsum quatenus cælum non mutat; cum non minus ac plantæ cæteraque animalia, quæ alii solo assuefiunt, homines indolem mutant ac mores, et, quæ inde pendet, linguam. Id ipsum quodammodo fassus est cl. Ginguené dum ait: *il est peut être vrai de dire que la question (de la légitimité du latin moderne) qui est encore douteuse chez la plupart des nations de l'Europe, ne pouvait être décidée affirmativement qu'en Italie.*

Viventium igitur linguarum summis ingenis impossibile non est assequi indolem, concessa adhuc facultate investigandi, qua inter se cognatione populi ingenium et linguæ contineatur; ut hujus ope comparationis orationem sibi fingant probam et sinceram, vix aliter ac si patrio sermone scriberent; imo fit tum peregrina lingua quodammodo ipsis patria et studio exercitationeque obtinent quod alias nascendo: ingenii, inquam, vigore et cultura merentur, quam nascendo non habebant, civitatem. At si, his nihil obstantibus, difficillimum tamen est recentioribus alienam, etsi florentem adhuc, linguam scribendo usurpantibus nativum germanumque ejus habitum exprimere atque servare, tantoque magis quanto ea a patria longius abit, quid dicendum est de sermone Romanorum, a quibus tam sumus non lingua solum et tempore, sed moribus etiam institutisque alieni? Quoniam in his quæ ad pulchri verique sensum spectant judicia nostra neque sunt, neque esse aliud possunt quam meræ comparationes, omni comparatione eo modo sublata, nullus accurato judicio relinquitur locus.

Qui Latini scriptoris laudem sibi vindicare cupit, eum oportet servare antiquam linguæ formam; formam autem antiquam illam quomodo conservabit, ut pote, quæ tota pendeat a Romani ingenio populi? Quomodo assequetur si illud ingenium ipse veterum convictu Romanorum non reddiderit suum?

Hinc autem aliud mihi nascitur argumentum, quod vereor ne, quemadmodum sentio, ita exprimere Latine nequeam. Sic enim cogito : scriptorem alia lingua præter patriam utentem, nisi eam quotidiano usu loquendi, idque cum his quorum est ea patria, asseruerit sibi propriam (quod ipsum jam in Græca et Latina non conceditur) hunc igitur cogitatione vix, aut ne vix quidem paullo altius assurgere, et mente ad sublimiora tendere posse; sive proferre aliquid quod rarius sit exquisitiusve. Quo me illa ducunt, nimirum quotiescumque mente mihi aliquid fingo, inuenio non idipsum prius adesse quam verba quibus, sed tacite, mecum exprimo; ut impossibile sit quidquam cogitare, nisi, quomodo dixi, simul verba obveniant, sive illa propria sint, sive longius accersita. Semper vestita nascitur idea, nuda nunquam. Itaque si illa quæ cogito, percipere, nisi verbis intra me depicta, nequeo, Latine scribere volenti necesse erit prorsus Romana tractare et Romanorum dicta repetere, eque memoria et res, et verba, quibus reddantur, depromere, aut in alio quovis argumento ideas, quæ Gallicæ Gallo natæ sint, sua, ut sic loquar, spoliare nativa veste, ut toga induantur. Necesse, inquam, erit idem præstare quod qui auctorem aliquem in diversam linguam convertunt. Quo non opus est dicere quantum non modo sententiis deperiat gratiæ et venustatis, sed quantum ingenium etiam constringatur, et audacior præpediatur volatus.

Unum video superesse argumentum quod ab omnibus prævisum, a nemine, quod quidem sciam, satis refutatum fuit. Jam olim Quintil. l. 8. 2. *Multa et Græce et Latine non denominata.* Et Cic. pro Cæcinnâ. 18. *An hoc dubium est quin neque verborum tanta sit copia non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur?* et Ulpian. l. IV. de V. P. dicit : *natura rerum conditum esse, ut plura sint negotia quam vocabula.* Adde illum l. IV. 3. et XII. 10. et Cic. Tusc. 2. 15, ubi Græcam suæ linguæ subsidio vocant. J. Cæs. Scaliger de verbo *inepti* adversus G. Budæum fatetur, si multa Græce dici nequeant, non tam ejus linguæ inopiæ id esse adscribendum, quam illarum rerum copiæ, quæ temporis demum tractu ac longo usu a Romanis, tanquam posterioribus, introductæ Græcos fugerint. Id nos quoque de Latina, et præviderat olim inter alios Horatius... *Si forte necesse est*

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum  
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis  
 Continget, dabiturque licentia sumpta prudenter,  
 Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si  
 Græco fonte cadant, parce detorta.....  
 ..... Ego cur, acquirere pauca  
 Si possum, invideor? etc.

In quibus simul indicat huic malo remedium, et quo usque eo uti licitum sit, aptis confirmat exemplis. Itaque si insolitum quidquam ipsi vel æqualibus vocabulo suo indicandum esset, ad aliorum vocabulorum normam conficiebatur; sin minus apte id fieret, ad Græcam linguam recurrebatur, tantoque prudentius, quanto magis credibile est voces Latinas maximam partem ab ea profluere. Nostra vero ætate longe aliter se res habet; *sunt enim*, ut ait Pontius Viranius, fol. 170 in præf. ad Emm. Chrysolari erotemata, *sunt seculorum varietates. Temporibus priscis, Homeri s. sic diceretur; postea variatis seculis, s. temporibus Ciceronis, simpliciter dicebatur: Cæsar fac, Cæsar dic, non autem tua dominatio, neque vestra magnificentia, neque reverendissimus, quod neque Græce neque Latine potest defendi, sicut nec legendissimus.* Hæc homo egregie doctus, sed sermone incomptior. Heineccius tamen, credo, mavult reverendissimus, etsi minus Latinum, retineri, quam aliud a moribus nostris magis alienum. Conf. fundam styli cultior. part. II. C. I. §. XII. et p. I. C. II. styli Rhet. §. V. quo ultimo loco sic ait: *prudencia suadet ut malinus parum Latine, quam parum reverenter loqui..... stultum esset ut placeas grammaticis, principibus displicere velle, et hos lædere, ne Prisciani majestatem læsisse videaris.* Tum fortasse recte, cum omnia Latine transigerentur; nunc autem quis est princeps qui Latino sermone compellari velit? neque periculum est ne Gallicæ Germanicæve aut alius posterioris linguæ ingenio obsequentes, quemquam offendamus. Quod si per omnia Latinitatis indolem sequi non licet, quia, ne aliud gravius dicam, ridiculum haberetur inter recentiores populos viventem priscorum affectare mores, neque imitari formulas, quia pleræque non nisi liberæ reip. conveniunt, non video qua ratione adduci se quis sinat ut in aliquibus velit Romanus haberi civis, cum in omnibus non possit.

Sed tamen, ut unde digressi sumus, redeamus, an est aliquis qui dicat voce utentem, quæ Latina non sit, Latine loqui? quot autem sunt tales, quæ e sermone ejici, propter eam, quam facile quis colliget, rationem, non possunt? aut sicuti jam dictum est, quot sunt res, quæ res sive parum et male cognitæ Romanis, sive (et est harum major numerus) penitus incognitæ, et quas nostra modo ætas vel mores invexere, non conveniente, aut nullo fuerunt nomine donatæ, et in nullo non occurrunt argumento? Quanta turba vocabulorum desiderantur in his quæ ad rem militarem pertinent, quæ ad nauticam, quæ ad publicas, quæ ad privatas? quanta iterum spectantium ad agriculturam, quanta ad historiam naturalem, quanta denique ad alias omnes scientias et artes, Illud tamen leve est incommodum plurimis, quibus solemne est diversa serientibus hæc Horatii occinere : *si forte necesse est indicis monstrare recentibus abdita rerum*, et quæ reliqua sunt illius cantilenæ. Ciceronis quoque se et auctoritate et exemplo tuentur : quid? nonne Tullius nova vocabula non modo finxit ipse, sed et cæteris, ut fingerent, suasit, si quando id res postularet? -- non nego. -- Quidni et nobis id ergo liceat, qui tot caremus vocibus Latinis, ut ubique, etsi velis, circumloquendo sensa animi exprimere non possis? -- Egregie quidem, si Cicerones essemus, aut æquales Ciceronis, aut tales denique qui distinguere possemus quid deceat, quid non; qui accommodate illa nova verba ad indolem Latinæ linguæ cadere possemus. Nam nulla ne opus esse cautione hac in re censetis? An explere dumtaxat versum, anne potius monere æquales voluit Horat. dum reliquis hæc apposuit : *dabiturque licentia sumpta prudenter?* notanda vox *prudenter*. Itaque recentiorum jus illud sibi arrogantium prudentiam ne an modestiam requiram?.....

---

### CAPUT TERTIUM.

Quæ huc usque contra linguæ Latinæ usum disputavimus, sufficiunt sane ad probandum ab ea semper, et in omni argumento esse abstinendum iis, qui ex stylo laudem quærunt. Addenda tamen quædam sunt quæ propius pertineant ad poesin, quippe circa quam ipsius quæstionis status versatur.



Miratus sum sæpissime qui fieret ut clarissimi viri, et utraque in parte versatissimi, ligata et soluta oratione, quosque adeo suis ipsorum meditationibus melius edoctos esse certum est, affirmarint, si possibile esset prosa oratione recte scribere Latine, jam non esse cur dubitarem quin idem poetica præstare concessum sit. Multo autem magis admiror rationem quam pro sententia afferunt: quia iisdem vocabulis phrasibusque prosa et poesis utantur. Non aliter se rem habere, si de lingua Latina, quam si de recentiore quærat, quoniam scilicet est eadem poeticæ, quæ prosæ orationis Latinis in literis copia. Quasi vero vocabulis modo et phrasibus omnis poeticus decor et suavitas complexus sit, hoc modo nempe quo in libera oratione adhibentur, et præter metrum, proprietatemque locutionum (si adesse possent) nihil ultra desideretur ad bonum versum. Sic, si Diis placet, brevi nihil interfuerit inter Virgillii divinam modulationem et subsultantem Claudiani strepitum, quam differentiam vel nos quam mox, et in primo quoque versu sentimus! Certe Horatius numerum præterea et harmoniam postulabat in carmine, dum vel satyrici poetæ rudes versus damnabat: *Lucilius.....*,

Emunctæ naris, durus componere versus,  
 Nam fuit hoc vitiosus.....  
 Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,  
 Scribendi recte.....  
 Nempe incomposito dixi pede currere versus  
 Lucili .... num illius, num rerum dura negavit  
 Versiculos natura magis factos et euntes  
 Mollius? ac si quis pedibus quid claudere senis  
 Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos, etc.

At vero si quis reponat etiam concessis his priorem sententiam defendi posse, quod ut quis prosa recte scribat, jam oportet illum potius linguæ harmoniam compertam habere, ut ad poesin ipsam, si harmoniæ sensum spectemus, nihilo forte plus requiratur, illis ego hæc sustinentibus non conabor hic loci respondere, et monstrare quod sit inter utriusque orationis harmoniam discrimen, sed remittam ad illa quæ toto hoc capite disputantur, illa ut cum hisce conferat, indeque

ipse, ut visum erit, concludat in alterutram partem, atque cum neutra contra nos faciat, quidquid statuerit, nos assentientes habeat. Illud autem quod simul citavi: non aliter se rem habere si de lingua Latina, quam si de recentiore quaeratur, multa me inducunt ut negandum putem, quæ tamen iterum hic adjungenda seorsim non arbitror, quia in sequentibus expositurus sum, unde qui volet, repetat.

Duo sunt quæ in omni oratione maxime spectantur, sententiæ et elocutio; ita quidem, ut ubi hæc desit, altera virtus nequaquam sufficiat ad laudem egregii scriptoris, et vicissim elocutio sententiarum pondere destituta in inanem abeat strepitum. Sententiæ, si quæ bonæ sunt, non unius sunt neque populi neque linguæ, aliæ tamen aliis magis communes, prout nimirum sive populi mores, sive linguæ fert ingenium. Quocirca unum modo hic est, sed diligenter, dispiciendum, ut à neutro quidquam abhorreant.

Elocutio clara debet esse et sincera: de hac dictum est in præcedentibus. Clara ut sit, id non tam pendet ab argumento et lingua, quam ab ingenio auctoris. Si tamen rem diligentius juvat intueri, comperiemus recentiorum Latina scripta debere esse multo, quam veterum, clariora, utpote quam à recentioribus linguis quasi contactu trahere videntur debere claritatem. At unde fieri dicam, ut plerorumque libri, Germanorum præ cæteris, qui Latine scripserunt, tantum habeant obscuritatis, ut et in argumento, et in l. l. versatissimis (a quibus hæc ego sæpe audi) ad singulas ferme paginas necesse sit subsistere. Et ea omnis obscuritas existit ex intricatis longissimarum periodorum membris et nescio quibus quam misere detortis verbis; tum vero maxime ex nimia eruditionis variæ stultaque affectatione; quæ undique colligit quidquid est allusiuncularum. Quod ultimum cum Jesuitas frequentasse observaverim sæpius, non repugnem si quis Jesuiticum dicendi genus appellet; nam nihil loquebantur illi nisi verborum flosculos, sententiarum lumina, condimenta orationis, tandem nihil probabant nisi esset, quemadmodum Arbiter ait, papavere et sesamo ad fastidium sparsum; alii Apuleianum vocant. Obscuritatis autem illius, de qua dicebamus, licet certe suspicari hoc fuisse causæ, nimirum cum propter sermonis Latini insolentiam, ut necesse erat homines recentiores, illa quæ in veterum libris legerent; minus

prompte assequerentur, tum eos speravisse se veteribus visum iri quam simillimos, si quantum poterant, scriptis suis tenebrarum affudissent. Verum nec vetera hujus rei desiderantur exempla : conf. Quint. l. 1, c. 6. l. 2, c. 5. l. 8, c. 2. quædam etiam habet Erasmus de consc. ep. p. 8. et Peiferus in comm. de Latinitatis magistris.

Sed prisca scripta legentibus nunquam non occurrit aliqua intelligendi difficultas, quam in vernaculis non offendunt, quæ tamen non est in ignoratione significationis verborum solum, sed multo magis in eorundem dispositione et constructione; quo accidit ut quandoque una eademque phrasis, salvis grammaticæ legibus, plures præbeat sensus, cum tamen constet auctorem unam modo rem indicare voluisse, et revera indicasse. Quare vehementer damno præposteram nonnullorum criticorum solertiam, qui hujusmodi plures locos corrigere sibi visi sunt tanquam corruptos, cum ex ipsorum tantum manibus corrupti exierint. Hæc apposui, ut appareat quam sit non modo difficilis investigatio, cur a veteribus quodque verbum quoque loco collocatum sit, (certum enim est non casu irruisse) sed desperanda.

Quis est exterorum qui tam frequentes Parisios confluunt, inveniuntque ibi omnia, quæ ad linguam Gallicam perdiscendam cuiquam adjumento esse possunt, illam unquam facultatem consecutus, ut pure eleganterque scriberet, et bonorum in numero scriptorum haberetur? non paucorum tamen illa librorum numero mortua continetur. Quid erit jam si cogitamus nullas esse in Gallorum sermone inversiones, quæ in Latino continuæ, immo a quibus omnis ejus pæne pendet decor et suavitas? et procul dubio fuisse Romanis aliquam hac in parte legem, et recti arbitras regulas, quæ quidem nil essent aliud quam linguæ ingenium, sed quas ut nescimus ita scire nunquam poterimus, neque in scribendo observare.

Præter hanc, quæ petita est ab ignoratione ingenii linguarum veterum, altera mihi non minus firma reperitur ratio, quod cum totius antiquitatis nihil æque nos lateat, quam quæ fuerit priscorum tam celebrata illa ars pronuntiandi, et quo quàmque vocem accentu moduloque efferrent, in quo fuit maxima Græci et Latini sermonum venustas et gratia, concursu litterarum sive asperiorum sive etiam molliorum non peccare passim, aurium nos, pronuntiationis diversitate,

fallente iudicio; non possimus; ut quæ nobis sæpe concentu placeant, eadem fortasse ipsis tanquam maxime immodulata visa fuissent rejicienda. Quanti autem illud duxerint abunde probatur; cum ex eo, quod vel ipsis veteribus objectum fuerit duriuscule factitasse carmina, tum maxime ex illis quæ circa id observari solita erant. Præcipuum olim grammaticorum munus habebatur, ut legerè docerent pueros et pronuntiare Ennii, Virgilio aliorumque carmina ea arte qua erant conscripta, ut et singularum syllabarum quantitas necnon accentus, et versuum numerus vocis inflexione notarentur. Qua de re operæ pretium est disserentem audire Laharp. m. vol. 4, p. 422. : Qui criticum aut grammaticum profitebatur, eum oportebat unice deditum esse studio linguarum et lectioni poetarum. . . . . Initiare debebat juvenes iis omnibus quæ pertinebant ad artem faciendi versus et harmoniam. Tum temporis cum poësi lyrica una semper adhibebantur instrumenta musica, cum dramatica, cantus. Rythmi itaque doctrinam tradere non poterat, nisi calleret, ut erat captus istius temporis, musicam. Versus recitare eos, habita ratione et quantitatis et numeri, docere tenebatur; probroque sibi vertisset quisvis bene institutus civis, si versum aliquem Græcum Latinumve vitiose extulisset. . . . . Cumque istud studii genus incredibile quanto minus habeat difficultatis apud nos, ubi illa (versificationis) præcepta et pauca sunt et oppido facilia, nihil magis e re foret etc. . . . . Hæc est imago grammaticorum, qui Romæ et Athenis profitebantur, quales ipsos depinxit Quintil. Qua monemur quantum ponderis haberent in veteribus rebus publ. omnia quæ ad bene dicendi artem quoquo modo pertinerent. Ea aurium sagacitas linguarum Græcæ et Romanæ harmoniam excoluerat, cujus vicissim consuetudo sagacitatem alebat aurium. Hæc ille.

Porro ista, quæ dixi, quoniam tantum non tota ad poësin sunt referenda, de qua sola hic quæri debet, libet illis aliquanto immorari diutius, ne, quæ adjuncta modo quæstionis sunt, sola tractasse videamur.

Itaque melius ut quæstio illa tota expendatur, petimus primo qui fieri posse putent, qui pro poësi neolatina pugnant, ut de harmonia conveniat inter recentiores, aut ut quidquam de ea intelligant, cum Germani, Galli, Itali, Angli, Belgæ singuli linguam Latinam modo ab aliis diversissimo pronuntient, adeo qui-

dem, ut nec Germanus Gallum, nec Gallus Germanum (quod de reliquis idem valet) primum loquentem audiens intelligat, immo in initio ne sciat quidem quo sermone compelletur. Tum ad hoc quoque responsum dari velim, quando omnes pronuntiatione non minus a veteribus, quam inter se singuli differunt, utrum fieri possit, ut ulli genuinum verborum sonum tum extra collocationem, tum in ipsa collocatione cognoscant? Est enim duplex harmoniæ species, una, quæ est in singulis vocabulis, ex litterarum seu elementorum consensu atque concentu enascens, quæ penes scribentem non est, hæc certissima ratione, quod vocabulis utendum est ipsi qualia invenerit, at quam noscere tamen debet; Altera, quæ a priori pendet, atque, ut sic dicam, componitur, existit ex verbis extremis cum præcedentibus primis ita junctis collocatisque, ut neque aspere concurrentia, neque vastius deducta habeant convenientiam commodulationemque. Et erat hæc quidem penes veteres, quoniam percepta priori, cujus hæc nonnisi quædam continuatio est, facile esset ope inversionis hanc quoque obtinere, nobis vero, utpote qui illa scientia caremus, amissa est.

Verum est et tertia species harmoniæ, a qua non ita penitus alieni sumus, contra quæ multum facit ad delectationem qua nos veterum poëmata afficiunt, longæ et breves syllabæ, seu prosodia. Hujus ope oratio est vel incitior vel tardior prout vel brevibus vel longis abundat syllabis. Syllabarum autem, cum quantitatem nonnisi in gratiam aurium acceperunt, non vero qua solæ tacitæque quodam modo fruerentur, quasi si poëtæ sufficeret tenere memoria et ad singulas repetere: hanc voluerunt esse longam, hanc brevem, nec necesse esset id aurium quoque percipi judicio; syllabarum igitur omnium moduli accentu notandi sunt vocis, ut versus an legitime incedat intelligatur.

Intellecto quid sit harmonia, et in quo consistat, jam clarior evadet omnis hæc de poesi quæstio, et minori disputatione opus erit ad reliqua pertractanda. Nemo sane a me requiret, ut hic multa loquar de necessitate harmoniæ, cum nulli de hac re dubium esse possit, nisi forte e luto aures habeat, aut neminem unquam bonum scriptorem inspexerit. Quare satis sit dixisse, sine harmonia nullam esse poesin neque adeo sine ejus scientia poetam. Cic. or. n<sup>o</sup>. 150. *Quamvis suaves gravesque sententiæ, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendunt*

*ures, quarum est iudicium superbissimum. Vide eund. n° 168. et Bolæus in arte Poet :*

Le vers le mieux rempli, la plus noble pensée  
Ne peut plaire à l'esprit, si l'oreille est blessée.

Petivi igitur an percipi l. l. harmonia a recentioribus possit? quod ut negandum putem variis inducor rationibus, quarum alias exposui jam, hic loci nonnisi leviter denuo commemorandas; alias consilio huc reservavi. Itaque si, quemadmodum dictum est, ignoramus penitus, quo sono Romani pleraque verborum elementa efferrent, consequens est ut ignoremus quoque quam vim conjuncta habrent, sive quomodo quodque vocabulum expronuntiaretur. Porrò jam Virgilius cum versum composuisset, creditis non examinasse priusquam probaret, et ad aurium revocasse iudicium, an nihil deprehenderet in concursu litterarum, syllabarum, verborumque quod aut durum esset, aut absonum, aut quoquo modo offendisset audientem? Et quis dubitat quin idem carmen diversis modis recitatum, nunc placuisset, nunc displicuisset? Ergo quando suo more sive Germanus, sive Gallus Virgilianum versum pronuntiant, vel legunt (nam tacita quoque legentis vox ipsi auditur) an potest iste versus quidquam habere illis ex concentu suavitatis? Esto tamen ut unus et alter, et vetere et recentiore modo pronuntiatus, non amittat harmoniam, omnes certe non item, neque profecto idem omnibus modis diversis quos in recentioribus animadvertimus.

Quod autem mirere, in hoc quasi conjurati omnium gentium docti consentiunt, ut nullum in Virgilio immodulatum carmen agnoscant; si ostendi tibi postulas et explicari causas, quas vident, quibus suave carmen efficiatur, mox præsto sunt plurimæ, nihil ut ultra requiras. Mirum hoc, inquam, videbitur si recogitamus quæ de pronuntiationis diversitate disputata jam sunt, cum negari tamen non possit affici nos sensu aliquo voluptatis ad singula fere carmina. Sed hæc nunc non necesse est; infra ejus rei rationem adferemus. Nunc modo faciamus nullum esse non tam artificiose, dicam tam magice compactum, ut in tot diversis vocum inflexionibus eximiam aliquam modulationem non conservet: quid sequetur? nonne fatendum erit, vel nunc, frustra esse quæcumque feruntur a recentio-

ribus de Virgilianorum versuum incredibili soni suavitate, vel potius proprietate? (quamvis illa verissime affirmari certus sum, sed ex veterum testimonio, non ex hoc qualiquali meo aut aliorum iudicio). Hæc habeant, qui, cum argumenta alia defecerint, solent experientiæ implorare fidem, nihil solliciti quam illa, dum vix, aut ne vix quidem a iudicio, quod pro se quisque fert, distingui potest (ut hic accidit) sit fallax plerumque; hæc, inquam, habeant, secumque reputent: eam omnem quam fingimus nobis harmoniam notham esse; barbaram esse, ad quam horrore quodam stupuissent Latinæ aures, quasi ad limæ vel serræ asperrimum stridorem; eam hæc sola ratione placere nobis posse, quatenus ignoramus quantum sit discriminis inter priscam et hanc nostram neotericam pronuntiationem; quatenus aures nostræ ad germanam linguæ Latinæ indolem exultæ non sunt; quatenus tandem consuetudo hanc molestiam mitigavit....

Sed quid obstat quominus et nos ad experientiam recurramus? Cernite ut ringant totis dentibus Belga et Germanus priusquam assueti sunt Galli hominis pronuntiationi; ut laborent, ut se torqueant postquam tandem intellexerunt illum Latinè loqui, dum audiunt *ainçainctuse*, pro incinctus; *aimpaingo* pro impingo; *ainjeungo* pro injungo, aliaque aliter, nec minus misere, quod adhuc experiri licet in vocibus *cunctus*, *magnus*, etc. Quid jam cum hoc modo non prosam, sed versus efferunt, vel potius, ut Petroniano verbo utar, lacerant? et tamen cum ita Virgilium per nares eructarunt, clamant nihil esse ejus harmonia (ver-sificatione) cœlestius; mirantur, stupent ad ejus, sic enim boni putant, suavitatem, sed ut dicam quod res est, Fontaniano corvo similes, nisi quod ignorant, suam ipsorum vocem mirantur. Ast nolo esse his Arriis Catullus, neque enim sanus possum, cum jubeor ipse manticæ respicere quod in tergo est.

Verum dicet fortasse aliquis parvi referre nothane sit nec ne illa harmonia, dummodo voluptatem afferat, neque quærendum esse an placuisset veteribus, satis esse si nobis placeat recentioribus. At dicat ille hoc quoque mihi an putet carmina, in quibus illa inveniretur (nec, pro Dii! desunt) Latina vocari posse? anne verius barbara sint? Num, quæ vitia ignari probamus, desinunt esse vitia? Num, quia meliora, quam facimus, facere carmina non possumus, ideo, quæ

facimus, bonâ? Num tandem, si omnino talia non sunt, qualia veterum fuere, id est, qualia debent esse Latina carmina, hoc nomine probabuntur?

Sed quoniam de Gallis mentio facta est, mihi ipsi et causæ defuerim, nisi petam hoc loco, quid futurum esset de poesi Gallica, si semel illius linguæ usus, unaque recta pronuntiatio intercidisset, quaque ratione possemus bonum carmen non jam componere, sed cognoscere? Uno omnes ore respondebunt, si hæc aliquando evenierint, fore ut deinceps nullos amplius lingua Gallica numeret poetas. Quid inde nos concludemus? Nempe idem plane de Latina esse statuendum. — At Gallicæ linguæ non Gallis difficillima est pronuntiatio, eademque ad poeseos venustates percipiendas pernecessaria. — Scimus, Hercle! at quam vere de Latina quoque eadem illa dicantur! Etiamsi nihil necesse sit probari hoc, tamen illa Laharpii, Cours de litt. mihi pag. 38, vol. I. adscribam, eoque libentius quia et ad alia faciunt. La plupart de nos syllabes n'ont qu'une quantité douteuse, une valeur indéterminée; celles des anciens presque toutes décidément longues ou brèves, forment leur prosodie d'un mélange continuuel de dactyles et de spondées, d'iambes, de trochées, d'anapestes; ce qui, pour parler un langage qu'on entendra mieux, équivaut à différentes mesures musicales, formées de rondes, de blanches, de noires, et de croches. L'oreille était donc chez eux un juge délicat et sévère, qu'il fallait gagner le premier. Tous leurs mots ayant un accent décidé, cette diversité de sons faisait de leur poésie une sorte de musique, et ce n'était pas sans raisons que leurs poètes disaient; *Je chante*. . . . . En décomposant des vers de Virgile et d'Homère, on y trouvait encore, suivant l'expression d'Horace, les membres d'un poète mis en pièces, au lieu qu'en général le plus grand éloge des vers parmi nous, est de se trouver bons en prose. . .

Leur harmonie (des anciens) variée à l'infini, est un accompagnement délicieux qui soutient leurs pensées quand elles sont faibles, qui anime les détails indifférens par eux-mêmes, qui amuse encore l'oreille, quand le cœur et l'esprit se reposent. Nous autres modernes, si la pensée ou le sentiment nous abandonne, nous avons peu de ressources pour nous faire écouter. Quæ autem ex his nostræ opinioni adversari videantur, ea jam refutata sunt. conf. de eadem re Delillium præf. in georg. Virg. Dureau de Lamalle præf. in Tacit. p. 14, et universim omnes qui veterum scripta verterunt.



Restat nunc dicendum de tertia illa harmoniæ specie, quam diximus esse in syllabarum quantitibus. Verum enimvero neque hac in parte non est multum amissum, quoniam certum est Romanos olim priorem dissyllabarum vocum syllabam ita extulisse, ut et longa et brevis suis quæque temporibus gauderent, nec aliter pronuntiare solitos (non de accentu loquor, qui transponitur, sed de quantitate) mediam in *leviter* atque primam in *iter*, hanc autem diverso modo ab *ibo*; iterum *regis* a *rex*, non sic ut a *rego*, neque ultimam in *cito* adv., sic ut in *cito* (v. g. pede) adj. quid nos? nempe omnia illa nobis idem sonant, nisi quod in *leviter* atque *iter*, ubi esse nullum deberet, discrimen, exiguum illud quidem, sed tamen ponimus. Quid? quod ne alias quidem syllabas in sua tempora omnes distinguimus, præsertim Galli? unde fit ut hic etiam sæpissime laboremus, nec sciamus an sua versui constet harmonia. Quis enim est hodie qui de numeris Plautinis ferre iudicium audeat? aut qui aure, perinde ut digitis, vel digitis etiam legitimum sonum calleat? Quis est qui iambi vim illam, qua præ cæteris populares vincebat strepitus, percipiat? vel quod multo tamen deberet esse facilius, qui eam ipsius celeritatem sentiat, propter quam ab Horatio *vocatur* *iambus*

Pes citus? unde etiam trimetris accrescere jussit  
 Nomen iambeis: quum senos redderet ictus,  
 Primus ad extremum similis sibi?

Ut autem remitteret aliquid istius celeritatis, sed Horatii verbis loquamur:

Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,  
 Spondæos stabiles in jura paterna recepit.

Hujusmodi autem versus, si qui paullo frequentioribus abundarent spondæis, vocat *in scenam missos magno cum pondere versus*, ut intelligas non levem jam fuisse pronuntiationis differentiam. Illane ergo celeritas nunc major, nunc minor, prout temperata est spondæis, cujusquam aures recentioris hominis afficit? At nolimus hoc mirari, cum vel Horatii ætate fuerint, qui ad id discrimen surdas aures gererent, quod ipse sequenti versu innuit:

Aut operæ nimium celeris, curaque carentis,  
 Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.

Sed exempla apponamus, componamusque inter se carmina quædam, quorum sint alia e meris iambis, alia autem mixta. Iudices vero sedento non oculi, non digiti, non memoria, sed aures. . . . Prioris generis exemplum nobis lepidissimus poëta Catullus suppeditat, quod solum cum aliis nonnullis, quæ in Priapæis sunt, quæque libens cum cl. Mureto eidem Catullo tribuerim, ex omni, quod sciam, antiquitate superest. Phaseli levitatem celebrat, quam voluit fortasse pari versuum celeritate adæquare :

Phaselus ille, quem videtis, hospites,  
 Ait fuisse navium celerrimus,  
 Neque ullius natantis impetum trabis  
 Nequisse præterire; sive palmulis  
 Opus foret volare, sive liuteo, etc.

Reliqua parco describere, cum nemo sit, qui Catullum noverit, qui non idem integrum memoria teneat. Cum illis itaque Catullianis conferantur hi Virgiliani (si tamen sunt Virgilio) :

Adeste, Musæ, maximi proles jovis :  
 Laudes feracis prædicemus hortuli :  
 Hortus salubres corpori præbet cibos,  
 Variosque cultus sæpe cultori refert :  
 Olus suave, multiplex herbæ genus,  
 Uvas vitentes, atque fœtus arborum, etc.

Nunc autem dicatur quid intersit. Ne tamen prioris exempli celeritatem adjuvet; neve nimis præcipites agat versus imaginatio, quod sæpe in nobis situm non est ut impediamus, subjiciam aliud, quod nuper inveni incerto auctori inscriptum, iambum autem ipsum alloquitur, quisquis ille fuit, hoc modo :

Adesto, iambe, præpes, et tui tenax  
 Tenoris, adde concitum celer pedem,  
 Nec alterius indigens opis veni,  
 Sed ipse verus integerque gestiens;  
 Adulta felle qualis ante carmina  
 Dabas, amarus ultor impetus tui.

Attendamus tamen in tertio versu, ut is legitimus sit, vocis *alterius* penultimam syllabam producte esse legendam, etsi plane præter usum.

Possem etiam multa alia proponere de carmine iambico et inquirere quid sibi velint hi versus Rufini gram. Antioch., qui præfixi sunt omnibus Terentii editionibus :

Aggovit metrum servatque Terentius artem, etc.

Et illa Quintiliani : *Terentii scripta . . . . sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.* Tandem illa Plinii : *legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat, Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.* Hæc, inquam, et similia explicando, et ad nostra tempora referendo luce clarius mihi videor, si opus sit, demonstrare posse, nos in hac veterum literarum parte cœcutire quam maxime. Nam si Plinius alique metrum agnovere in Plauto, non tamen illud omnibus recentioribus persuaserunt. Id constat ex eleganti Bern. Bauhusii epigrammate, et, quod rarissimum est, genere suo ad Catulliana referendo, sic sonat :

Metra habet et numeros, Faustino iudice Plautus;  
 Iudice Messalla, nec metra nec numeros.  
 Dum sibi sic pugnant, et linguæ in iurgia surgunt,  
 Soccipedemque umbram culpat hic, ille probat :  
 Ipse rogor quod dem punctum, cressumne nigrumine,  
 Num pede vinctus eat, num pede liber eat?  
 Tollo manus, Phæloque, o! da mihi scribere, dixi,  
 Non numeris unctis Plauti, ametri-que metris!

Dixi superius nos ne digitis quidem versuum legitimum sonum callere; hoc

ne quis miretur, fatebor non refragari me cl. Alembertio asserenti nequaquam recentiores, ut fas est, metiri latinos versus, dum pedes quosdam brevi syllaba, absolvunt, sicque in ea immorantur, dum contra omnis brevis syllaba, tantum leviter perstringenda, inchoare aut medium saltem pedem occupare deberet.

Quod si jam negari non possunt, quæ de carmine iambico exposuimus, an erit ullus qui dubitet quin multo potiore jure eadem, immo tristiora de cæteris credenda sint? Quomodo illorum versuum, qui, ut ipsum nomen indicat, jam non agendis rebus, sed canendis inventi fuerunt, lyricorum, inquam, versuum, in quibus omnia ad aurium erant exigenda superbissimum judicium, suavitatem dulcedinem, gratiam, harmoniam perceptam haberemus, eo magis diversam, quo sunt plura hujus carminis diversa genera et argumenta?

Eo jam perductam esse disputationem arbitror, quæstionemque omnem ita claram atque evidentem, ut supersedere reliquis facile argumentis liceret. Verum ne qua confidentius ommissa causæ, quam defendendam suscepi, noceant, alia quædam indicabo, sed indicabo. Veteres Græci et Romani vocem aut tollebant, aut deprimebant in plerisque syllabis, ut nec quasi loquentis, nec quasi canentis esset, sed in qua tamen utrumque sentires, neutrum discerneres. Hujusmodi autem modulatio summam gratiam et melos quoddam singulis vocibus addebat incredibilemque habebat in poematibus suavitatem. Erat itaque duplex industria poetarum, altera sita in quantitate syllabarum, altera in accentibus, non porro negligenda, cum nisi conjunctæ essent, perfecta illa harmonia existere non posset. Accentus illi sunt orationis velut anima; nec vitam modo et vim verbis, sed sæpe significationem ipsam dant, neque unquam accuratius sonant aut fortius, quam cum affectu aliquo aut excandescit homo, aut dolet, aut lætatur. Si transferantur, vel immutentur, enervant et intermortuam reddunt orationem, adeoque qui eos ignorant, Virgilium legant seu Horatium, delectationis, quæ ex illa harmoniæ veritate nascitur, minima parte fruuntur, nec unquam istius suavitatis recordatione et tanquam repercussu similem, si quid conscribant, producent: Hi sunt recentiores.

Ast ne quidam scire se credant quod ego quemquam scire recentiorum negavi,

non ulterius quidem confirmabo argumentis sententiam, attamen adjiciam quædam quæ jam dictis luminis aliquid afferent. Itaque quis est qui videat quid intersit inter harmoniam variorum poetarum? Scio quidem et sentio Virgilio Georgica immane quanto hac in re præstare Horatii sive Sermonibus sive Epistolis, quia in connexione verborum plus inest artis et rotunditatis. (neque enim is sum qui omnia recentioribus erepta velim; hoc tantum contendo, earum rerum, quæ veterum literaturam constituunt, longe maximam partem nobis penitus incognitam esse, non pauciora male cognita, hæc autem paucula quæ supersunt, quæque cognoscimus, etsi sufficiant ad voluptatem aliquam afferendam legentibus, non sufficere ad recte scribendum). Conferatur autem Virgilii Æneis, cum Lucani sive Ovidii similis argumenti scriptis, quam animadvertemus differentiam? conferatur cum Statii Thebaïde, quid discriminis videbimus? Nisi forte imaginatio, ut jam dixi, quam quilibet horum scriptorum varie affecerit rebus sententiisque, pro ea varietate variam sibi harmoniam fingat, et videatur propterea Ovidii poema nimis facili plerumque pede leviusque incedere, Lucani eodem semper tenore et tumore durior Pharsalia, clamosior Thebaïs; Virgilius autem naturali gravitate et dignitate, sententiarum locutionumque apta et continua congruitate ubique suavis simul et harmoniosus. Sed tum non aures, multo vero potius imaginatio rem dijudicat, efficiens ut ea, quæ sunt in singulis vocabulis et ipsa sententia, versui adscribamus. Cæterum numerus quoque et ductus orationis non raro pro harmonia sumuntur, quorum postea differentias indicabimus.

Quid causæ fuisse censebimus cur persæpe veteres maluerint verbis, ut vocant grammatici, communis generis uti in feminino quam masculino, nulla metri cogente necessitate? nimirum quia gratius femininum accidebat auribus. Sed et masculinum sic non raro adhibuerunt. Quiane tum minus suave fuisset femininum? Credo: at quis sentit? Cujus est illa tam singularis sagacitas aurium, ut, quæ in pronuntiatione non sunt, deprehendat tamen? adjicio exempla:

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Est hic versus Virg. Ecl. 2. v. 21. consulto certe *agnæ* positum pro *agni*: poterat enim versum concludere hoc modo:

Mille mei Siculis errant in montibus agni.

Verum utro modo suavior fuisset? tenuior nobis est sonus literæ *i*, quam *æ*; quid Latinis qui diphthongum pronuntiabant? Atque jam quo de loquitur Virg.? de agnis, mollissimo grege, *qui plus lactis habent quam sanguinis*. Non ergo debuit vitare *i* præsertim cum nunc alterum elementum *ter*, liquida modo interjecta una, concurrat. Masculino autem genere habet Georg. 1. v. 341.

Tunc agni pingues, et tunc mollissima vina.

Per me licet si quis hic argutari velit, in priori versu femininum genus, quod de grege agatur, aptius esse propter idæam fœcunditatis, in posteriore vero ubi de sacrificio, maluisse Virg. agnos propter præstantiam et pinguedinem. Sed obstat Æn. 3. 772.

Tres Eryci vitulos, et tempestatibus agnam  
Cædere deinde jubet.

Conf. Ecl. 3, 103. Æn. 1, 495. 9, 61.

Æneidos primo *sues* dixit masculino genere :

Viginti tauros, magnorum horrentia centum  
Terga suum, totidem pingues cum matribus agnos.

Et Horat. Epod. 2, 2, v. 31. *canem* feminino

Aut trudit acres hinc atque hinc multa cane  
Apros in obstantes plagas.

Cur non scripserunt ille *magnarum suum*, hic *multo cane*? nescio tamen quid simile habuisset apud Virg. sonus istius vocabuli *magnarum* cum ipsa voce suum sive clamore.

At monstrare jam libet recentiores veteris. poeseos proprias venustates non modo non sentire, sed, quod non paucis absurdum forte videbitur, esse quas-

dam in ea suavitatis et harmoniæ species, quæ nostris auribus nihil minus quam gratæ sint. Narrat Gellius 7, 20. reperisse se in quodam commentario versus istos a Virgilio ita primum esse recitados, atque editos hoc modo :

Talem dives arat Capua et vicina Vesevo  
Nola jugo

Postea Virgilium, propter aquam sibi negatam a Nolanis *Ora* pro *Nola* mutasse, atque ita reliquisse.....

..... Et vicina Vesevo  
Ora jugo

Tum vero prosequitur, atque ait : « ea res verane an falsa sit, non laboro; quin tamen melius suaviusque ad aures sit, quam *Nola*, *Ora*, dubium id non est. Nam vocalis in priore versu extrema, eademque in sequenti prima canoro simul atque jucundo hiatu tractim sonat. Est adeo invenire apud nobiles poetas hujuscemodi suavitatis multa, quæ apparet novata esse, non fortuita. » Post hæc tres versus Homeri subjungit, in quibus harmoniæ species inest quam hic non attingimus, et quæ omnium facillime percipitur, imitativæ, ut vocare consueverunt. Aliud autem est de hisce Catulli versiculis :

Minister vetuli, puer, Falerni  
Ingere mi calices amariores,  
Ut lex Postumiæ jubet magistræ,  
Ebriosa acina ebriosioris.

« Cum *ebrioso* dicere posset, inquit Gellius, et quod erat usitatius *acinum* in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa* dixit propter consequentis literæ concentum. » Omnino clare! Ergone suave erat, idque in hendecasyllabis : *falern..i ingere, magistr..æ ebrios..a acin..a ebriosioris?* ego non sentio : Quin, si fateri oportet, ille vocalium concursus asperior videtur et aures valde male afficit. Non minus molestum est si inter adonium et præcedentem versum sapphicum ille hiatus invenitur, a quo non semper sibi cavit, de quo mox agemus, Sarbievius. Quid vero, inquiet aliquis,

cavisset ab eo quod priscis venustatem habebat, ipse prisco sermone loquens ? — At nobis contra durum est, et hæc deliciae non minus afferunt fastidium auribus, quam eorundem veterum caldam ora nostra non probant et stomachus respuit.

Cujus sententia est aurium iudicium superbissimum esse, quique tot dedit præcepta in libris suis huc pertinentia, ne quis verborum concursu inamœniore auribus molestiam crearet, idemne ille Cicero tam ipse incuriosus fuerit, ut in elegantissima oratione quidquam tale commiserit ? non credo. Atqui audite tamen pro Archia n° sexto : « *Cum* esset *cum* Lucullo in Siciliam profectus, et » et *cum* ex ea provincia *cum* eodem Lucullo decederet venit Heraclæam, quæ » *cum* esset civitas æquissimo jure ac fœdere, ascribi se in eam civitatem voluit, idque *cum* ipse per se dignus putaretur, *tum*, etc. » Nonne hæc nobis sonant ut illa : *O Tite tute Tati tibi tanta tyrame tulisti?* Ergo fateamur ut non omni populo omnem cibum, ita nec in literis omnia placere posse; tantoque minus alterius populi linguæ venustates alteri probari, aut ab eo percipi, quanto majus est inter illos indolis, morum, linguæ temporisque discrimen.

Nonnihil tamen sinceræ oblectationis recentioribus concedendum esse, id vel hoc solo probatur, quod omnia melioris notæ ingenia ardentissimo studio veterum scripta complectuntur. Communis autem sensus satis arguit possibile non esse ut solo argumento rebusque narratis tantopere detineantur; ut nec illa harmonia neoterica quam nostra pronuntiatio linguæ latinæ affinxit, quamque alienam a linguæ ingenio priscae illi, quam amisimus, substituímus. Ergo hic præstabo quæ de numero promiseram, quatenus eum ab harmonia distinguimus. Vehementer autem lætor hoc caput ita a me absolvi posse, ut cum multa abstulerim recentioribus, aliquid tamen largiri absque periculo liceat. Hoc, inquam, lætor.

Præter sententiarum virtutes, et, quæ duo veteres maxime consecabantur, verborum melos atque harmoniam, una est gratissima optimorum scriptorum dos, in qua acquirenda studiosissime semper versati sunt, quæque cujuslibet auctoris styli sive orationis genus fere sola determinat, numerus. Est nobis numerus incisio illa orationis, quæ et ad varietatem et ad interspirationem accommodata est, ut nunc abrupta, nunc plana, nunc producta et vel brevibus vel



paribus vel longioribus intervallis distincta atque interpuncta sit oratio. Hoc illud est quo aures nostræ tam varie afficiuntur in veterum libris; hoc est quo fere solo intelligimus quantum distent ab Livio et Cicerone, forma et arte dictionis, Seneca et Tacitus. Quanto præcellat Claudiano Virgilius. In hoc incumbunt oratores ne quid proferant quod aut mutilatum sit, aut immoderatus excurrans quod supplicio audientibus esse posset; poetæ cum hoc ipsum quodammodo observant, tum vero multo magis clausulas ea ratione disponunt, ut, prout sententiæ ratio exigit, vel placide claudant versum, vel suspendant et abrumpant antequam legitime in suos pedes considat. Est autem in his interpunctis incredibilis vis quædam ad sententiæ affectum exprimendum, cum eodem artificio et animus et aures et oculi admonentur. Illud est igitur cum perpaucis aliis non negatum nobis delectationis genus quia æque atque olim doctæ animadvertere illas clausulas, simulque versuum mensuræ nonnihil assuefactæ non possunt non sentire aures nostræ neque animus non lætari, quando in talia, cum certa aliqua voluptate disposita, offendunt.

Cæterum, ut tandem huic capiti modus adsit aliquis, credamus Gallis affirmantibus exteros etsi egregie Gallice doctos, ex ipsorum confessione, (quidni enim faterentur?) nihil videre discriminis inter Brebovii, Capellani, Racinii, Rossæi, Voltarii, aliorumque inter se collatorum carmina, quod quidem ad harmoniam spectet, ut quis illorum duriora carmina aut suaviora composuerit distinguere non valeant. Quin de cantilenis volunt neminem esse, nisi natione Gallum, qui earum pretium sentiat.

Credamus Italis, qui dicunt neminem unum alius gentis unquam modos Hætruscos non inepte cecinisse; dumque ille mirifice sperat se canere, et voluptatem percipit e cantu, non posse Italum hominem continere se ne ringat, neve toto corpore molestiam experiatur. His igitur credamus, cumque viro cl. Alëmb. concludamus Gallos, Germanos, Anglos, Belgas, et sua etiam vice Italos, dum carmen quoddam Latinum pronuntiant, musicos esse, qui ex æquo eandem omnes cantilenam lacerant, sed diversa ratione, universe tamen atque fere eandem proportionem in musicorum potestate accentuuncolorum servant.

Hic erat finis hujus capitis, quod relegens animadverti unum me argumentum

prætermisise, non præmittendum tamen, quia ad illud veluti ad sacram anchoram nostræ sententiæ adversarii ultimo adhærescunt; nimirum dicunt frustra probari a nobis Latine bene scribi non amplius posse, cum constet plurimos illud fecisse ex recentioribus, et se, si argumentis defendere opinionem non possunt, experientia posse. Idem omnino olim a Cicerone in dispari materia refutatum est: audiamus quibus rationibus: « *Nam quod dicunt omnia se credere ei, quem judicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes et indocti judicare potuissent. Statuere enim quis sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.* » Hæc eadem nos respondebimus, petendo a quo principio ad suam conclusionem deveniant, si prius probatum sit non posse eos scire an quis recte scripserit. Tantum est: cætera enim quæ addi possent facile intelliguntur.

---

#### CAPUT QUARTUM.

Cur Latine non amplius scribendum arbitrer justissimam, credo, causam attuli, quia nimirum recte id facere non possumus. Nunc pergo ad alia quæ hujus loci sunt. Dico itaque etiamsi Latine scribendo optimum quemque veterum nostra ætate æquare datum esset, vel tunc plurimas esse rationes, quæ unumquemque ab eo consilio avertant.

Enimvero præterquam quod nemo contradixerit affirmanti eum, qui optime linguam Latinam discere possit, multo inelius patriæ linguæ omnem vim et venustatem breviorique studio percallere posse: quantum est patriam ea re illustrasse, quæ omni armorum vi potentior, sola populos effert, et cum jam esse desierint populi, tamen et nomen ipsis et quoddam quasi imperium conservat!

Nullus unquam populus tam bene per exteros, vel suos etiam, sed peregrina lingua usos innotuit, quam si scriptores habuisset et suos et qui sua lingua scribere potuissent. Incredibilis est numerus hujuscemodi rerum, quæ non nisi propriis monumentis consignari se ac conservari patiantur. Sunt enim veluti odores quidam et colores, qui simul non suæ materiæ impressi sunt, protinus evanescent.

Tale, aut nescio quid inest in ipsa cujusque populi lingua, quod quavis explanatione melius atque certius ejus mores, ingenium, indolem declarat. Sic non in annalibus modo et historiis, sed multo magis in popularibus libris, eos intelligo, quos vulgus etiam manibus terit, quales comœdiæ, satyræ, fictæ fabulæ et cantilenæ, homines de pinguntur, quia quæ ex his scriptis cognoscimus, non narrata audire, sed visa percipere nobis videmur, immo revera et videmus et audimus. At audio: neque qui linguam Latinam tumentur hujusmodi opera tractari vulgari sermone prohibuerunt. — Recte et ex tempore moneor: jam enim monstra oppugnabam, cum vera non haberem, ficta... Ergone, o boni, postquam talia scripta (nam ea semper prima fuere initia) sermonem aliquem eo adduxerint ut perfici facillime possit, aditum ei negabitis ad majora et graviora? et quæ infans balbutierit, eadem voletis jam grandem repetere, nihil ultra ausum? Ubi est perfectio, quæ cum in omni re spectanda est, tum maxime in his quæ ad humaniorem vitam pertinent? Nonne parum sani hominis esset, arctioribus quibusdam disciplinarum terminis velle circumscribere eum, qui omnium capax sit? illud tamen hoc loco facitis vos, quando linguas recentiores in his modo versari vultis, quæ ad communis vitæ usum consuetudinemque referuntur. Sed an satis est ampla litteraria, ut vocant, alicujus nationis gloria, si comicos et satyricos poetas numeret? aut an potest sermo, circa hæc modo genera occupatus sic perfici, ut qui ad alia omnia traductus sit? cui persuaseritis?

Quantulum est quod de Ægyptiis, de Babyloniis, de Carthaginiensibus scimus! quæ autem eorum scripta interierunt, ea non tam temporis delevit injuria, quam ipsorum, quod linguam, etsi coluerint fortasse, non ita excoluerunt, ut addiscendæ illius desiderium aliis adderent gentibus, eaque ipsa scripta in exterorum quoque cognitionem venirent.

Verum transeamus ad eos populos quos ex omni antiquitate optime novimus, ad Græcos et Romanos. Et primo unde fit ut nemo sit eruditorum qui non aliquando videatur sibi inter illos versari, cum illis colloqui, videre et dicentes et agentes? Unde his nostris temporibus vel degenerum illorum Græcorum, seu verius, ad avitam gloriam tandem respicientium, tam luctuosa accidit sors

omnibus in quibus quidquam modo hominis simile sit? an quod olim mutuo sese sanguine perfuderunt? quod fregerunt Persas tot tamque cruentis cladibus? quod Leonidam, Themistoclem, Epaminondam totque præterea præclaros duces habuerunt? anne potius (etsi et armis suis multum debent istius gloriæ) quod spirat adhuc in his, quæ eorum lingua supersunt, monumentis non dico animus ille excelsus et amor ingenitus libertatis, qui tamen nunquam sic ut ex ipsis illis monumentis cognosci poterat, sed ipsa vox, quæ resonat quodammodo ad aures, ita ut ad singula fere verba os unde proficiscuntur et vultum intueri videamur. Hoc ipsum memini narrare mihi harum rerum peritos (mihi enim illi fontes nondum patuere) se, dum aut Periclis apud Thucididen, aut aliorum apud alios orationes legerent, fingere sibi semper imaginem summorum illorum virorum, et ipsam eorum vocem per sonorem illum syllabarum, rotunditatemque verborum decurrentem audire, et tunc tandem, cum sua eos lingua loquentes audirent, et iis ad singula verba rictum oris præberent, non an homines ut ille apud Apuleium, neque an viri, sed quanti, qua specie fuissent vere intelligere.

Ego quidem, nam quid alii, nunc mittam quærere, ut Catonem de re rustica, quamvis asperis hirtisque verbis et agresti simplicitate disserentem audire malo, quam apud Ciceronem summas res lectissimis verbis et elegantissimis plane phrasibus exponentem, quod tum non suis, sed alienis et præstitis agat; sic nunquam melius a me principum virorum effata intelliguntur, quam cum et ipsimet loquentes inducuntur, et suis ipsorum verbis atque more, ut hinc quomodo illa, quæ dicunt, cogitarint, unice sciam.

Conservavit nobis Plutarchus unius Gracchorum orationem vel partem saltem ejus aliquam, qua amolitur a se invidiam quam magistratu Octavium exuendo sibi concitaverat. Illam autem Græcus scriptor vertit Græce et sic quoque Gracchorum eloquentiæ fama non indigna visa est eruditis. Sed an ullum est dubium quin, his sepositis quæ omni versioni communia sunt, cum multo magis illam miraremur, tum profecto melius indolem ingeniumque Gracchorum haberemus perspecta si ipsa Latina verba ad nos pervenissent, neque usum istius linguæ amissemus? in singulis vocibus, in constructionibus, in ordine et habitu

orationis indicia quædam et notæ plerumque latent, quæ sunt quasi totidem fenestræ, per quas in auctoris animum intrōspicimus. Ea autem apud illum, qui patrio sermone loquitur, eo frequentiora sunt certioraque, quo est minus occupatus in conquirendis aptis locutionibus ad sensa animi declaranda, quoque facilius ex primo mentis affectu exprimuntur, nondum refrigerato molesta cæteroquin diligentia.

Nemo, opinor, Gallus hac ætate, qua maxime exulta illius gentis lingua viget, non malit secum colloquentem audire Joinvillium sui seculi sermone Gallorum equitum bella adversus Turcas enarrantem, quam si a Voltario aut alio quovis optimo scriptore illorum historia expolita sit. Nec longe quærenda ratio: iugenta est in pectoribus hominum ambitiosa quædam cupiditas discendi ea, quæ ad majorum suorum victum, mores, facinora pertinere quisque arbitrantur, qua stimulantur vel ii quorum obscura vel inhonesta etiam initia fuere. Illa facit ut, quæ totius nationis sunt, multi tanquam suæ gentis propria arripiant; illi correpti omnia minima persequimur et investigamus. Illa denique est, quæ omnium populorum et antiquissimam et illustrem excogitavit originem. Non est igitur mirum si veterum quoque linguæ nostræ scriptorum amore teneamur, illorum, dico, quos intelligere etiamnum possumus, atque ubi ex difficultate fastidium non oritur. Hæc est omnium temporum observatione stabilita veritas, mores populorum et linguam arctissimo inter se vinculo conjunctos esse, ut utrorumque singulis ætatibus iidem sint progressus, eadem vices, eadem facies; quantoque magis cœperint homines ad cultiorem vitam informari, tanto efflorescat nitidior sermo elegantiorque. Ergo falluntur, et vero fallunt, qui rudiora idiomata e libris proscribere conantur, quasi vel mox peritura, vel non diu admodum suum sibi honorem conservatura. Quando a Livio Andronico descendimus ad Ciceronem, a Joinvillio ad Voltarium non linguæ magis quam civilisationis (sit gratia verbo) varias ætates animadvertimus. Parumne igitur esset posse majorum nostrorum post plurimum sæculorum spatium tanquam præ-senti confabulatione frui, videreque quanta omnium rerum mutatio facta sit? Linguarum et humani generis una historia est. Sic qua simplicitate majores nostri infelices illas, sed non inutiles tamen in Orientem expeditiones susceperint, ex

Joinvillianæ historiæ simplicissimo habitu discimus. Versamur quodammodo inter heroas istos in eorum tempora regressi, sentimusque, qui sic locuti sint, fieri non potuisse, uti aliter agerent. Hinc maxima quoque hujusmodi narrationibus fides accedit, nam si eadem nitidior et ornatior stylo conscripta legam, vix obtinere plerumque a me possum ut credam accidisse, cum nescio mihi quid aliud aures loquuntur quam ingenium. Talem, si sic loqui licet, dissonantiam cum sæpe alias, tum nuper expertus sum in Vicecomitis Harlincurtii Ipsiboe, fabula cæteroquin non mala. Haud credibile est quantum me delectent in sermone et moribus expressa cujuslibet ætatis discrimina, et fatebor, si quis aliter afficiatur, illius me, ridicule forsitan, sed tamen miseret, cum videam summa inter legendum jucunditate, nec sua culpa, privari.

Si itaque manifesta sunt illa, ut sunt, nullum profecto dubium est quin, qui nunc Latine scriberet, præstantissima illa facultate careret, qua se posteritati sisteret, eoque præstantiore, quo est argumentum, quod tractatur, magis conjunctum cum ætate auctoris. Nihil est, ut diximus, magis vulgare quam velle homines præterita cum præsentibus comparare. Comparandi gratia discimus; juvat noscere illos quorum scripta legimus; juvat scire qua patria orti sint; quo vultu, quibus moribus fuerint; quando, quamdiu vixerint; quos habuerint amicos, propinquos, affines; quidni ergo juvet eos sua Lingua audire loquentes, et non scriptorem modo, qui patriam sermone dissimulet, sed civem videre? neque unius modo viri, sed totius nationis ingenium moresque cognoscere?

Quis est, si modo patriam agnoscat, qui cum se ad magna natum senserit, nomenque æternis literarum monumentis consecrare voluerit, non dedignetur peregrina loqui lingua, ne suam gloriam, quantulacumque illa tandem futura sit, a patria separet, neve ingratus videatur? Bene Horatius Satyr. l. I, 10.

At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis  
Miscuit? O seri studiorum!.....  
Scilicet oblitus patriæque patrisque Latini, etc.

Sic animati fuere quotquot unquam exstiterunt patriæ amantes viri. Sic Arpinas ille, *notus in cives animi paterni*, non satis habebat dedisse Romanis quem

opponerent optimo cuivis Græciæ oratorum, nisi Latine quoque philosophiam loqui docuisset. Quod desiderium ipse multis locis adeo non dissimulat, ut queratur frèquenter magno sibi impedimento esse linguæ Latinæ angustias; non quod desperaret posse ejus fines prolatari, multo vero potius quo suum beneficium gratius propter ipsam difficultatem omnibus civibus acceptiusque esset. Ex innumeris locis unum laudabo, Acad. Quæst. IV pag. 29 Elz. « *Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illustresque laudes has etiam minus notas minusque pervulgatas adjungimus.* » At vero præter Ciceronem, nonne gloriantur ex veteribus alii aliud Romana intentatum lingua primi tractasse; hic se vocat *Romanæ fidicinem lyræ* (Horat. 4, 3.—3, 30. 4, 9.), ille amat dici *Romanus Callimachus* (Prop. 4, 1.), alius voluit ut haberet per se *Romana tragedia nomen* (Ovid. am. 3. 1.). Quid principes poetarum, Virgilium et Lucretium nominem? quid turbam recentiorum qui his titulis merito superbierunt?

Legere me memini doluisse Catonem nescio an Ciceronem, aut quem alium (fugit enim me de quo et apud quem legerim) Romæ olim omnes liberaliores disciplinas a Græculis ipsorum lingua fuisse traditas, quod sic Latini sermonis augustiis confirmatis non parum Romano nomini detraheretur gloriæ. Dignam profecto curam et sapiente viro, et bono cive!

Sua cuique populo debet esse lingua eo loco quo est ipsa patria, ut nihilò segnius illam quam aras et focos tueatur, hanc quamdiu servaverit, suam servabit indolem; simul vero ac auferri eam a se et interire passus fuerit, jam obliviscetur majorum suorum degener et indignus. Linguarum discrepantia sola post multa sæcula etiamnum separat gentes plurimas, singularum diversam indicat originem, mutuamque inter omnes alit æmulationem. Id noverant Romani, qui Gallos, Hispanos, quosdam etiam Africae populos lingua Latina erudiri voluerunt; iidem Romani (Val. Max. l. 11, c. 2. confer Morhof. de Patav. Liv. c. 2.) *leges sermone suo imperium quasi præ se ferente conscriptas imposuerunt debellatis gentibus.* Quin tantum ei habebant honoris, ut et in urbe et in provinciis nulla, nisi Latine, responsa darent Græcis, eosque itidem cogere aut Latini loqui, aut per interpretem; quam ob rem hi Romanorum

*terribilem* atque *superbam* linguam appellavere. ( conf. Isaac. Casaubonum, exerc. IX ad Baronii annales p. 164). Quid autem postea a recentioribus huic simile sit statutum, nemo ignorat.....

Sunt quidem bonæ notæ scriptores qui peregrinam linguam usurpaverunt, quales fuerunt Terentius et Trogus Pomp. et Lucanus, et uterque Seneca, et Martialis et Phædrus; sed quibus illi annumerantur? quem populum illustrarunt suo nomine? quomodo erant orti, anne potius Romanum cujus linguæ scripserunt! — At igitur patriæ amore ducti, ille Punica, hi Ibera, Phædrus Thracica debuisset uti? minime vero, neque id volo: desipientis enim esset requirere ut illum sermonem adhibuissent, qui, rudis adhuc (etsi hanc rationem paullo superius ostendimus non ita magni momenti esse) et, cui scribebant, ignotus populo, nullam, ut aiunt, litteraturam haberet. Sed eos, quorum sermo patrius perfici jam cœpit, illorum sortem, si quidquam mandare libris volent unde nomen sperant, respicere jubebo, ut discant inde, si suæ genti accenseri cupiant, suæ gentis ut lingua loquantur, necesse esse.

Egregiam certe laudem meruerunt eruditi Belgæ, qui sæculis sexto et septimo decimo in omnibus versati Latinis scriptoribus, plerique saltem, quantum fieri potuit, optimis Latinitatis auctoribus simillimi exstiterunt; at nescio an majorem obtinuissent, si in patrio sermone excolendo, popularium exemplo Hoofdii et Vondelii, aut Itatorum Boccacii et Petrarchæ, partem istius operæ posuissent. Tales Lipsius meus, Heinsii, Douzæ, Baudius, Grotius, Burmanni, quæ nomina! qui profecto integro amplius sæculo, si in id gnaviter incubuissent, Belgicæ dialecti aureum promovissent sæculum, quod etiamnum, etsi jam prope est, expectamus. Porro si egregie Latinæ linguæ nitorem expresserunt, ipsorum illa, non Belgarum laus est, et in hac re gloriam, contra quam in aliis fieri solet, obtinemus eo majorem, quo est cum pluribus communicata.

Interest ergo singulorum patriæ ut quisque optimus scriptor patrio utatur sermone. Nam præter rationes jam allegatas, illum populum, qui quam plurimos illustres numeret scriptores necesse cum sit apud alios plurimum innotescere, necesse est quoque plurima hinc in illum commoda redundare.

Interest et literarum, quia, ut dictum est, si doctiores (cæteros enim nihil



moror) omnes Latino sermone scribatur, quid fiet interea de reliquis, si ad solos almanachos restringantur? quis est adeo barbarus qui cupiat veterum linguarum Latinæ et Græcæ alterutram tantum existere? aut Anglos Miltonem, Popium, Byronem; Gallos Bossuetum, Fenelonem, Racinium, Voltarium, Montesquicum, Belgas Hoofdium, Vondelium, Kinkerum, Bilderdykium; Germanos Hallerum, Gesnerum, Schillerum, Goëthium, qui ullum tandem optimorum scriptorum, quibus recentiores linguæ quidquam debent, mallet Latina scripsisse quam suam illustrasse? quid esset Gallia, quid cæteræ Europæ regiones nisi haberent sua litterarum monumenta?

Quod autem præcipuum hac in re argumentum reor, si recentiores linguas ita contemnimus, quæ sors erit multo maximæ illius partis mortalium, cui neque per ingenium, neque per otium licet esse Latinæ? Quo tum lumen illud, quo nunc sæculi lumine summi infimique gloriantur? Nam quo e fomite, nisi e libris, iisque patrio sermone conscriptis, tam subita tamque efficaci claritate emicuit, ut intra aliquot annorum spatium totam ferme Europam illustrarit, atque ab hominum miserrimorum mentibus errorum dispulerit caliginem? Nisi forte solis eruditis debeat fax illa lucere, et e re sit humanæ societatis majorem ejus partem ad propria commoda cæcutire? Quod certe nemo affirmaverit, qui non idem damnet id, quo fere solo recentior gloriatur philosophia. Dicam? furiosi esset, cum communitatis hujus firmissimum vinculum sit sermo, velle vulgum, linguæ cum doctioribus sublata communionem, suo spoliare præsidio, quo uno barbariem arcet, et in eadem natione duas creare sive tribus sive classes, quarum altera teneat quidquid est scientiarum atque meliorum artium, altera nihil habeat, quo a brutis distinguatur, præter barbarici commercium sermonis. Impossibile enim erit, si una lingua Latina omnes doctrinas complectamur, ut alia ulla via vulgus erudiatur et ad cultiorem vitam revocetur, quam si et ipse eadem lingua imbuetur; quod qui etiamnum fieri posse affirmaverit, næ ego hujus stultitiam mirabor! Scio « *lumen in Italia natum*, ut inquit cl. H. C. Cras, in diss. pro ling. Lat., *ad reliquas Europæ gentes transiisse ope linguæ Latinæ, omnesque in Italiam sub illis initiis confluisse, ejus doctorum fama excitatos, qui ibi Latine docebant, et nullam linguam illo tempore tam bene id, quam Latinam,*

*præstare potuisse*; » sed pro responso sit hoc Corn. Galli, vel verius Maximiani distichon, Eleg. I. vers. 103.

Diversos diversa juvant; non omnibus annis  
Omnia conveniunt; res, prius apta, nocet.

Sic sæpe vidimus temporis tractu civitatum et religionum instituta immutari debuisse, leges antiquari.

Denique non hoc etiam nihil est quod Latina carmina paucissimi sint qui legant; nam illud, quod aiunt, se non laborare ut *se turba miretur*, Horatii exemplo, *contentos paucis lectoribus*, vehementer erro, si intelligunt laudatoribus, nec malunt cunctorum esse in manibus atque ore, famaue nomen late spargi, quam ab erudito uno alterove aliquando legi, et, quæ summa spes est, semel in ephemeridibus laudari. Præterea Horatius cum hæc profitebatur lingua utens quæ omnium communis erat, quam per plateas virgines et pueri canebant, jam certus erat *digito monstrari* à prætereuntibus, et si Octavio, Mæcenati, Virgilio, Plotio, Vario Valgioque placeret, placere universis. Hodie sese aliter habent omnia. Tum hoc quoque nonneminem movebit, quod, ubi parum venditur, parum sit lucri.

Hæc sunt quæ in priori parte habebamus dicere. Verum cum fieri nonnunquam, inmo sæpe soleat, ut in interpretanda auctorum mente erremus quam maxime, sive sigillatim partes aliquas attendendo, non summam operis, sive pleraque, quæ ad solum locum, ubi inveniuntur, ad solas res de quibus dicuntur, restringenda essent, generaliter accipiendo: verendum est, ne et ego in hac meâ disputatione non unius injuriæ inmerito agar reus, mihi que, tanquam sic senserim, adscribantur multa, quæ legentis sibi error finxerit. Cum enim opinionem meam paulo vehementius forsân, ut fit, defendo, videri possim non neolatinæ magis poeseos atque eloquentiæ, quam universim totius Latinæ linguæ usum atque cognitionem improbasse; qua obtrectatione nihil uuquam fuit, aut esse debuit a mente mea remotius. Ostendi nos Latine scribere, tam bene quam veteres, nec versu nec prosa posse, atque ideo imprudenter facere, qui ex isto descriptionis genere magnum nomen expectant. Id eos tum sua, tum reipublicæ

causa monui. Cæterum colant, immo excolant Latinas litteras, modo ne se eis unice dedant, aut æmulari contendant, quos imitari atque sequi solum concessum est; spem, inquam, abjiciant fore ut inquam Latini scriptores habeantur; ast in illud incumbant, ut, quod ex continuo veterum exemplarium studio hauerint, recentiora in scripta transfundant. Liquet sane ex hac mea confessione (et idem dixi supra) nec eorum me culpâre operam, qui in exponenda lingua Latina, Latinisque auctoribus explicandis Latina lingua utuntur, cum non stylo tantum et dictione, sed majore sese commendare studeant utilitate; qui sic se totos istius linguæ culturæ addixerunt, ut aditus ad eam aliis præstent faciliores, nec laus his, nec præmia deesse possunt. Longius etiam procedens, dico pessimo exemplo vetera illa a quibusdam vulgari sermone tractari. Nam aut non tradenda sunt, aut bene; et uti nostras linguas loquendo, sic mortuas non nisi scribendo bene discimus. Fugit memoria vocabulorum, nisi quotidiano usu tanquam figantur. Idem est de percipienda arte dictionis et varietate formæ; idem de versibus, quorum sane venustatem, harmoniam, pulchritudinem melius ille sentiet, qui diutius eas exprimere ipse conatus sit.

At quid mihi cum lingua, quæ (ut probare voluisti) nulli ad loquendum utilitati, nulli in scribendo laudi esse potest? — Multum. Litteras amas? Veterum scripta pars litterarum etiamnum sunt longe præstantissima. Eruditionem affectas? Ab iis incipiendum, atque, si vis, desinendum; iis enim continetur quidquid eo nomine intelligitur. In magistratibus dignitatibusque summis eminere et excellere desideras? Enitere eo scientia antiquitatis; priscas non doctrinas solum, verum et virtutes et mores edisce. Aude colloqui cum barbatis illis fortitudinis, constantiæ, frugalitatis magistris. Aude ex hac sæculi mollitie et corruptela emergere ut vivendi artem ab illis discas, duriter, aspere et laboriose. Quid de artibus ingenii loquar, quæ ad nulla fructuosius exemplaria exiguntur? Ad ea intellectus, judicium, ad ea ipse labor juventutis, si quid sperare volumus, effingendus est. Ad ea Racinius, Bolæus, Cornelius. Fenelo, quidquid posterioribus temporibus optimorum fuit scriptorum informati fuere. Sic Romani a Græcis omnia didicerant, quamvis his a nullis, quia aliquos oportuit esse primos.

Propriarum divitiarum nequaquam satis est, et versiones, præterquam quod

sæpe vitiosæ , semper infra ipsos auctores sunt , nec eundem reddunt scriptionis colorem. Qui puriter vult bibere ex fonte bibat. Præterea sicuti dicendi et scribendi artificium soli fere exhibent priscorum libri , ita ad res ipsas cognoscendas faciunt quam plurimum. Historici , oratores , poetæ veteres omnium rerum magistri sunt , nempe si ipsi audiuntur. Quantum enim mera et cursoria lectio differt a meditatione ( et sane differt haud parum ) tanti interest Latinum legas librum an vernaculum. Jam quid de imitatione dici non potest quæ tot summos effecit poetas et oratores ? Quid de turba sententiarum , seu , ut loqui amamus , idearum quæ in versionibus omnino pereunt ? Rationem vultis ? experientiam consulite , videbitis si nunquam duo fuere qui ex eodem libro diversa non et hausere , et intellexere , et suspicati sunt : mille locos adduci posse quibus multi summi res momenti confirmarunt , qui tamen si in aliam linguam conversi sint , nihil de iis ne subindicare quidem videantur.

Possem et voluptatem et alia memorare quæ vel serioribus annis hoc studio quærentur , nisi ex his quæ dicta sunt et linguæ Latinæ utilitas et opinio mea satis paterent.

---

PARS ALTERA.

CAPUT PRIMUM.

Nihil est magis aut fallax aut ambiguum quam quod pulchri sensum (goût.) vocamus. Etiam si nemo sit qui hac in re plurimum sibi non arroget (amant videlicet omnes videri et perspicaces et excellenti judicio, quibus duobus ille continetur.) vel acutissimis ingeniis sæpissime non datur discernere quid possit sive adesse, sive abesse, ab eo quod debet, id est, ut loquimur, necessarium ab arbitrario. Quem fugit quam diversa omnibus sæculis principes criticorum de eadem re senserint? Quam non convenerit sæpe inter ipsos quæ esset scriptoris alicujus aut laus, aut laudis titulus? ut sæpe non sit alter in laudando, quam in elevando alter immoderator. Qui viri Horatius et Cicero! quantis ingenii judiciiue dotibus conspiciui! Hi tamen ambo de Plauto ita judicaverunt, ut dissentire amplius non possint. Utrum errasse dicemus? Ciceronem, dum Offic. primo c. 29. sic scripsit: « duplex est jocandi genus.... Alterum elegans, urbanum, ingeniosum, » facetum quo genere Plautus noster refertus est »? an Horatium qui in arte Poet. ait:

At nostri proavi Plautinos et numeros et  
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,  
Ne dicam stulte mirati, si quid ego ac vos  
Scimus inurbanum lepido seponere dicto..?

Idem Cicero de natura Deorum, ubi de conflagratione templi Ephesii Dianæ l. 2. c. 27. « Concinne, ait, ut multa Timæus » etc. Contra Plutarch. in vita Alexandri: « Ἄνδρ' ἠγχιῶν (cui dictum de quo agitur attribuit.) ὁ μαγὴς ἐπιφάνηκεν ἐπιφάνημα καλοῦσθαι τῆς πορκαῖῶν ἐκείνην ὑποψυχρίας νταμῖνοι ».

Quid dicemus de recentioribus doctissimis et sagacissimis viris qui in hac parte

quodammodo præ veteribus versati sunt? Quorum alii Horatium et Juvenalem, die dicta, ad suum tribunal citatos pari corona dignos censuerunt; alii acutiores sibi visi; alterum alteri, nec eundem tamen omnes ita anteposuerunt, ut esset nunc hic, nunc ille, sed longo intervallo, proximus. Videantur quoque judicia Corn. Schrevelii et P. Scriverii Martialis editionibus præfixa; et Dureau de Lamalle oper. Taciti vol. 1. pag. 63. ubi a Montano dissentit super Taciti et Senecæ stylo. Videantur quoque quæ apud Gallos agitata fuerunt de Cornelio et Racinio ut et de Voltario. Nuperrime ingens volumen editum, aliorum culpantium, aliorum laudantium Vicecomitis de Chateaubriant Renæum et Atalam. Hujusmodi infinita exempla sunt, ex quibus apparet quam sit difficile non modo de veteribus alienæque et gentis et linguæ scriptoribus, sed de popularibus etiam sine errore ferre judicium.

Quid igitur faciendum mihi restat in hac altera disputationis meæ parte, postquam probavi nihil nos aut omnino parum scire de iis, quæ ad veterum scripta, eorumque orationis habitum et structuram, maxime vero de iis quæ ad harmoniam pertinent? nimirum hic subsisterem, nisi haberem persuasum ubi certi nullo modo esse possumus, id modo requiri, ut, quemadmodum Cicero ait: dicendo eliciamus aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat, et satis esse si exponamus sententiam, modo ea idoneis argumentis comprobetur.

Igitur si hic de dictione poetica tantum ageretur sat jam multa dicta esse a me putarem, quibus Horatio sua vindicari gloria posset, qui posteaquam ab æqualibus, et qui eos, donec Latina lingua plane interciderat, secuti sunt dictus semper elegantissimus, et propter poeticam dictionem maxime laudatus est, a nobis, nisi stultitiæ notam incurrere velimus, talis haberi absolute debet; cum Sarbievius, non modo hujusmodi nullum pro se judicium habeat, sed contra ex præcedentibus (quos autem illa non convicerint cum his peregi jam omnia.) constet non potuisse eum pure, nitide eleganterque scribere. Nunc autem cum quæritur universe uter utri poetica facultate præstiterit, id est uter cum a natura tum ab arte habuerit plures et majores virtutes quæ poetam constituunt: idque ex utriusque scriptis dijudicandum est, etsi dicitio excludi e causa non possit,

tamen in reliqua diligentius est inquirendum. Itaque nunc incipiam et præscriptum ordinem, qua licet, servans, primum disseram generaliter, tum locorum aliquot comparatione instituta, disputationem terminabo.

Et primo quid est poesis lyrica? Quæ ejus materia, forma, finis? Definiri potest poesis lyrica; ea quæ cantui accommodata est; et comprehendit quidquid quocumque modo afficit animum; Forma diversa pro diversitate materiæ, nunc enthusiasmus et audacia, nunc gratiæ molles et simplex venustas; Finis denique delectare et impellere ad ea quæ bona sunt, vel videntur, quod illi cum reliquis poeseos generibus commune est. Quando quis gaudii, indignationis aut alium affectum brevi ac rapido ambitu inclusit, usus conveniente metro; odam fecisse dicitur, quod est nomen istius poematii. Odæ plerumque distinguuntur in moralem seu philosophicam, in heroicam, in amatoriam et in sacram. Quarum differentia quæ sit, satis ex ipsis nominibus intelligitur.

Has omnes species in Horatio invenimus, etiam in Sarcivio, si amatoriam excipimus, cui tamen supplere est conatus quibusdam odis, in quibus sacrum amorem expressit, non minori forsitan affectu, certe puriori, ut decebat hominem Christianum et. . . . Jesuitam.

Ambo itaque circa eadem ferme argumenta versati sunt, eadem forma versum. Hinc existimet aliquis facile esse inter eos comparationem instituere; sed næ ille multum falleretur: quantum enim conveniunt inter se delectu materiæ, tantum differunt ingenio et tractandi arte.

Horatius lyricorum, qui fuerunt Romæ, solus ad nos pervenit, sed Quintiliani judicio, fere solus legi dignus. Poetas lyricos Græcia novem numeravit, qui singuli intra singula fere argumenta steterunt; unde eo magis dolendum est aliorum ex illis poemata penitus periisse, aliorum misera tantum; atque illa parvo numero fragmenta superesse, quod de variis odarum apud eos generibus ferre jam judicium nullum possimus. Minus autem in Romanorum interitu damnatum est, minusque nos movet, quia unus Horatius omnia genera complexus, in omnibus ex æquo excelluit. Quantum fuisse dicemus ingenium Horatii si attendimus eundem et satyras composuisse, quibus nihil est argutius, nihil dulcius, nihil jucundius et una sapientius in ulla lingua, et epistolas in quibus

omnia boni civis officia veluti colludendo docet, facillimis versibus, quos vel invitus in memoria retineas, et inter eas unam ad Pisones de Arte Poetica, adeo plenam sapientiæ et judicii, tam gravem sententiis abundantemque optimis præceptis, simulque lepore et sale sic conditam undique ac respersam, nihil ut inveniri queat sive ad doctrinam aptius, sive ad delectationem festivius? Eundem odas scripsisse quæ cunctis, quas singulas habuisse alii feruntur; dotibus insignes, Alcæi Stesichorique gravitatem ac majestatem; Pindari sublimitatem ac vehementiam, Sapphus ardorem atque alacritatem, Anacreontis mollitiem et suavitatem cum summa carminum perfectione conjungunt! Tam nota fuit ingenii excellentia, ut nemo unquam dubitaverit, quin, si id operæ sumere voluisset, *epos*, ut ejus verbis utar, non minus bene quam aut Virgilius aut Varius *duxisset*. Quare cum quæsitum est utri sit poeticæ facultatis palma concedenda, Horatione, quem constat tam felici natum fuisse sidere ut e nullo poeticæ scriptiōnis genere laudem sperare non potuisset, an Sarbievio qui vix in uno se probavit: intelligendum est illud de solo carmine lyrico, ut hæc jam sit quæstio: utrius odas credamus præstantiores. Nam nemo serius universe unquam interrogaturus est utrumne, qui in omnibus vel excelluit, vel excellere potuit, vi mentis et ingenii præstiterit ei, qui unum modo tentavit, in eoque uno ostendit quam non esset multorum capax. Diu admodum obtinuit isthæc apud Gallos opinio, ad pœsin lyricam oppido majorem requiri vim ingenii, quam ad alia quævis genera poeseos, quia una omnium maxime continetur in sublimibus et tota est in spiritus magnificentia atque entusiasmo; quod ut cum celeberrimo critico falsum esse existimo, ita nequaquam dubito, quin ad illam rite colendam non modo requiratur mens altior et prope divina, ingenium maximarum rerum capax; audax imaginatio, dictio gravis et sonora; sed etiam si ad molliores odas descendendum est, et tenerior aliquis affectus exprimendus, nativa quædam jucunditas et venustas ingenii, sententiarum exquisitus lepos et simplicitas, et tandem ars illa sic omnia collocandi, ut inde enascatur *molle illud atque factum*, quod necessario placet, quodque quale sit, exprimi non potest. Quare cum aliquatenus Polonus noster lyricam præstantiam attigerit, ambigendum etiam non est, quin ingenio fuerit maximo, et ad Horatium quam proxime potuisset accedere, si ejus hæc duo, judicium et linguæ scientiam, habuisset.



Præter hæc, quæ requiri diximus ad poesin lyricam, adesse debet audacia. Oda concitato quodam impetu fertur et neque nexum, neque ordinem habet, plerumque nec principium nec finem; quia poeta dum lyram arripit, vehementer commotus et furore quodam correptus pleno tumet pectore cogitatione rerum quas concepit; fervet intra eum spiritus, donec erumpant cum magna vi, multoque calore, quæ aliquamdiu inclusa ejus mentem affecerant. Tum postquam illa perturbatio deserbuit, primusque ille impetus resedit, ad se redit poeta, quantoque exarserat vehementius, tanto magis languet. Ea causa est, cur productior oda raro egregia sit, quia *illa animorum incendia cito restinguuntur*, et plane ut generosi vini ex vase erumpentis æstus simul ac locum respirationi dedit, immisso aere fervere desinit, pectus detumet. Itaque sapientis poetæ est nihil ultra sollicitare venam, quæ jam languidior vix pigre manat, nedum saliat. At et in ipso illo tumultu pectoris ratio semper debet adesse aliqua, quæ moderetur, non impediatur liberiore volat, neque quoquo modo, dum studet intra præscriptos ab arte terminos continere ingenium, ei officiat divaganti ad illa a quibus arcessere ornamenta queat. Sed quid sit poesis lyrica, quæque ipsam constituent satis notum est, quare ad comparisonem veniamus.

Horatium, ut ipse narrat, in Apulia natum patre libertino, sub Bruto stipendia meritum, captumque post hujus cladem a Cæsare, paupertas, ut versus faceret, impulit, eosque fecit, quod satis rarum est, bonos; quibus cum se Mæcenati, perque eum postea Augusto ipsi comendasset, ab utroque brevi, propter amœnitatem ingenii, inter quotidianos amicos adscriptus est, et varie ditatus. His ergo amicis atque otio debemus pleraque quæ scripsit; nam sic neque periculum incurrebat a quoquam illorum, quos aut habebat gloriæ invidos, aut fecerat sibi carmine inimicos; neque dedecebat eum mollis illa Epicuri philosophia qua tantum addidit versibus suis venustatis, aut, a qua didicit fortunam et opes, quod tuto poterat, spernere, Stoicorum. Namque Horatius, etsi unius sectæ doctrinam profitebatur, non inusitata tamen poetis sive levitate, sive libertate, ornamenta petivit ab omnibus, præsertim a Stoicis, quorum severitatem præceptorum gravioribus passim carminibus immiscuit.

Quæcumque de Horatii arte in tractandis rebus philosophicis dici a me pos-

possent, ea vel una illustrissimi Kinkeri pagina, nec illa tota, mihi suppeditat. Scripserat Herderus sapientiæ præcepta ad lyricæ poeseos sublimitatem posse pertingere, eaque cum lectissimis delicatissimisque Horatii versibus tam penitus in legentium animos influere, nunquam ut elabantur; de quibus, paucis præmissis, hæc dicit Kinkerus: « Hy ( Herder ) overdryft echter niet, wanneer hy » de hoogste wysgeerige bespiegelingen, als zich tot het odenmatigē verhef- » fende voorstelt. Het korte en eenvoudige verheven van Horatius is mischien » eene der geschikste kragtspraken, om het geen als onmiddelyke uiting der » « ziel, niet te juist voorgedragen; en niet te kiesch uitgedrukt kan worden, » voor de verbeelding te verzinnelyken. »

« Deze Tacitus onder de dichteren verstaat de kunst der Kortspreukige » voordragt meesterlyk; overal zyn de hoofddenkbeelden, welke hy voorsteld, » en de woorden waer in hy ze voordraagt, zoodanig geordend en verbonden, » als het meeste geschikt is om eene menigte van ondergeschikte denkbeelden, » zonder woorden, en alleen door hun verband en rangschikking uit te drukken. » Ook de overgangen en wendingen zyner dichterlyke taal, vooral wanneer zy » snel en plotselings zyn, spreken beteekenissen uit; en waar men in plaats van » overgangen, gedachtesprongen ontdekt, zyn deze gappingen vol zin en duiding. » De verbeelding vultze aan; en het geen dan gezegt wórd, treft des te meer » omdat de vluchtig voorbygaande, maar ook zoo veel te sterker treffende in- » druk meer geestig is. » Kinker vol. 1. voorr. Bladz. XVI.

Quam recte Horatius hoc loco nominetur *Poetarum Tacitus* nemo qui utrumque novit, non videt: uterque brevis, uterque gravis, acer et nervosus, verborum pene parcior quam sententiarum, plura dat intelligenda quam legenda. Sic est; tot sunt in Venusino scriptore præcepta ex intimis philosophiæ deprompta adytis, ut quæ ab eo de Homero dicta sunt illum:

.... Quid sit rectum, quid turpe, quid uñle, quid non,  
Doctius et melius Chrysippo et Crantore

*dicere*, vix dubitem in ipsum auctorem regerere.

Quam elegantia, tam vera sunt hæc de Horatio Montani: eum coegisse

sententiam ad pedem numerumque poëseos; « *il sut presser la sentence au pied nombreux de la poësie* »; Nihil est in eo quod doctorem sapiat; sic omnia temperat atque disponit, sic seria miscet levibus, ut illa ex his sua sponte enascantur, hæc nihilo reddantur tristiora. Ludere etiamnum credas, cum monet te, sed uno verbo, et quasi aliud agens; ut vix sentires, nisi eo te perduxisset ubi non tam moneri viderere ab alio, quam a te ipso. Non occupat lectorem, ipsi modo indicat et affirmat veluti annuendo, quod ex ordine divinare jam debuerat. Sæpe tamen fortiter, quia inopinato ferit, cum libere jam genio indulgentem cum amica aut sodalibus, respicere mortem subito jubet tanquam sedentem inter convivas; non tamen trucem illam, neque ut terreat, disturbetque convivium, sed quæ invitet te ad cæpendum diem; ut ipsa mortis cogitatio mox fiat ad novas voluptates perfruendas incitamentum. Lucretius :

....Hoc faciunt, ubi discubere, tenentque  
 Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis;  
 Ex animo ut dicant, brevis est hic fructus homullis;  
 Jam fuerit: neque post unquam revocare licebit.

Quemadmodum solem crediderunt celerrimo motu circuire terras, omniaque ille tamen igne suo et illuminat et sovet, dispositis super ipsam terram montium saxis, sic, ut calorem cum facilius recipiat, tum conservet diutius, qui etiam, cum jam diu de cælo sol decessit, percipitur: ita Horatius quamvis rapidissimo cursu omnia videatur præterire, et nunquam sententiis immorari, earum tamen connectione atque dispositione, aptaque et concinna brevitate tantum efficit, aliæ ut aliis quasi repercussæ illidantur, seseque mutuo duplicent, et non solum ut alte pertingant ad animum, verum etiam relinquunt in eo oculum, quem non facile evellas.

In heroibus celebrandis semper gravis, grandis, sublimis, eos depingit potius quam laudat; nec strepitum nec molem verborum adhibet, sed naturali magnitudine pulcher incedit. Verum hæc pudica simplicitas suam quamdam sublimitatem habet, quam nemo unquam ambiciosioribus verbis assecutus est. Sæpe uno versu sui heroïs omnem animi magnitudinem exprimens, summam movet cum admiratione reverentiam.

Quando autem ab his grandibus ad leviora descendit, jocosque et risus et Gratias et Venerem festivo invocat carmine, quam delicata, quam ingeniosa fluit vena! Nunquam efficacius quemquam credo cum amica collocutum; nunquam quis aut verius, aut magis ex animo sequi visus est, quo ducebat voluptas. Non sunt apud illum perennes illæ lacrymæ et suspiria amantium, et cæteræ frigidissimi ardoris commendationes, ut fictæ, ita insulsissimæ, queis tamen nihil est usitatus; sed fatetur amorem tam ingenue ut non possis non credere ei et favere; Quandoque affectat iram, adhibet minas, sed semper in eo desinit, ut ostendat, si ipse mutuam amorem petit, non e sua magis, quam e puellæ re esse, ut obtineat. Omnes hujus generis odæ lepidissimæ sunt in Horatio: Gratias quasdam habet quas sentire quam describere sit facilius. Sive Venerem, sive Bacchum celebret, putes utrumque Horatii stylum *prima parte sui nectaris imbuisse*.

Tandem in sacris ipsius odis, si sic vocare fas est secularia carmina et illa in quibus Deum aliquem alloquitur, easdem plane virtutes et veneres, invenimus, quas in cæteris, ut in nullo genere non sit excellentissimus, omnesque habeat dotes lyrici poëtæ. Adeo singulari fuit ingenii felicitate et linguæ, ut omnia sic ut decebat tractare posset, tenuia submisce, grandia magnifice, mediocria iterum congruenter. Itaque certum est nullum unquam hominem acriori fuisse præditum pulchri sensu et judicio: dum incitatus abrumpit sententiam et absque lege, absque ordine, intermedia omnia relinquens, ad alia transilit, tam id audacter factum apparet, ut putes non potuisse adesse judicium; dum autem sententiæ aliæ ex aliis sequentes diligenti et perito investigatori quanto judicio omnia collocata atque colligata sint tandem indicarunt, vix intelligit, quomodo, qui tam stricte cogitationis vestigia observavit, tam potuerit esse audax. Porro multi olim existimabant quo quis esset pulchri sensu certiore, eo illum incedere tardiori et timidiori gressu; ast ex quo optimorum scriptorum non verba modo, sed sententias etiam excutere docti sumus, vel unius Horatii exemplum errorem hunc evertit. Nunquam nimius est, et venustatum semper renascentium, semperque variatarum seriem ubique exhibet. Triplicem habet eloquentiam verborum, harmoniæ, et sententiarum se invicem insequentium et urgentium. Habet præ reliquis omnibus poëtis, pressam et concitatum dictionis vehementiam quæ

lectorem percellit simul et delectat. Tandem tot habet dotes, ut cum multas enumerando jam defatigati, plures videmus restare, huc redeundum sit ut dicamus habere omnes. Nunc videamus quid sit de Sarbievio dicendum.

Sarbievium non semel perlegi, et, fatebor, nunquam sine aliqua voluptate, apparent enim in eo flores quidam ingenii quos non temere ubique reperias; sed, ut illud quoque fatear, apparet præter flores pene nihil; quo est illa voluptas multo, quam esse posset, minor. Nam ubi tam densi occurrunt et tanquam casu effusi, non modo difficile est ut ullus adsit ordo aut ratio, sed confusione illa accidit etiam, uti ad quam veluti radicem singuli referantur nulla prorsus opera distinguas. Cito fastidium oritur ubi quid nimium est; placet cum primum intueris, si immoraris, displicet horti planities ubi inter continuos flores nulla arbor; quid? si ne thyrsorum quidem folia hinc inde eminent? Omnia natura temperata voluit, et vel pulcherrimarum rerum modum aliquem statuit, et ipsius quasi pulchritudinis ornamentum varietas est. Neque omnia ex æquo splendere fas est; perpetua lux obtundit oculos et in obscuriora quandoque cum maxima voluptate requiescunt. Tum hoc quoque addemus, quandoquidem de floribus cœperamus, non credibile esse in tanto numero non inveniri multos leviculos, quorum sit aut forma aut color, aut uterque etiam parum sincerus, quos propius intuens deprehendas et ejici cupias tanto magis, quod cum præter flores nihil expectas, hos saltem quos expectas, probos tibi offerri desideras.

Non tamen hæc ita generaliter a me dicta quis accipiat, tanquam nunquam assurgat Sarbievius aut nihil habeat illius majestatis, quæ poësi lyricæ convenit in grandioribus argumentis. Multum absum ab hac persuasione; quin contra affirmare non dubito non raras esse in eo graves et magni ponderis sententias et ingentes spiritus;

Verum ubi pauca nitent in carmine, non ego multis

Offendas maculis?

Offendor certe: sæpe enim, nimis sæpe gravissimas sententias ornando et deducendo enervat, aut dum vitat humum nubes et inania captat. Ingenium non deficit, habet nervos, habet vehementiam, vim habet, sed nullo judicio temperatam. Omnis ejus sublimitas plerumque in verbis est, aut in verba evanescit.

Nihil habet simplicis istius gravitatis, quam in Horatio adeo miramur, tanto sublimioris, quanto naturalioris minusque quæsitæ. Sed alter fuit magnus, alter, cum esse non posset, videri voluit.

Digna res est quæ animadvertatur, recentiores omnes dum Latine scribunt, grandiaque sectantur, in hoc maxime a veteribus differre, quod hi sententiarum, nostri autem homines verborum magnificentia splendere studeant. Si ambitiosa illa detrahas ornamenta, vix umbra sententiæ remanet et speciosæ existunt nugæ. Non sentiunt mediocria ingenia nihil esse frigidius verbis illis sonantibus et plane insolenter translatis, nisi sententiarum pari pondere fulciantur; verum illi quoque qui sentiunt, non semper vident quousque sit procedendum. Ingenium multis a natura concessum, pauciores iudicio commendantur. Hic maximum dumtaxat virorum est noscere *commoda fandi tempora* et quando vel humili terras radere penna, vel audaciori nubes petere oporteat volatu. Simplex sententia posita non alieno loco, magis exornat paginam quam superbior inserta non suo. Vividiores colores, quo magis elucescant in tabula, umbram poscere, sexcenties repetitum non capiunt illi, quorum est totum ingenium in imaginatione. Tum quoque hæc Quintiliani non satis secum reputant, *sublimitatem translationis periculo audaciæ proximam esse*, et ut furiosi esset nihil placide agere, ita stulti esse poëtæ nihil posse vulgariter dicere.

Hæc sunt poene quotidiana Sarbievii peccata. Ast aliis etiam vitiis laborat, fortasse non levioribus. Horum primum ex illorum contrario nascitur; namque odæ multæ, in quibus amabilem Horatii festivitatem et facilem illam urbanitatem æmulari voluit, epigrammatis sunt quam veris odis similiores, non gratia et lepore Catullum, sed acumine Martialem exprimentibus. Ludit sæpe in verbis; tamque illud misere, ut appareat adhibuisse illum ingenium ad quæstionem. Huic proximum est prolixitas. Nunquam satis dixit; et quantum Horatius ut brevis, tantum noster studuit ut prodiret quam longissimus. Nimis quam verbosus est. Si, ut fit inter scribendum, in sententiam incidit, quæ arrideat, eam non amittit; velit, nolit, inserenda est; tum putes finem esse, cum hoc modo vim intulit bonæ menti, hæc identidem « *sed nunc non est his locus* » suggerenti? Falleris: nondum illam relinquit. Sed tum quasi per ludum vertit eam, revertit, premit,

deducit, extendit quamdiu illius quidquam restat, sive potius donec restat nihil.

Sic pulcherrima pereunt inter imperiti manus artificis. Sunt enim quædam sententiæ tanquam pretiosissimæ gemmæ, quas si in minutos lapillos disseces omne pretium abstuleris. In Horatio contra videntur ubique coarctari velle sententiæ ut minus spatium occupent; sæpe non totæ se proferunt et tanquam quæ latere cupiant. Hoc artificio placet illa Virgiliana Galatea,

Quæ fugit ad salices, et se cupit ante videri.

Sed habebat iudicium Horatius, Sarbievius non habebat. Id aliud insuper nos docet longe gravissimum vitium. Diximus jam supra Horatium rerum et sententiarum exquisita dispositione maxime admirabilem; nimirum scripserat in arte Poeticâ :

Singula quæque locum teneant sortita decenter,

Et illud suum præceptum observavit. Quam autem difficile sit descendere in animum, scrutari ingenium, et quæ ibi aguntur omnia excutere, meliora seligere, singulis suum locum assignare, simulque, dum sic animus per vices et remittitur et intenditur, nihil sententiarum gratiæ, robori, aut calori detrahere, id probat tum Bolæus in tertio artis poëticæ :

- « Un poëme excellent où tout marche et se suit
- « N'est pas de ces travaux qu'un caprice produit.
- « Il veut du temps, des soins;... et ce pénible ouvrage
- « Jamais d'un écolier ne fut l'apprentissage.
- « Mais souvent parmi nous un poëte sans art,
- « Qu'un beau feu quelquefois échauffa par hasard » etc.

Tum potissimum experientia. Ergo multi dum canere instituere, argumentum, quod se primum obtulit aggrediuntur, non modo non consulentes humeros, sed nequidem oculos in materiam conjicientes ut certum eligant ordinem; quamquam duplex hæc culpa non est, sed una, nam :

. . . . . Cui lecta potenter erit res

Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Principium est autem, ubi nullus sit ordo, ibi nec esse pulchritudinem. Quare cum hæc ignorare non potuerit Sarbievius, dicas quodammodo non serio ipsura

lyrici poëtae gloriam ambiisse, sed quæcumque scripsit ludentis esse et se fruentis lusus ingenii, adeo nullum sæpe ordinem observat. (Facile apparet non melicitas illas lyricis divagationes, sed ridiculas carpere). Procul dubio summa illa Horatii perfectio non a casu, sed a meditatione est: non ille cum aliquid mente conceperat, illico manum admovebat chartæ, ut fortuitum et subitaneum aliquem versum occuparet, a quo inciperet, sive is Alcæicus, sive Sapphicus, sive alius foret, ut quandoque fecisse videtur Sarbievius, sed et in metro eligendo et in omnibus rite ad eundem finem disponendis iudicium prius consulebat et rectam rationem. Id etiam confirmant verba Cl. Noël ipsius gradui ad parn præfixa: *si l'on vouloit transporter ailleurs tel ou tel genre de vers, il y paroitroit comme étranger, auroit un air contraint et ne parleroit plus son langage naturel. — Je ne puis croire que ce soit le hasard qui ait établi les différentes espèces de versification. Cette variété sans doute est fondée dans la nature, qui ayant mis dans l'oreille un vif sentiment des sons, porte aussi à choisir différentes sortes de mesures, de cadences et d'ornemens, selon les matières que l'on traite, et selon les passions que l'on veut exprimer, etc., etc.*

Gravia sunt et multa quæ huc usque notavimus in Casimiro, non omnia tamen. Agendum est etiam de dictione, quamquam, ex instituto, admodum paucis. Dictio Sarbievii non raro obscura est, quo vitio Horatius minime tenetur. Attamen obscuritas illa non inde provenit, quod, ut hic ait, *brevis esse laboraret* verum ex fastidiosa prolixitate et nimio translationum usu. Aliquibus locis tot habet verba, ut si singulis suam significationem tribuas, ex omnibus pæne nihil efficias.

Est brevitæ opus, ut curat sententia, neu se

Impediat verbis lassas onerantibus aureis. Horat. Sat. I. I. X.

Præterea pura non est; quatenus esse potuisset, vel quia vocabula phrasesque sæpe vitiose translatae sint, vel quia lyricæ poesi non convenient, vel quia aperte in grammaticam peccent. Denique, quod non prætermittendum, Sarbievius non nimis acrem habuit pulchri sensum; illud cum ex præcedentibus modo liquet, tum ex dictione usque et usque calamistris inusta, et ex sententiis plurimis falsis (pensées fausses.), frigidis permultis, quæ nemo unquam Horatio exprobravit.



Festinare me dixerit aliquis ; sic est , festino : et quia sic ratio temporis postulat et quia piget in his diutius sistere. Quem animum vis mihi esse ad comparisonem instituendam inter poetas tam inæquales ? Nam quid ad Horatium Sarbievius ? aut quid plura de Polono vis me dicere , cogitantem insuper eum usque Venusini oloris satis imperite inductis plumis ornatum iucedere ? nunquam aliquid per se ausum quin turpissime lapsus sit ? Quanti putas temporis esse et difficultatis opus , statuere ubi imitator , hoc ipso semper *inventore minor* ( Horat. sat. I. I. sat. X. ) laudem meruerit , mutuatas exprimendo sententias , verbis ipsis sæpe paululum modo immutatis , vel aliunde subreptis ? Vincere difficultatem istam conabor , et una animi refugientis fastidium ? anne disputationem abrumpam indignans ? at *ibi omnis effusus labor ! . . . .* Ergo cedamus , et , qua licet , obsequamur . . . At o !

Romani decus arbiterque Pindi,  
*Cui par est nihil et nihil secundum* ( Mart. de urbe Roma. )  
 Si semper colui tuos libellos  
 Juxta Virgilium tuum et Tibullum,  
 Juxta molliculum meum Catullum,  
 Plus quam carmina cuncta cæterorum ;  
 Si ( et hoc unanimes roga sodales )  
 Semper magnificos , graves , disertos,  
 Urbanos , faciles , nec infictos ,  
 Plenos deliciis Leporibusque  
 Dixi atque asserui tuos libellos ;  
 Laudavi omnia , maximi quæ feci :  
 Per cultumque meum , tuosque honores ,  
 Nolis obsequium hei ! mihi molestum ,  
 Næ valde obsequium mihi molestum  
 Ægre ferre. Pius tuebor usque  
 Divinos , lepidos tuos libellos ,  
 Honoresque tuos , meumque cultum !

Sed quid moror ? Quid refugio ? Quid tergiversor ? *fugit hora ; hoc quod moror inde est. Obsequamur !*

Itaque quem in finem de Sarbieviò quaesitum est? Nempe, credo, ut hinc aliquod lumen priori commentationis parti accedat. Secus enim gemina esset, non una quaestio. At quid conferam ad quaestionem illam de versibus neolatinis, si probavero Sarbievium Horatio ingenio, judicio, pulchri sensu immensum cedere? Quid hæc ad linguam Latinam? E contrario autem si hæc neglexero, et unice de numeris et dictione egero, videbor absurde fecisse, qui contendam de iis recentioribus nihil liquere. Ergo justam quidem, ut alias facerem, locorum inter se collatorum comparisonem non instituiam, verum ut, quod hoc capite de Sarbievio tuli iudicium, confirmetur (quod solum requiri arbitror.) examinabo plures ejus odas, et notatorum in eo vitiorum exempla afferam; tum, quod unum supererit, Horatii quædam, ubi locus erit, subjungam quæ contrariis virtutibus enitebunt. Sic et mihi satisfecero, quia nulla Horatio meo injuria fiet, et amplissimis viris, quorum hæc iudicio subjicienda sunt, quia videbor præscriptum ordinem, quatenus licebat, observasse.

## CAPUT SECUNDUM.

Diximus Sarbievium his plerumque vitiis deformari: nimio luxu et affectatione styli; prolixitate; tumore; ampullis. Odas multas nimis impeditas, nimis vagas esse; præterea obscuram parumque sinceram esse dictionem, et tandem nimio studio nova proferendi, noveque omnia dicendi sæpe pueriliter acuminosum esse, frigidum et fucatum, quia iudicio carebat et pulchri sensu. Ne autem inique fecisse videar, exempla horum vitiorum afferam, non undique per quatuor odarum libros collecta, sed passim ex primo libro arrepta.

Lib. 1. od. 1.

Ad Urbanum VIII. P. M. cum infestæ Thracum copiæ  
ex Pannonia excessissent.

Poëta incipit dicendo sævo bello terminato salutem et pacem rediisse et cum illis omnes virtutes et omnia aurei sæculi bona; Hinc laudat Urbanum quem magnum pacati orbis moderatorem vocat et longam ei vitam precatur. Ode tota

est in enumeratione, quare eodem semper tenore incedit; sed dictio vario ornatu et pigmentis jucundissima et dulcissima. Verum nihil aliud in ea laudari potest; ætatis aureæ descriptioni nullam sententiam adjecit; nihil est quod perentet pectus; omnia imaginationi dicta sunt, nihil ingenio. Nunquam id neglexit Horatius, cui non placuissent *versus inopes rerum nugæque canoræ*. De eadem re Popius in libro de Critica l. 2. vers. 124.

Quidquid verborum strepitu se jactat inani,  
Est arbor nimio sterilis sub pondere ligni.

Et omnes quorum solida vis mentis et ingenii fuit semper pondus aliquod addiderunt vel levioribus poematibus.

Horatius l. 1. ode 2. ad Aug. Cæs. similem fere materiam tractat, nisi quod Sarbievius bona, quæ belli malis successere enumerat, ille vero ipsa mala describit, quæ Dii irati in Romanos immiserunt et a Diis veniam precatur et sic tandem ad Augusti laudes devenit. Sic orditur :

Jam satis terris nivis atque diræ  
Grandinis misit Pater, et rubente  
Dextera sacras jaculatus arceis  
Terruit Urbem.

Hinc arrepta occasione ad Deucalionis diluvium describendum pergit :

Terruit gentes; grave ne rediret  
Sæculum Pyrrhæ nova monstra questæ, etc.

Aptissime transit, et nihil nimii est in illa comparatione, si attendimus hominum superstitiosissimos fuisse Romanos et Tiberi ultra morem exundante, neque cessantibus nive et imbribus facillime potuisse alteram timere terrarum inundationem. Et nonne postea non gravioribus moti causis Christiani orbis excidium nescio quoties timuerunt? Omnium temporum superstitiosi hanc communem notam habent quod timidissimi sunt. Sed ad Horatium redeamus: quanta arte blanditur Augusto! (Sed quis unquam peritior Horatio laudator exstitit?)

Vidimus ( inquit ) flavum Tiberim retortis  
Littore Hetrusco violenter undis  
Ire dejectum monumenta regis  
                  Templaque Vestæ.  
Hiæ dum se nimium querenti  
Jactat ultorem , vagus et sinistra  
Labitur ripa , Jove non probante u-  
                  xorius amnis.

Hanc ultimam stropham nemo , quem sciam , commentatorum unquam intellexit ; nescio quas causas commenti sunt cur Jupiter hic dicatur improbasse ultionem Tiberis. Horatius dum Augusto gratificari cupit dicit Jovem non probasse quod Tiberis se Cæsaris ultorem jactaret , sed solum Octavium Augustum , quem Mercurium esse fingit , illas partes accepisse , in quo unam spem imperii constitutam ait. Id monstrat pulcherrima dubitatione ; nam posquam in hunc modum aliud malum , bella civilia commemoravit :

Audiet cives acuisse ferrum  
Quo graves Persæ melius perirent ;  
Audiet pugnæ vitio parentum  
                  Rara juvenus.

Sic canit :

Quem vocet Divum populus ruentis  
Imperi rebus ? Prece qua fatigent  
Virgines sanctæ minus audientem  
                  Carmina Vestam ?  
Cui dabit partes scelus expiandi  
Juppiter ? . . . . Tandem venias precamur  
Nube candentes humeros amictus  
                  Augur Apollo !  
Sive tu mavis , Erycina ridens ,  
Quam jocus circumvolat , et Cupido ;  
Sive neglectum genus et nepotes  
                  Respicis Auctor ;

Heu! nimis longo satiate ludo!  
 Quem juvat clamor galeæque læves,  
 Acer et Mauri peditis cruentum  
 Vultus in hostem;

Sive mutata juvenem figura,  
 Ales in terris imitaris almæ  
 Filius Majæ, patiens vocari  
 Cæsaris ultor:

Hoc erat nimirum quo pervenire volebat; nunc quod solum restat, optat ut diu hoc Cæsare felices Romani sint et ut victoriam de Medis referat, in quos tunc bellum parabatur. *Serus in cælum redeas*, etc. Et sic cursum absolvit.

Taceo de mirifico ordine quo omnia disposita sunt; non hic nuda descriptio est, sed motus et affectus princeps lyricorum admiscuit. Quanta varietas imaginum! Quid de dictione et numeris loquar? Quibus nihil est aptius, aut magis ab omni affectatione remotum, etsi elegantissimis. Sed ut melius cernatur differentia quæ est inter Horatii et Sarbievii stylum, hujus quatuor ultimas strophas adscribam, reliquias etiam paullo naturaliores minusque comptas.

Syderum præses, Dominusque terræ,  
 Lucida Romam, speculatus arce,  
 Regna tranquillet, cupidoque patrem  
 Te velit orbi.

Laurus annosum tibi signet ævum,  
 Fata te norint, properentque Parcæ  
 Nescium carpi tibi destinatos  
 Stamen in annos.

Quæque formosos sedet inter igneis  
 Sedulam pro te miserata Romam  
 Virgo, quam circum glomerantur albis  
 Astra choreis,

Curet effosas Latii querelas,  
 Virginum castas juvenumque voces  
 Curet et votis procerum reclinem ac-  
 commodet aurem.

Hæ strophæ , si secundam excipimus , pauca offerunt carpenda ; si sic semper Horatium imitatus esset , certe me maximum laudatorem haberet ; sed multum abest , ut ubique tam felix fuerit.

## ODE 2. l. 1.

Ad Lycum , ne plus æquo de adversa fortuna queratur.

De hac oda universim hoc tantum dicam , nimis levem nimisque desultoriam esse pro gravitate materiæ , nulla sententia insignem. Quis hæc vel si vera sint , in oda unquam probaverit :

Fessos duxit heri boves ,  
Dat magnis hodie jura Quiritibus :  
Et quæ bobus ademerat  
Imponit Gabiis et Curibus juga ?

Ludit in verbo *juga* ; sed falsum est ipsum eadem illa , quæ bobus ademerat , juga Gabiis et Curibus imposuisse ; a propriis ad translata pergit. Tum qua virtute sequentia commendantur ?

Idem Phosphorus aspicit  
Magnum , quem tenuem viderat Hesperus.  
Quod si seria ludicris  
Fortunæ placeat texere , rusticus  
Hesternam repetet casam ,  
Ridentis populi non humilis jocus :  
Et quæis rexerat omnia ,  
Rindet laurigeris ligna securibus.  
Quod si defuerit salix  
Fasces pauperibus subjiciet focis.

Quam quæsitâ omnia , tam frigida , et cum a tertio versu ad ultimum semper idem repetat , nihil cohæret , omnia fluxa sunt et languida. Talem ne medicinam ægroto animo adhibere ?..... Vix attingit morbum. In primis tribus versibus solatur amicum aliqua adlocutione , sed est

Paulum quidlibet adlocutionis  
Mæstius lacrymis Simonideis. ( *Catull. ep. 39.* )

Doctioribus dijudicandum relinquo an latine dixerit ibi : *Lyce, expedi indignas nœnias et mœstum pectus gemitu et frontem hispidis nubibus* ; iidem forte etiam intelligent quid sit *jocus non humilis*. Ego etsi videam quid dicere voluerit, quid dixerit non video. Ad tertiam transeamus, non tam languida est.

## ODE 3. I. 1.

Urbane regum maxime, maxime  
 Urbane vatum (*modeste!*) Pegaseus tibi  
 Temo volaturusque late  
     Regna super populosque currus  
 Jam dudum apud me est. Eripe te solo,  
 Obliviosis eripe nubibus  
     Nomenque laudesque.....

Magnificum Hercle! exordium.

Quid dignum tanto feret hic promissor biatu?

Audiamus :

O deorum

Concilio, patrioque quondam  
 Promisse cœlo! te super inclyta  
 Terrarum et altas Acroceraunia  
     Egressa nubes, te superni  
     Colla super humerosque Pindi  
 Attollere alte, non sine numine  
 Luctabor.

Et quidem, Sarbievi, luctatis jam, et magis etiam in sequentibus; ut te torques inter tot illos et tantos montes, quibus quindecim amplius versus onerasti!

Postquam, quam potuit altissime Urbanum exstulit, nescio super quem montem an super omnes simul, pergit :

Hinc ire pompas, hinc tibi præpètes  
 Centum superbis ire curulibus,  
 Urbane, Musas, atque aperto  
     Ire sines tua facta cœlo.

Dignum cælo spectaculum : *facta Urbani et Musæ curulibus euntes superbis centum!*

Tum Horatium imitatus, sive potius describens, quod solent quandoque magni poetæ, imprimis tamen Sarbievius,

Auditis? (*inquit*): an me ludit amabilis  
Imago pompæ? Jam videor pios  
Audire plausus et frementes  
Cœruleum per inane turmas.

Ibi apes Barberinæ (totus autem exercitus est), tepenti vectæ ab Africo, *sonoro agmine, ter leni susurro, et ter resonis pinnis, Urbanum fremuere, neque id modicum:*

Ter vecta terris ac pelago super  
Respondit Echo!!

Musæ quoque (illæ certe quæ cœlum in curulibus petiverant) procul sparsæ *lituis et Pindaricis plectris* Urbanum cecinere, tantoque iterum cum strepitu, (quod quivis facile credet) ut omnes Africa, Europes, Asiæ et Americæ anguli audierint!

Audivit ingens pontus et insulas  
Erexit omnes. Ilicet Africæ  
Plausere, et Europes, et una  
Americas Asiæque regna.  
Lætæque tandem, currite sæcula,  
Dixere Musæ: Currite candidis  
Horæ quadrigis: ite, magoi  
Sæcula deproperate menses.  
Dixere Musæ; Protinus aurca  
Risere longum sæcula, sæcula  
Auro laborata, et recuso  
In pretium emicure vultu.

Hæ duæ ultimæ strophæ suavissimæ sunt, et aliquid Catullianum habent, quamvis non omni labe vacuæ. Cæterum videmus, quod supra dictum est, Sarbie-



vium non tam ingenio et eloquentia, quam iudicio caruisse: Hinc fit ut in parvis rebus exprimendis et sigillatim ornandis miræ quandoque felicitatis sit; Putares de eo dixisse Horatium :

Maxime pars vatum (pater et juvenes patre digni)

Decipimur specie recti : .....

Qui variare cupit rem prodigialiter unam

Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.

In vitium ducit culpæ fuga; si caret arte.

..... Faber imus et unguis

Exprimet et molles imitabitur ære capillos

Infelix operis summa, quia ponere totum

Nesciet. Hunc ego me, etc.

Hoc de sarbievio verissimum est, si sigillatim versus ejus omnes excutias vix ullum reprehensione dignum invenies; sed si summam intuearis, pauca in eo laudabis.

Unum erat in Horat. Carmen quod ut duriusculum notaveram; at quis sibi finget animo stuporem meum cum vidi id ipsum, quasi eximiam prædam, Horatio ab hoc nostro subreptum: *jamdudum apud me est, eripe te moræ*: (Hor. III, 29.) Quis scit an Urbano placere voluit, ipsum iisdem verbis, quibus ille Mæcenatem, alloquendo? Anne forte post dura illa melius sentitur vis et celeritas sequentium: *Eripi te moræ*? Si ita est, gratulabor Horatio.

ODE 4. l. 1.

Ad Crispum Lævinium ne nimium adolescentiæ fidat.

Hæc ode duobus aut tribus locis pulchre nitet. Elegantissima est hæc comparatio:

Quod tibi larga dedit hora dextra

Hora fugaci rapiet sinistra

More fallentis tenerum jocosæ

Matris alumnum.

Hoc quoque, quam ingeniosum! quam bene expressum!

Omnibus mundi dominator horis

Aptat urgendas per iuane pennas:

Pars adhuc nido latet et futuros

Crescit in annos.

Reliqua valde sunt tenuia, quin secunda et tertia stropha inertes sunt, neque huc videntur pertinere; hæc quoque in memoriam mihi revocat frigidissimos duos gallicos versus :

*Le voilà ce poignard, qui du sang de son maître  
S'est teint si lâchement... Il en rougit le traître!*

Jure Phænissis vaga penna eristis

Stare labenti dubitat galero...

Jure, quo fulges timidum refigi

Palluit aurum...

Hæc tam puerilia, tam inepta etiam cum non opus est in odam intrudere... ? Non capio.

ODE 5. l. 1.

Ad Urbanum, ejus laudes continet.

Cum eadem sit materia ac primæ, nil dicam nisi quod eadem vitia et eandem venustates habeat; pene nihil in ea mutavit poëta præter metrum; idem plane ordo est, fere dixerim eadem verba, et quod mirari subit, ultimæ strophæ iterum optimæ sunt. Cæteræ, nugæ canoræ. Videamus secundam :

Per te reficto ferro adamantinum

Offulsit auro sæculum, et undique

Gazis coronatumque gemmis

Purpureo revirescit ævo.

Quis hæc intelligat? *Adamantinum sæculum offulsit auro per te refixo et gemmis gazisque undique coronatum (adamantinum illud sæculum) revirescit purpureo ævo.* Quid hæc nisi sterilis abundantia? Pergamus ad 6<sup>am</sup> quæ paulo plus laudis habet.

ODE 6. l. 1.

Hæc aureo quodam flumine orationis et variis styli dotibus commendatur. Nihil memini me legere sonantius primis strophis. Verba omnia grandia magnifica et aptissime (si de hoc recentiores judicare possumus qui musicam ve-

terum ignoramus) ab una stropha in aliam traductæ sententiæ suspensæque constructiones. Liberrimam spirat indignationem, et nescio an una omnium hoc tempore maxime placitura sit, dum iidem illi Græci, quorum luget servitutem Sarbievius, cum tyrannide luctantur. Forte hoc ipso mihi Sarbievii odoram pulcherrima videtur. Paulo longior est, quædam etiam nimis amplificata et turgida. Circa finem male digreditur, ubi illæ querelæ de sæculorum degeneratione si non plane intempestivæ, saltem asperiores sunt et nimix. Hujus odæ initio similes fortasse fuere Tyrtæi versus, quibus *mares animos in martia bella exacuit*. Nihil hujus generis habet Horatius, conferri tamen possent digressiones duæ altera l. 2. oda 1. altera l. 3. oda 3. *justum et tenacem* etc. utraque hæc oda grandior et gravior sententiis, secunda etiam immensum altior et sublimior est quod vel ipsam dictionem attinet; sed tamen conferri possent ad monstrandam Sarbievium ductum et incessum dictionis satis scite imitatum esse, quamvis peccaverit productionum phrasium consono semper tenore. Nam reliqua quomodo attigisset cum Horatius ipse in utriusque odæ fine hæc addat, primæ :

Sed ne, relictis, Musa procax, jocis,  
 Cææ retractes munera næniæ,  
 Mecum Dionæo sub antro  
 Quære modos levioere plectro.

Alterius :

Non hæc jocosæ conveniunt lyræ,  
 Quo Musa tendis? desine pervicax  
 Referre sermones Deorum, et  
 Magna modis tenuare parvis

Quibus simul indicat non solitum se tam alta ad lyram exigere. Quædam etiam ex sexta oda l. 3. in comparisonem adduci possent : sed hæc non sunt mei instituti :

ODE 7. l. 1.

Hæc oda ingeniosa est..... fidem faciant hæc :

Vesper vespere traditur ;  
 Sed nunc deterior, nunc molior subit.  
 Anni nubibus insident,  
 Incertis equitant lustra favoniis,  
 Cæco sæcula turbine.  
 Hæc, quam Pieria decipimus lyra,  
 Juncto fulminis essedo  
 Eheu! quam celeres hora quatit notos,  
 Nec gratæ strepitum lyræ,  
 Nec curat miseræ carmina tibie :  
 Et quamquam canitur levis  
 Sese tota suis laudibus invidet.

Hæc alius laudet, ego non laudo. Quid frigidius ultimus illis versibus?

ODE 8. l. 1.

In ea cum summa arte procedit, ut ab increpatione socordie ad fortitudinem et bellum adversus Ottomannos suadendum pergat. Tota pulcherrima esset si temperare sibi potuisset a tumore et nimia amplificatione; numeris sextæ par, ordine præstantior; Perite hic Sarbievius irridet et indignatur; Acris est exprobratio et increpatione. Subita et magna vis in his :

.... Frangite barbita  
 Nervosque, Dementemque buxum  
 Femineo prohibite cantu.  
 Auditis? Istri littora personat  
 Ferale cornu. Jam capita Alpium  
 Magnæque respondere montes  
 Ausoniæ. Novat arma Mavors  
 Urbesque tectis elicit. Ibimus?

Hæc audacia, sed, ut dixi, in fine latius vagatur et quia nimium aut nimis nove vult dicere, solum illud *surgamus* ter repetitum reliquum habet.

ODE 9. l. 1.

Nonam odam hæc deformant :

Mater sollicito spectat ab æquore  
 Et lentum pelagi damnat Oriona.  
 Et ventos gemitu duplicat et pigro  
 Affundit lacrymas mari :  
 Si fors edomito fletibus Æolo  
 Indo sole niger filius advolet, etc.

Ille versus . . . *et ventos gemitu duplicat*, et sequens mihi in memoriam revocant versus aliquos Gallicos inepti poetæ, quorum primum hic adjiciam, de diva Magdalena loquitur ;

*Ses soupirs sont des vents qui les arbres arrachent, etc.*

Non opus est monstrare quam frigidi sint. Cæterum in hac odâ Sarbievius Horat. imitatus est, l. IV. od. V., eaque quæ transcripsi, peculiariter respiciunt stropham tertiam et quartam, quas apponam, ut cerni queat quam non fuerit *doctus imitator*.

Ut mater juvenem, quem Notus invido  
 Flatu Carpathii trans maris æquora  
 Cunctantem spatio longius annuo  
 Dulci distinet a domo,  
 Votis, omnibusque et precibus vocat ;  
 Curvo nec faciem littore dimovet :  
 Sic desideriiis icta fidelibus  
 Quærit patria Cæsarem.

#### ODE 10.

Decima iterum Urbanus laudatur ; prioribus autem nihilo præstantior est, fortasse etiam deterior ; quare cum in sequentibus paullo sumus diutius immoraturi, eæque vitiorum satis, quæ notemus, ministrant, duas tantum quæstiones hinc desumam. Primam offert strophæ octava, eaque talis est : quid sit Urbano cum *fontibus Amymonæ*, cum *murmure Penci*, cum *Nisæ tympanis*, *lyris*, *buxis*, *citharis*, *plectris* ? quaque ratione *sistra Nili*, *væra Berecynthia*, *arma Corybantum* (strophæ 10), quæ jam nulla sunt, pontifici plaudere queant ? aliter, atque uno verbo, an non sit imperita divagatio ? Altera, septima post strophæ, hæc est, an ad genium et morem Romani sermonis dici possit :

..... .Ne properes citus  
 Mensis reclinari, et faventum  
 Ambrosiæ accubuisse divum?

In quibus *properes* quod futuri temporis significationem habet, male videtur cum præterito *accubuisse* conjungi; et ista : *mensis reclinari, ambrosiæ accubuisse* aliud fortasse sunt ab eo quod est : *ad, propter mensam reclinari, mensæ accubuisse.*

Cæterum, quamvis nimium licenter, utpote aperto cum mendacio, bene tamen factum, quod in fine Musam *suam* admonuit, et tritam rem, sibi accommodando, novam reddidit :

Quo, Musa, vatem, non memor Icarï,  
 Tollis relapsurum? his potius gravem  
 Depone ripis, et dolosas  
 Deme humeris digitisque plumas.

11. *Equestris elegantiaë jactantiam reprehendit.*

Recta ad scopum tendit :

Non auro neque tinnulis  
 Pugnandum phaleris, et chlamidum sinus,  
 Et nodos, et inutiles  
 Gemmas belligeris demite brachiis.

Satis bene huc usque; et gravis est, et elegans.

Quid levem galeam juvat  
 Plumarum volucrem ferre superbiam?

Leviora sunt, quæ carpit, et longe audacior figura in *plumarum volucrem ferre superbiam*. Quod damnabat voluit augere verborum magnitudine; sed neque illud æquum est, neque hoc suo loco.

Cur sparsas agitat jubas,  
 Et conus tremulis annuit Africis?

Illa jam nimia sunt. Nihil enim addunt præcedentibus, nisi tumorem. Tum nimis ornata sunt : *conus agitat sparsas jubas*. hoc, quid est : *cur conus annuit tremulis africanis?* Nimirum hypallage, quam si resolvas, habebis hæc inepta : *cur conus tremit?*

*Cur* (pergit, nondum enim quærendi finis est.)

Cur tectum pavidam caput  
Ementitur avem?

Curiosum caput hominis! Ut etiam atque etiam vel minima persequitur! Quid huc ingeniosum illud epitheton *pavidam* facit? An quid refert pavidane an audacis sit pluma volueris? *Tectum* autem *caput*, quare? Scilicet vult equites nudo esse capite. Miram sibi de fortitudine bellica opinionem fluxerat, quod alibi etiam videre licet. Gravius est *ementitur*.

Cur tectum parvidam caput  
Ementitur avem? cum leve sibilis  
Aurarum et Zephyri joco  
Furtum Mygdoniæ proditur alitis?

Nempe nisi *aurarum sibili* et *Zephyri jocus* (mellea verba!) accessissent, non proderetur *furtum Mygdoniæ alitis*? *Furtum* autem passive, nescio quo exemplo. Ne vero putetis in hoc catalogo ornamentorum equestrium recensendo totam odam insumpturum; altius tendit :

Jam grando chalybum imminet,  
Telorumque frequens aura volantium  
Inbelli galeæ insonat;  
Jam Martis tonitru mugit, et obvium  
Medi fulgur acinacis.

*Grando* idem quod *copia* apud Græcos. Vid. Voss. l. 4, Inst. orat. p. 42. Apud Latinos sic nunquam usurpatum legi. *Nimbus* dicebant aut *nubem telorum*; Galli utrumque amant: une grêle de coups, une nuée de traits. Non tamen negare ausim latine dici posse. At *chalybs*, pro metallo plurali numero efferri plane nequit. *Fulgur*, Horat: *fulgor armorum* l. 2, od. 1. An mugiat *fulgur* nescio, etsi tamen scio, apud Virg. et Suët. pro *fulmine* poni; Vid. illum Georg. 1, 488. hunc Domit. 15. et Aug. 29. Quorsum autem hæc tam terribilis pugnae descriptio? Ut postea vehementius urgeat :

Quid prosunt phaleræ? quid galeæ jubar?  
Quid lætæ Zephyris comæ?  
Aut umbo clypei quod procul æmulis  
Lucem solibus invidet?

Quid vultus nimium sedulus adspici?

Quid pictus pharetræ timor?

Aurum frænigera rejice dextera :

Ferro res eget et manu ,

Et magnis animis !.....

Aliis hanc provinciam relinquo ut veterum heroum exemplis Sarbievio respondeant , ejusque insanas criminationes redarguant ; mihi satis est hæc annotare : primo quod in meo libro vocula *quod* , tanquam conjunctiva sit , accentu gravi notetur. Malim relativam esse ; *clypeus* enim et *clypeum* in primo casu dicitur. Tum me non liquido cernere quid sit umbo sive *clypeum quod procul invidet lucem æmulis solibus*. Splendorem et relucens clypei quasi ardorem innuit , sed an id ea verba significant ? Non credo ; verum si ita est , tumore tamen et affectatione non carebunt. Deinde *pharetræ timor* , num ipsa pharetra ? Num sagittæ ? Num thorax , quo arcentur ? Omnia enim suspicari licet , in eo , quod nulli convenit. At *pictus timor* ! Quis sic unquam locutus est ? Ego , si modo quid in me doctrinæ est , aut in his artibus quidquam mihi judicii studium exercitatioque peperere , non modo monstrum hoc , sed omnium quæ monstra dicuntur , monstrosissimum esse audax affirmo ; nisi forte se ipse alibi adhuc vicerit. Sequens versus similis est illi , qui a primo tertius : *gemmas belligeris demite brachiis*.

..... Hæc tuleris tria ,

Dicam Geryoni parem ;

Quem nec populifer proruat Hercules ,

Nec coelo nimius Mimas ,

Nec dura Idomeneus , aut Sthenelus manu.

Quis est ille Geryon quem non populifer proruat Hercules ? Nam tricorporem illum cognominem ab Hercule sua in ossa fractum memini fuisse.

Bellis adsit idonea

Incomptæ facies lege ferociæ ,

Quam fuci decor abstineus ,



Lascivæque carens forma proterviæ,  
Et ferri memores genæ,  
Hesternique notent vulnera prælii.

Sic ferme Phædra ad Hyppolitum :

Sint proci a nobis juvenes ut femina compti,  
    Fine coli medico forma virilis amat.  
Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,  
    Et levis egregio pulvis in ore decet.

Cæterum illa optima sunt, ut et sequentes dncæ fictiones, quas sua laude non fraudo :

Cristæ non facient virum  
Non arguta suis colla coralliis.  
« Thoracas pavor et metus  
» Dicuntur Siculis fingere malleis,  
    » Et primi scopulis super  
» Procudisse vagis scuta Cydoniis. »  
    Nos stultum tegimur caput,  
Et leto tenues objicimus moras :  
    « At quos eruerit sibi  
» Directis oculos invida spiculis  
    » Mors affingere creditur. »

De duobus primis versibus, nisi quod commodam transitionem præbent, vel hoc ipso etiam, vulgatum illud celebrare licet :

Nos numerus sumus et rimas implere parati.

Alia enim transitio invenienda erat. Quid *cristæ* aut *corallia* ad *thoracem*? Aut quid ipse *thorax* ad equestris elegantie *jactantiam*? Nos *stultum tegimur caput*, ait; immo ipse stultus, qui hæc explodat. Non tamen illa impediunt quominus, quæ de Pavore et Metu prodit, item quæ de Morte, in se pulcherrima sint. De *Cydoniis* quatenus *vagi* fuerint nihil comperi.

In reliquis unum fortasse aut alterum versum non rejecerim. Nam omnes vel non vera dicunt, vel nimis vera. Illa v. g. quis probet? *Nudos bella pavent viros. Quos fortuna timet, vitat, et acrium differt praelia mentium.* Ubi hoc quoque insolite quod virum fortem *acrem mentem* vocat. (Vid. tamen Horat. Epist. II. 2. *Verbis quæ timido quoque possent addere mentem.*) De Hectore sonora sunt carmina et meliore loco digna.

Talis fere est Sarbievius qualem eum in hac oda videmus. In parvis rebus mirus ornamentorum artifex; multus in epithetis, non propriis, sicut Horat., sed translatis; bene loquendi satis incuriosus; aliter atque cæteri loquendi studiosissimus; ingenii prodigus; judicii parcus nescio an pauper, certe piger; aure non indocta; nunquam rem totam uno intuitu complectens, et, dum in partibus hæret, tardus ac pannosus. Vix materiam ingressus tot illico circumsistitur rebus non cohærentibus, quæ omnes iuseri postulant, ut nec unde profectus sit, nec quo tendat meminisse liceat, atque, dum depellere a se importunas imagines animus non est, huc distrahitur et huc. Sic hoc loco non luxum reprehendit armorum, sed arma; rursus Sthenelum, Idomenea, Hectorem laudat, tanquam ii armati non fuerint. Hic quoque se pugnae, non scio quoties, jam moriturus, subduxit, tamen noster vix de eo tacuit, cum in hanc sententiam erumpit :

Quod si belligera cessaris orbita  
Post te fata citaveris,  
Ostendes que neci, qua fugies, viam.

Vellem, qui sexages Virgilium perlegerat, hanc tantum Sibillæ vocem meminisset, tanquam Delii vatis admonitum, quo scripturus uti potèrat :

Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum!

Poterat et infernum portitorem imitari, qui ibidem umbrarum, quæ

Stabant orantes primæ transmittere cursum  
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore,  
.....Nunc has, nunc accipit illas,  
Ast alias longe submotas arcet arena.

Hac arte, fuisset ea licet ex inferno hausta, cælo digniores odas composuisset.

ODE 12. *De recuperandis Græciæ provinciis.*

Dicebat olim de odis Houdartii (Lamotte-Houdart) Russæus : « on dirait » qu'elles commencent pour ainsi dire toutes par le *Monsieur*, et qu'elles » finissent par le *très-humble*. » Quamquam illa jure de pessimis quibusque poëtis dici queant, eos enim plerumque videas eximie incipere, nemo tamen est, in quem melius, quam in Sarbievium, conveniant. Nam odæ ipsius, maximam partem, ingentis spiritus exordia habent, sed post brevem illum quasi fulgorem lectores densa et fumosa in obscuritate destituunt. Non modo in productionibus poëmatibus, sed vel in brevioribus, vix ultra primam versuum decadem repens ille impetus durat. Sequentia fidem facient.

At non supino semper in otio  
 Perdemus ævum; surgite Dardani  
 Cives, triumphatumque captis  
 Imperium reparate Græiis.  
 Implete classes, tendite carbasa,  
 Inferte remos; ite volentibus fatis,  
 Fatis, Quirites, ite : ventis  
 Vestra tument animisque vela.

Multæ Græciæ calamitates, gravis Turcarum superbia, priorum principum bella et conatus, præsentium inertia, dedecus eluendi necessitas, omnia hæc in illo exordio presso, vehementi, cum celeritate, cum summa vi et dignitate dicuntur aut intelliguntur. Macula inhæsit ultimo versui : ventis vestra tument *animisque* vela; sed quis postquam illa legit, deinde non aliquid saltem expectet quod permoveat, et gravi viro dignum sit, pro gloria suarum partium ac pro salute miserrimi populi graviter ac libere indignanti simul et dolenti? Quis non aliquid aut de turpi barbarorum jugo et præsentî statu incolarum Græciæ; aut de venerandis monumentis et antiqua memoria; uno verbo, quis non aliquid de Græcia artium, scientiarum ac virtutum omnium parente dicturum putavit? Aut quomodo potuit de iis non dicere? Nihil tamen egit horum. Deinceps non magis de reparando Græciæ imperio res est, quam de reædificanda Troja. Puerilis tantum

amplificatio est earum rerum, quas nobile illud solum producit, et locorum in quibus singulæ producuntur fastidiosa enumeratio. Principes Europæ in Orientem evocat non studio humanitatis, non spe gloriæ, sed prædæ et voluptatum; fallorque quam maxime, si vel in extremo hoc rerum fortunarumque, quin immo vitæ omnium discrimine iis conditionibus auxilium ab aliquo Græci paciscantur. Pecuniam, inquit, vultis? Dabit Græcia. Vinum amatis? Dabit Græcia. Palatia, supellectilem pretiosam, armenta desideratis? Ea omnia dabit Græcia. Illud tamen miror, quod ait :

Est quem comantum gratia montium,

Aut floridorum tangit amœnior

Vultus viretorum, vel uda

Mobilibus Cynosura rivis :

Hunc empta multo sanguine recreent

Tempe, vel acri Pelion aut Samos

Asserta bello, .....

Pauci sunt quibus in hujusmodi voluptatibus ille modus *emendi* placuerit. Sed describam cætera quoque istius paragraphi, ut videri possit quam immoderatus fuerit Sarbievius in nominibus propriis accumulandis, quæ in hac oda amplius quadraginta reperiuntur :

.....Vel virentis

Sylva Cragi; vel opaca leni

Pangæa quercu : nec viridem Gnidon

Altamque Dymen spreverit, aut retro

Spissis coronatam salictis

Olenon, umbriferamque Tricen.

Non lympa Cydnoi, non vitreus Melcs,

Lenisve puro Lydius agmine,

Non mite cristallum Lycormæ,

Aut gelidis Arasinus undis

Desiderantem non bene lubrico

Soletur amni, si modo bellica

E strage fumantes capillos,

Et tepidus liuit ora pulvis.

Quis tam scepticus, qui hæc ultima non credat? Nihil necesse est hoc loco aut Cydnum, aut Melem aut Lydium aut cæteros illos amnes advocari, et quivis alius fessa militis membra refecerit. Si licet libere, quod sentio, profari, Sarbievium arbitror semper ad manum habuisse indicem rerum quas inter legendum excerpserat, ad quem, quoties scripturus aliquid erat, recurreret; nam aliter fieri non potuit, ut tot locis tam indigestam eruditionem sine lege, sine ordine profuderit. Id satis arguunt longæ illæ et frigidæ enumerationes, plerumque per vim intrusæ, incohibiles, et quas nemo poëta admiserit, nisi quem et Musæ et Apollo deseruerint. Oda inchoata, si aqua hæret, in locos communes quasi pastum aut pabulatum itur, atque ita ad finem per ineptias oda perducitur.

Hujus odæ primum itaque vitium est quod scopum non implet, et omni inventionione caret. Huic addas licet sequentia; Quod ordine careat. Nam ordo haberi non potest, ubi quamcumque partem mutaveris aut transposueris, ea pars semper suo loco sit. Quod nulla sententia vel comparatione illustretur. Denique quod ne ipsa quidem dictio probari possit. Id adeo verum est ut, præter duos versus, et eos qui exordium constituunt, nihil eo nomine dignum sit in tota oda. Duo autem illi versus hi sunt :

..... Vel redeuntibus  
 Saltata Gortyne capellis  
 Cum roseus legit arva vesper.

Novum est : *roseus vesper* et de cælo Græciæ verissimum. Sufficiens, credo, hæc ad confirmanda ea quæ de Sarbievio diximus. Quare nullum amplius sequentes ordinem, unam aut alteram deligemus odam eaque examinata concludemus.

#### Lib. IV. ode III. Regnum sapientis.

Præ cæteris odis quas arripere ex hoc libro poteram, hanc malui, non solum quia periculum est ne fucum faciat aliquibus imperitis, quos tumultus ille verborum et sententiarum capere solet, sed maxime quia etiam doctis et præstantis iudicii viris modo placuisse intellexi, specie quadam dignitatis et gravitatis :

Late minaces horruimus Lechi  
 Regnare Thracas, latius imperat  
 Qui solus exemptusque vulgo  
 Certa sui tenet arma voti.

Jam ipsum exordium in vitio cubat. Quæ veritas aut relatio? Simile dici potest imperium sapientis in se, regno Turcarum quod quis horruerat? Talia effata nemo de meliore penu dixerit, et jam diu Horatius exploserat, quod ignorare Sarbievius non potuit. Nec defendi eo potest quod hunc ejus locum respexit :

« Latus regnes avidum domando  
 » Spiritum, quam si Lybiam remotis  
 » Gadibus jungas, et uterque Pœnus  
 » Serviat uni. »

Aliud enim adhuc est si uni dicas de ipso, quam si de pluribus atque aliis. Dictio quam intricata, quam incerta! *qui certa arma tenet sui voti!* an se ipse intellexit?

Imbelle pectus parce fidelibus  
 Munire parmis; neu latus aspero  
 Lorica cinctu, neu decorum  
 Arcus amet pharetræque collum,  
 An Cimber, an te lectus ab ultimis  
 Pictus Britannis ambiat, an Geta,  
 Nil allabores; ipse miles,  
 Ipse tibi pugil, ipse ductor.

Sunt hæc pro confirmatione prioris sententiæ. Verum si tuum ipse consilium experiri volueris, Sarbievi, quid te fiet nudo? audi quid hujus farinæ regulo ille tuus præceptor Flaccus quondam dixerit :

..... Vellunt tibi barbam  
 Lascivi pueri : quos tu nisi fuste coërces,  
 Urgeris turba circum te stante, miserque  
 Rumperis ac latras, magnorum maxime regum.

( *Serm. 1. Sat. 3. in fine* )

Idem alio loco (Epist. 1, 1. in fine) quam belle confidentiorem illam philosophiam ridet!

Ad summum sapiens unò minor est Jove; dives  
Liber, honoratus; pulcher, rex denique regum,  
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.....

Sed de dictione videamus : *imbelle pectus*, ait; inconsiderate, opinor, non enim ibi apta sedes tam securæ sapientiæ. Ingratissima est consouantia in his vocibus : *pectus, parce, parmis*. Sequentium quoque nullum reperi exemplum : *ne lorica, ne arcus et pharetræ aspero cinctu ament decorum collum. Decorum* adjectum est ut *ament* ejus ope stare possit, sed et epitheton cum argumento pugnat, et hoc barbarum est. Quid autem illud monstri *aspero cinctu amare*? Talia corruptissimum judicium arguunt. Jam quomodo homini isti, quem sic nudum et inermem in mediis hostibus destituit, ita loqui sustinet, *ipse miles, ipse tibi pugil, ipse ductor*? Ne quis bonus me moneat hæc figurate dici, ut et supra *latius imperet*, et infra plura alia; non enim ibi nodus est, sed in eo, quod scire non detur quid his nominibus profecturus sit. Melius Naso :

Ipse eques, ipse pedes, significet ipse sui.

Nec solum quia accuratiore sententia, sed et quia ineptum illud, *ipse tibi pugil*, non habet.

Hæc de tribus strophis, nec tamen omnia notavi. Nam vel ipsa copia vitiorum indulgentem facit, quamvis invitum. Priusquam ad cæteras accedo, duo deprecanda sunt. Primo ne culpæ mihi sit, si hic etiam plurima fastidii vitandi prætereo, quæ longa reprehensione digna sunt; tum ne dictio mea potius quam dicta inspiciantur, quandoquidem neque in tot vitiis ordo servari potest, neque in tam consimilibus varietas requirenda est aut delectus verborum.

Exile regnum, Pausilipi, sumus;  
Sed se obsequentem qui sibi subdidit,  
Hic grande fecit; si suasset  
Ipse roget peragatque leges.

*Exile regnum* noviter non enim absolute accipiendum est, sed comparative, tanquam sic scripserit : Homo similis est parvo regno. Conferatur tamen cum sensu primæ strophæ. *Si suasmet ipse roget peragatque leges*, hæc omitti oportuit ab eo qui jam dixerat : se obsequentem qui sibi subdidit. *Est brevitæ opus*, præsertim in hoc genere. Cæterum ille modus loquendi non est exquisitoris saporis et versus ipse nimis similem hujus strophæ finem efficit præcedenti.

Armata regem non faciet cohors,  
 Non tincta vulgi purpura sanguine  
 Aut nobili stellatus auro  
 Frontis apex, teretique gemma.  
 Rex est, profanos qui domuit metus :  
 Qui cum stat unus castra sibi facit,  
 Casumque fortunamque pulchro  
 Provocat assiduus duello.

Prioribus quatuor versibus parcam, dummodo non sit qui laudet. Cum reliquis pedestrem Horat. musam componamus qui et ipse alicubi in Satyris regem definiit :

Quisnam igitur rex est? sapiens sibi que imperiosus,  
 Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,  
 Responsare cupidinibus, contemnere honores  
 Fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,  
 Externi ne quid valeat per leve morari,  
 In quem manca ruit semper fortuna.... .

Quis non miretur tales versus? Nihil hic obscuritatis aut ampullarum, sed omnia vere gravia et naturali decore pulchra. Ne verbulum quidem unum inest, non dico quod reprehendi possit, sed quod suam venerem non habeat. Quid contra præstitit Sarbievius? Nihil. *Profanos qui domuit metus* vagum est et infinitum, nec reddit versum Horat. in quo expressit quæ tria maxime timeri solent. *Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent. Qui cum stat unus, castra sibi facit* : est ille versus tenebricosæ sublimitatis, sive, quod Galli aiunt, c'est du phébus. Suo modo dicere voluit quod jam bis mirabiliter



Horatius expresserat : *in se ipso totus teres atque rotundus*. Et alio loco (od. III, 29) *mea me virtute involvo*; ast modum illum quem peculiarem habet Polonus noster, jam dudum vidimus non esse optimum. *Casumque fortunamque pulchro provocat assiduus duello : provocat ? Et assiduus ?* ecce tibi alterum Thrasonem. Alibi sapientius : *arcem modesti pectoris innocens fortuna transit.... Ne mala fortiter clamosus irrites*. (L. II. 16).

Non ille vultum fingit ad improbi  
 Decreta vulgi, non popularia  
 Theatra, non illum tropæa,  
 Non volucris movet aura plausu.

Infelicem hominem! qui iis in locis semper cum Horatio congressus sit, ubi non vinci non poterat. Quibus versibus eadem ab Horatio efferuntur!

Justum et tenacem propositi virum  
 Non civium ardor prava jubentium,  
 Non vultus instantis tyranni  
     Mente quatit solida... neque Auster  
 Dux inquieti turbidus Adriæ,  
 Nec fulminantis magna Jovis manus;  
 Si fractus illabatur orbis,  
 Impavidum ferient ruinæ.....  
 Virtus repulsæ nescia sordidæ,  
 Intaminatis fulget honoribus,  
 Nec sumit aut ponit secures  
 Arbitrio popularis auræ...

Secundam stropham non adscripsissem (est enim extra omnem comparationem) nisi hoc ipso loco, id est in decursu hujus odæ, quam examinamus, eam videretur æmulari voluisse Sarbievius, et alibi (l. II. 16.) jam esset imitatus.

..... Seu pelagus super,  
 Seu fulminantis porta tonet poli,  
 Stabis..., repentinamque mundi im-  
 mobilis excipies ruinam.

Ubi, quamvis illa Horatii ex istius naturæ rebus sint, quæ nemo neque eripere neque imitari potest, et noster, qui ea affectavit, non sublimior sit, sed immoderatio, numerus tamen versuum laudandus est et præcipue felicissimum illud *stabis*, tam apte in initium tertii versus rejectum. Sed ad inceptum redeamus :

Beatus, a quo non humilem gravis  
Fortuna vocem, non tumidam levis  
Expressit unquam, curiosis  
Dum tacitus premit ora fati.

Miror qui haud ita scripserit : *non timidam gravis*, si hæc Senecæ legit :

O tumidi! rerum dum secundarum status  
Inflavit animos; timidi! dum increpuit metus  
Regum.

Est enim summus artifex deliciarum. Minus proprie dixisse videtur : *levis fortuna expressit*, nisi quia præit *gravis*, ut simile sit hoc Virg.

In campis jubare exorto delecta juvenus,  
Retia rara, plagæ, etc.

Tum malim præmitti *tumidam levis* atque illa *humilem gravis* proprius accedere ad verbum *expressit*. Quid de reliquis dicam? Aut quis ibi non miretur mecum ingenium et acumen Sarbievii? *Dum tacitus premit ora curiosis fati!* Id est, dum *curiositatem fatorum* illudit tacendo. Les voilà bien attrapés! Quam concinna, quam venusta sententia! Nam de structura quærere supersedeo.

Ad prima si quis vulnera non gemit,  
Solo peregit bella silentio;  
Celare qui novit sinistros  
Ille potest bene ferre casus.

Sententiose! Itaque qui filiae mortem moderate ferre potuit; idem postea in interitu filii, uxoris, amicorum, in amissione bonorum et fortunarum omnium non perdit lugere et afflicti poterit? Quam recte in hæc quadrant verba

Ciceronis : sæpe etiam sententiose ridicula dici ! Sic vulgò labuntur mediocria ingeua dum grandia æmulantur. De tertio tamen et quarto versu ipsum etiam interroga Sarbievium l. III, 5. *latentes parce animo sepelire curas* etc. Quam odam huic subijciam, si per tædium licuerit. Nam egregia sunt quæ hucusque vidimus, præ sequentibus, ubi dum pœtice loqui voluit, humane loqui oblitus est, insanienti quam inspirato similior. Sed jam audire videor strepentem :

Ille et caducis se licet undique  
 Suspendat auris pontus, et in caput  
 Unius et flammæ et undam et  
 Vertat agens maria omnia Auster,  
 Rerum ruinas mentis ab ardua  
 Sublimis aula, non sine gaudio,  
 Spectabit, et late rueoti  
 Subjiciens sua colla cœlo  
 Mundum decoro vulnere fulciet;  
 Interque cœli fragmina lugubre  
 Telluris insistet sepulchrum, ac  
 Incolumis morientis ævi  
 Hæres, ab alto prospiciet, magis  
 Hæc magna quam sit quæ pedibus premit  
 Quam quæ relinquet, jam tum Olympi  
 Non dubius moriturus hospes.

Hactenus. Nos id agamus quod apud Molierium in *Doctis Feminis*, postquam loqui desiit, quæramus quid dixerit. Principio, de quo prædicantur illa miracula ? *Ille*, inquit. Quis *ille* ? Sapiens, opinor ? Sic esse debet, verum quid si, quod esse debet, non est ? Quid si falsa canit ? Si non universe et proprie de sapiente, sed de illo, qui ad prima vulnera non gemit, qui sinistros celare novit ?

Ad prima, *ait*, si quis vulnera non gemit,  
 Solo peregit bella silentio !  
 Celare qui novit sinistros,  
 Ille potest bene ferre casus.  
 Ille et caducis se licet undique, etc.

Quid evidentius? At mittamus hæc; parum refert de quo dicantur, quæ de nemine dici possunt. Reliqua videamus. Quot iterum verba in his crasse et immodice congesta! Quot inter se pugnantia! Quam multa vacanter et inaniter accumulata! *Undique, in unius caput, pontum, undam, omnia maria, flammæ etiam vertat Auster*, tamen *rerum ruinas*, sublimis ab ardua aula mentis, *spectabit!* Quo sensu autem animi? *Non sine gaudio!* O vim incredibilem sapientiæ! Perge, mortalium sapientissime, Sarbievi; totam enim oportuit peccatore combibisse sapientiam, qui sic ejus constantiam depinxit: *Et subjiciens sua colla cælo late ruenti, mundum fulciet decoro vulnere.*

Scribendi recte sapere est et principium et fons...  
 Verbaque provisam rem non invita sequentur.  
 ..... Cui lecta potenter erit res,  
 Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

Ego addam, et qui prodigiosa excogitaverit, eadem prodigialiter efferet. Videsis Sarbievium: *Cælo colla subjiciens mundum fulciet.* Quid in ipsa sententia magis inauditum hac junctura: aliquid *vulnere fulcire?* Quo nomine hæc vocabuntur: *mundum fulciet* et insistet *sepulcrum telluris?* Ne autem credere liceat *mundum*, quem fulciit, pro *cælo* positum, adjecit *inter cæli fragmina.* Tum qui *vulnere* mundum fulciit (Talus, credo, aliquis, secus enim plus quam vulnus accepisset) *incolumis est, morientis ævi hæres;* et iterum *ab alto prospiciet* (mentis ab ardua sublimis aula spectabit) *quam magis magna sint quæ premit pedibus, quam quæ relinquet.* Quomodo *ab alto*, si *premit pedibus..?* Majora sunt quæ premit pedibus quam quæ relinquet: quæ autem *relinquet?* Illa ipsa quæ *premit pedibus.... Jam tum Olympi non dubius moriturus hospes:* aut me ratio fallit, aut *Olympus* hic profecto quid aliud est a *cælo.* Ego non capio, nec latius inquirō; tantum adverti velim duo illa: *incolumis morientis ævi hæres,* et *Olympi non dubius moriturus hospes* nimis similia esse pro loci vicinitate atque paritate. Deinde ibi *ævo*, id est mundo emorienti superstes est sapiens, ipse rerum ultima; hic moritur; at quomodo? *Nil interest an morbus* (quod credo, ex tam vasto funere) *an hosticus impellat ensis.* Ego non puta-

veram quemquam adhuc hostem in vita esse. Præterea nonne ipse miles, ipse sibi pugil, ipse ductor, cui munire imbellæ pectus necesse non fuit? Sed ipsam stropham adjiciamus.

Quo cum volentem fata reduxerint,  
 Nil interest, an morbus, an hosticus  
 Impellat ensis, quo supremum  
 Urget iter...

Illa jam clara sunt, nisi quod parvus adhuc nævus inest. *Cum fata illum volentem reduxerint in Olympum*, nil refert qua ratione *impellatur* (id est reducatur, qui jam reductus fuit) *quo supremum urget iter* (id est in Olympum, quo illum fata modo reduxerant). Fateri cogor mirificum esse poetam Sarbievium, præsertim in hac oda, cui unum hoc maceror deesse, quod in sequentibus ultimis strophis volatum aliquantis demiserit, et se cerni patiatur atque intelligi.

.....Semel advehemur  
 Quam navigamus semper in insulam;  
 Seu lata magnis stravimus æquora  
 Reges carinis, seu quirites  
 Exigua vehimur phaselo.  
 Illo beatum margine me meus  
 Exponat asser. Cur ego sistere  
 Æterno reformidem quietus  
 Littore, si peritura linquam?

Hæc omnem cavillationem prohibent; hæc probo, finem etiam laudo. Est enim mundus, venustus, limatus, pressus et suaviter numerosus: cor, nescio quomodo, demulcens. Qualia utinam multa haberet! At longe abest: pleraque, etiam quæ bona per se erant, corrumpit; ubi vero, tanquam casu aliquo, culpam vitavit, laudem non meruit.

ODE 5. 1. 3.

Mœrorem animi colloquiis et coetibus amicorum temperandum esse.

Si quæ juvabit dicere saucium  
 Permite, Publi, compositam male

Loqui cicatricem, et latentes

Parce animo sepelire curas.

Hic iterum iudicium Sarbievii requiro. Præterquam enim quod imperite a translatis ad propria pergat dum *cicatricem loquentem* facit, non video quid cicatrici *male compositæ* ex loquendo solatii accidere possit. Hæc comparatio :

Secura ferri robora sæpius  
 Occultus ignis subruit : et super  
 Minora sylvarum caducum  
 Traxit onus, nemorumque famam  
 Stravit virentem; quam tonitru levi  
 Quondam favilla lambere gestiit  
 Impune. Te longus silendi  
 Edit amor facilesque luctus  
 Hausit medullas.

Hæc comparatio undequaque peccat, non quia pulchra esse non posset, sed quia eam Sarbievius nimis suo modo concinnavit. Quid eum impulit isthæc addere : *super minora sylvarum caducum onus traxit*, etc. Quæ in comparationem non veniunt? intra duos primos versus stetisset, omnia se bene haberent. Nunc ne sermo quidem sincerus est : *ignis traxit ; virens fama nemorum*. Quorum prius negligentia est, alterum ambitiosæ imperitiæ. Tenebatur, quod Galli aiunt, mania figurarum (la manie des figures) et dum illas aucupatur, *nemorum famam* arripuit ut alii *frondis honorem* dixere, quasi ea duo vocabula synonyma sint. Nec satis illa insolentia credidit nisi addidisset *virentem*. Præterea, *tonitru famam illam virentem nemorum quondam leni favilla impune lambere gestiit*, satis mihi mirum videtur. Minime vulgaris est ista imago tonitruï aut favillæ lambentis, nam, quod Virgilius dixit, *lambere flamma comas ; lambit sidera* longe dispar est, flamma enim quæ sese in modum linguæ subjicit lambere videtur quæ contingit. Leni favilla impune lambere gestiit, pro eo quod Virg. *tactuque innoxia molli* satis scite immutatum est, si *impune* veteribus idem significavit quod *innoxie*, quod sententia requirit; nam tonitru, reor, quidquid agit, impune agit. Insuper occultus ignis et tonitru (de quo tacuisse oportebat) eadem esse non possunt.

.....Te longus silendi  
 Edit amor, facilesque luctus  
 Hausit medullas.

Quem hic silendi amorem vocat, non ille est de quo dici possit eum edere aut consumere aliquem, quemadmodum de amore Didonis : *est mollis flamma medullas*. Cætera, joculari carmine quam serio digniora, parum inter se differunt :

.....Fugerit ocyus  
 Simul negantem visere jusseris  
 Aureis amicorum, et loquacem  
 Questibus evacuaris iram.  
 Olim querendo desinimus queri,  
 Ipsaque fletu lacryma pellitur,  
 Nec fortis æque si per omnes  
 Cura volat, residetque ramos.  
 Vires amicis perdit in auribus,  
 Minorque semper dividitur dolor  
 Per multa permissus vagari  
 Pectora, nec rediisse quondam  
 Pulsus superbit.

Ecce tibi duodecim versus qui omnes unam et eandem rem significant. Quod magnam fœcunditatem arguit, saltem verborum. In eo numero quinque aut sex frigidissimi sunt, qui neminem fugerint. Quare pro longiore reprehensione libri IV, odam XIII subnectam, quamvis non meliorem :

Si, quæ flet mala, lugubres  
 Auferrent oculi, Sidoniis ego  
 Mercarer bene lacrymas  
 Gemmis, aut teretum merce monilium.  
 At, seu rore seges viret,  
 Sic crescunt riguis tristia fletibus.  
 Urget lacryma lacrymam;  
 Fœcundusque sui se numerat dolor.

Quem fortuna semel virum  
Udo degenerem lumine viderit,  
Illum sæpe ferit; mala  
Terrentur tacito fata silentio.  
Ne te, ne tua fleveris  
Quæ tu, care, vocas, Pausilipi, mala,  
Quam pellunt lacrymæ foveant  
Sortem : dura negant cedere mollibus  
Siccas si viderit genas  
Duræ cedet hebes sors patientiæ.

Apte tamen concludit.

..... Vise sodalium  
Cœtus : et udis sic temere jace  
Infusus herbarum lacertis  
Ad patrii leve murmur Hallæ.

ODE 20. l. 1.

Non absimile hujus odæ argumentum, saltem exordium, illis, quæ canit Horat. l. III. 2. Hic suo more breviter, atque ab ipso initio, quid dicturus sit, proponit :

Angustam, Amici, pauperiem pati  
Robustus acri militia puer  
Condiscat, et Parthos, feroces  
Vexet eques metuendus hasta.

Illa Sarbievius, quamquam proprie ad argumentum non pertinentia, suo etiam more latius explicat.

Pulchro, Quirites, sanguine gaudeat,  
Impubis ætas, et strepitum et minas  
Jam nunc et audaces tumultus  
De tenero meditetur ungui :  
Visoque primum sanguine gestiat  
Inter cadentum signa,.....



Uterque eximie, ita tamen, ut malim simplex esse et brevis, sicut Horatius.

Vitamque sub dio et trepidis agat

In rebus.....

Quam multa paucis verbis, et qua energia! sed in Sarbievio, quam plura illa, quæ habet, lectis verbis exprimuntur!

..... Neque eligat

Quo lassa post pugnam reclinet

Membra toro, solidisque somnum

Commendet armis, aut clypeo super

Effusus, aut se cespitis explicet

Per summa, non parcus juventæ,

Et decorum pretiosus emptor.

Quidquid est in Sarbievio expressum, in Horatio subauditum facile suppletur; nihil deest in hoc, in illo abundat etiam aliquid. In Horatio omnia castigatissima sunt, in Sarbievio etiam negligentia mendum deprehendas. Non facile dixerim an consulto, id est, an non vitiose ad masculinum genus a feminino transtulerit orationem: *impubis ætas Clypeo super effusus, non parcus juventæ, et decorum pretiosus emptor*? si, quæ afferri possunt exempla hic quadrant, mirum tamen videbitur: *impubis ætas non parca juventæ*, etc. Præterea idem semper est numerus et per totam odam nequaquam satis incisus.

Nescio quanta vis inest in hoc lyrici Romani pugnacissimo, ut sic dicam, versu:

.....Et Parthos feroces

Vexet eques metuendus hasta.

Sed grandior Poloni dictio et sonantior; perite autem non idem expressit, sed aliud simile quæsit in laudibus Scanderbergi et Ladislai, quod minime frequens apud ipsum:

Hoc septus olim milite Bistonum

Vallata saxo diruit oppida

Regnator Eperi, et timendus

Parrhasiæ moderator oræ.

In sequentibus cum Horatio non amplius est componendus. Magnificentia illa verborum et pompa dictionis collata sententiarum tum suavissimæ elegantiæ, tum majestati atque sublimitati, id experiri solet, quod illita fucio facies naturali opposita venustati. Quo sensu animi illa leguntur?.....

..... Illum ex mœnibus hosticis  
 Matrôna bellantis tyranni  
 Prospiciens, et adulta virgo  
 Suspiret.....!!!

Et hæc tam sublimia:

Dulce et decorum est pro patria mori.....  
 Virtus repulsæ nescia sordidæ.....  
 Virtus recludens immeritis mori  
 Cœlum.....!!

Et hæc tam gravia, tam sancta, quæ odam absolvunt:

Raro antecedentem scelestum  
 Deseruit pede pœna claudio!

Falleretur qui crederet reliqua Sarbievii, post illa quæ transcripsi, pulcherrima non esse; sunt omnino. A prima adolescentia, ut vidimus, assumit futurum heroëm, eumque assuefacit omnibus belli laboribus; inde pergit ad Ladislai laudes, et populos Hesperiae ad nova prælia atque vindictam acriter hortatur; in fine odæ jam videt mare tectum navibus et profugam turcarum classem. Hæc magna sunt, et lucido ordine disposita; omnia multa arte variata; dictio rebus ubique fere conveniens. Vellem paulo parcius Horatii versus inseruisset suis, tum quia hoc ipsum semper displicet, tum præcipue propter styli differentiam. Sed aliorum quoque tam multa habet, ut si quis hanc sibi operam recipiat, vix dubitem quin omnem vesuum proprie Sarbievianorum summam ad unciam redigat. Præterea istud genus imitationis in errorem nonnunquam hominem induxit V. G. hoc loco:

Heu quantus armis, quantus adest equis  
 Quantusque sudor depopulantibus  
 Pangæa Dacis, cum refusi  
 Ferrea diluvies Gradivi  
 Tumultuosi turbine prælii  
 Concussit Æmum.....

Ubi, ne plane Horatium describeret, *armis* adjecit; inconsiderate, qui post tantum de equis et viris dixerit. Tum quid est *sudor armorum*? Nonne et tempora male confidit, præsens cum præterito? quantus sudor *adest* cum..... *Concussit*: cum *patefecit*. Atque illa quidem quia imitari voluit; sequentia autem ipsius sunt, ipsius solius:

Jam profugæ retro—  
 —cedunt tyrannorum phalanges  
 Pœne metu glaciante pontum.

Quo ultimo teterrimo versu præstantissima quævis oda deformari possit.

Sed aliud quoque latet vitium paulo turpius. Sarbievium legens juvenis fremit, calescit, ira, furore, amore vindictæ impellitur ad immanitatem, ad insaniam; bella, sanguinem, cædes requirit, non fortis, sed ferus et atrox. Horatii ode severior est, et sententiis gravissimis mire distincta; Laboriosam et sanctam vitam commendat. Nemo juvenis ab hujus odæ lectione non melior discedet. Non modo amabilem reddit frugi vitam, fidem et virtutem, sed ad eam rapit et pertrahit juveniles animos, quos amore patriæ et gloriæ atque admiratione erga ipsam virtutem accendit, et e diverso monstrat quæ mala, quæ opprobria, quæ pœnæ mollem, timidum, loquacem scelestum hominem maneant. Horatius ad prudentem hortatur virtutem, verum heroëm informat, commiserationis etiam affectum admiscet in mediis cædibus, non clamat puero ut *minas et audaces tumultus de tenero meditetur ungui*; multo minus ut *viso primum sanguine gestiat inter cadentum signa*. Quod esset illud monstrum hominis? Plura voluit dicere Polonus, et imprudens dixit nimia, ne quid ego gravius dicam. Sed et quia virtutem ut basin non assumpsit; quia extra naturam est, non diu incendit etiam hæc minime intelligentes; intelligentes vero indignantur. In Horatio omnia veræ solidæque

virtuti superstruntur, eoque legentes ejus alis subnixi rapimur ubi propria fruimur magnitudine, quieti et omni tumultu vacui.

Sed jam tempus est ut, examinatis quæ huc maxime faciebant, ad conclusionem deveniam. Sit itaque hoc meum de Horatio et Sarbievio judicium: Horatius summam perfectionem, quantum homini fas est, attigit. Ast Sarbievium, si particulatim eum examinemus, et videamus quid in partibus quibusdam præstiterit, negare quidem non possumus multi fuisse virum et facillimi ingenii, sed qui nimium imaginationi indulgeret; multa habet, quæ si iterum sigillatim æstimentur, et si non ex more Horatii, Horatio tamen non indigna videantur; vel minimæ etiam partes ornatissimæ sunt; sed quam luxuriam in singulis aliquando laudamus, ea per omnia ex æquo diffusa improbanda est. Tandem uno verbo, multas habet virtutes, plura vitia. Erit ergo ad Horatium, quo loco est apud Gallos Pompignanus, aut Hudartius ad Russæum, si ingenium spectamus. Nam si de dictione agitur, nihil audeo statuere, nisi non posse cum Horatio conferri. Nil et de numeris recentiores dicemus; si vetus illud meminimus:

Non quivis videt immodulata poemata iudex.

# CORNELII STAR NUMAN,

PH. THEOR. ET LIT. HUM. IN ACADEM. RHENO-TRAJECT. STUD.,

## COMMENTATIO LITERARIA,

DE LATINA RECENTIORUM POESI, ET DE HORATIO ATQUE  
SARBIEVIO, INTER SE COMPARATIS,

PRÆMIO ORNATA DIE VII OCTOB. MDCCCXXIII.

### PROPOSITAM :

- « *Quum inter recentiores poëtas Latinos vel insigniter olim sive arte sive*  
» *dictione sive utraque celebrati, nunc vulgo ab indoctis juxta doctisque*  
» *negligantur et contemnantur; quumque inter Lyricos ita emineat Sar-*  
» *bievius, ut critici Horatium ab eo æquatam lyrica poësi, nonnulli supè-*  
» *raturum censuerint; postulatur commentatio, in qua, præmissa de neglectæ*  
» *neolatinae poësis causis, deque ejus sive justo sive immerito contentu,*  
» *disputatione, in altera parte, quatenus Sarbievius Horatium dictione et*  
» *poëtica facultate vel æquaverit vel superaverit, instituta et universe, et*  
» *carminum aliquot comparatione, dijudicetur.* »

« Wie niemmer glorie poogt te winnen ,  
« Maakt zich de glorie nimmer waard. »

TOLLENS.

PARS PRIMA.

« Errare illos censendum est, qui solis antiquis contenti nihil in recentioribus admirantur, aut laudant, sed eos vel penitus negligentes, aut levius curantes unice veteres venerantur ac suspiciunt, in sui autem vel paullo remotioris ævi poëtis fastidiose rejectis et posthabitis, hospites sint ac peregrini. »

BURMANNUS *secundus*.



# CONSPECTUS OPUSCULI.

---

PREFATIO..... 7

---

.....

## PARS PRIMA.

QUA DE NEGLECTÆ NEOLATINÆ POESEOS CAUSIS AGITUR, DEQUE EJUS JUSTO  
SIVE IMMERITO CONTEMPTU.

---

### CAPUT PRIMUM.

DE MODO DISPUTATIONIS AGITUR, DE POESI, ET DE IIS, QUÆ IN VERO POETA  
IMPRIMIS LATINO REQUIRUNTUR..... 9

### CAPUT SECUNDUM.

COMPARATIO INTER VETERIS ET RECENTIORIS LATII POETAS.

§. 1.	<i>De Carmine Epico</i> .....	13
§. 2.	<i>De Carmine Lyrico</i> .....	17
§. 3.	<i>De Poësi Dramatica</i> .....	19
§. 4.	<i>De Poësi Didactica</i> .....	24
§. 5.	<i>De Carmine Bucolico</i> .....	30
§. 6.	<i>De Satyra</i> .....	34
§. 7.	<i>De Epigrammate</i> .....	36
§. 8.	<i>De Carmine Elegiaco</i> .....	43



## PRÆFATIO.

---

NON eram nescius, iudices clarissimi! cum primum ad solvendam quæstionem ab ordine philosophorum in Academia Leodiensi propositam me accingerem, fore, ut hic noster labor, si ad multorum perveniret notitiam, in varias incurreret reprehensiones. Quibusdam enim, neque iis indoctis, tota hæc displicet recentiorum latina poësis. Alii tam multam operam in hocce studio collocandam esse non arbitrantur. Equidem vero in studiis meis non istam inivi viam, ut, spretis iis, quæ recentior ætas protulit, ingenii monumentis, antiquos unice adorarem; verum ita semper literis operam dedi, ut pro tenui mea ingenii facultate imprimis in veterum disciplinam incumberem, nec recentiores negligerem tamen. Quo factum est, ut cum subiude in poëtam aliquem recentioris Latii inciderem, cujus et elegans dictio me caperet et poëtica facultas, et sæpenumero animum meum subiret cogitatio, quænam tandem causa esset, cur talis tantusque poëta non in vulgus esset notus? et inique obtrectatorum recentioris latinæ poëseos iudicium ferrem, tum vero mirifice delectarer videndo, in patria mea quæ tam multis tantisque floruerat latinis poëtis, in hac eadem igitur celeberrimos etiam exstitisse viros, qui poëtas hosce acriter contra præjudicatam aliorum opinionem defenderent. Nota enim sunt Schrivellii, Brouklusii, Burmannorum, aliorumque conamina, ut ad illud studium juventutem excitarent patriam. Nostra etiam ætate doctissimi viri, cum novis editionibus neolatinorum poëtarum curandis, tum poëticis eorum virtutibus indagandis, exserendis, declarandis, studium hocce ipsis cordi esse, egregie ostenderunt. Quid multa? in florentissima nostræ patriæ Acadennia, Philosophorum Ordo quæs-

tionem proposuit, quam solvere conati sumus, qua manifesto patet, principes etiam viros multam in hocce studio operam collocandam esse censere, quibus igitur si noster probabitur labor, cum multis aliis placebit, tum facile ceterorum applausu carebimus.

Tantum autem abest, ut rite huic quæstioni nos respondiisse putarem, ut vehementer potius vereamur, ne vos iudices clarissimi! bona, quæ in hocce libro occurrant, vitiis longe superata esse censeatis. Quam ob rem unice, quæso, nostram attendatis voluntatem, qua simul et exercitationis causa ad scribendum animum adplicuimus, et ut vobis significarem, nonnullos etiam e patria juventute recentiorum latinam poësin valde commendandam ducere, cum propter egregia poëseos monumenta, tum propter utilitatem, quæ ejus studio ad antiquos melius intelligendos possit redundare.

Ceterum nihil de operis consilio monendum hic habemus, de quo infra agemus: illud unice animadvertentes, nos primum de neolatinae poëses præstantia, deinde de neglectus ejus causis, acturos esse, et imprimis in nostra de hoc argumento scriptione magis exemplis quam verbis disputandum esse censuisse.

---

## CAPUT I.

RATIO INDICATUR QUA DE JUSTO SIVE INJUSTO NEOLATINÆ POESEOS CONTEMPTU  
DISPUTABITUR, DE POESI, DEQUE IIS, QUÆ IN VERO POËTA, IN PRIMIS LATINO,  
REQUIRUNTUR.

IN hacce materia pertractanda, quamvis fortasse nobilissimus literarum ordo nos longiores fuisse quam opus esset, judicaturus sit, hanc inibimus rationem, ut singula poëseos genera enumerantes, quid in iis antiqui, quid recentiores poëtæ Latini præstiterint, quam brevissime poterimus, indicemus. Cum autem neolatinorum poëmata paucorum in manibus versentur, non inanem nos operam navaturos esse duximus, si in uno saltem poëseos genere (quoniam in omnibus hoc facere neque tempus, neque doctrinæ nostræ tenuitas sinebat) elaboratam magis recentiorum cum antiquis institueremus comparationem; quam ob rem carmen elegimus Elegiacum, quoniam in hoc maxime cum recentiorum tum veterum etiam Latinorum poëtarum nobis visa est præstantia. Interdum etiam quædam recentiorum elegantissima carmina, ommissa comparatione, apponere juvabit, cum hoc ad hujus illiusve poëtæ excellentiam magis declarandam requiri videatur. Denique quædam disputabimus de utilitate a diligenti recentiorum lectione veterum poëtarum interpretationi afferenda; hæc omnia sufficere arbitantes ad eorum opinionem refellendam, qui neolatinorum poëmata contemnenda, parvi saltem æstimanda ducant.

Placet autem, quoniam omnis nostra disputatio de poësi et de poëtis futura est, ante definire quid sit poësis, et quænam res in vero poëta, imprimis Latino, requirantur. Quod ad illud attinet valde dissentientes video eruditos, quotquot de arte poëtica egerunt. Posidonio apud Laërtium, *ποίησις ἴστι σημαντικὸν ποίημα μέμησις περιέχον θείων καὶ ἀνθρώπων* (1). Diomedis poëtice est fictæ veræve narrationis, congruenti rythmo vel pede composita metrica structura, ad uti-

---

(1) L. 7. segm. 60.

litatem voluptatemque accommodata. Verum neutra mihi definitio placet, nam ita quisque secundum Diomedis definitionem poëta foret, modo pedestres res utiles nec injucundas versibus complecteretur (1).

Omissis autem Trappii, Baconis Verulamii, Scaligeri, Riedelii aliorumque sententiis, quarum pleræque a Cl. Bosschio recensentur, videamus quomodo ipse vir præclarus poësin definiat: » Poësis, inquit ille, est ea ingeniosa hominum » facultas, quæ congruente rythmo, sublimibus verbis et ideis naturam tam egregie » imitatur, ut ingenium nostrum mirifice acuat et sensus nostros jucunde afficiat ». Quæ definitio ut ab eximio hujus rei arbitro profecta valde mihi placet, quamvis fortasse quispiam cum Marmontelio roget (2): » Quid si pulcherrimæ Euripidis et Sophoclis scenæ, si loca sublimia Homeri, Miltonis, nunquam nisi » prosa oratione scripta fuissent, quis tamen affirmaret ea non esse *carmina*, » tantos viros qui tam bene depinxerunt non esse *poëtas*, et opus istiusmodi » pulcherrimis locis abundans non esse *poëma*? (3).

Definita igitur poësi, paucis de iis videamus quæ in vero poëta requiruntur.

Exstat sexcenties repetitum et a multis disputatum proverbium: *poëta nascitur, non fit*; quod mihi tamen, rite intellectum, verissimum videtur. Sensus scilicet est: potest quidem obesæ naris homo multam literis operam navans, doctus fieri; non vero quis, invita Minerva natus, multum de arte poëtica legens, poëta. Nisi enim sentiat afflatum illum divinum, nisi deus insit illi, quo agitante

(1) L. 3. Cf. imprimis Vossius de artis poëticæ natura ac constitutione, p. 13 et 14 oper. Tom. III et Cl. Hieronymi Bosschii dissertatio præmio ornata de regulis poëseos, edita in oper. Societ. Teyler. Or. 2. A<sup>o</sup>. 1783. p. 2.

(2) Poétique Française, tom. I. p. 52.

(3) A Marmontelio toto cælo dissentit Vossius l. l. p. 10. b. qui ita loquitur: « Ilias quidem » et Æneïs, si metrum solvas, amisso poëmatis nomine, fiunt historiæ fabulares, uti Achilles » Tatius, et similes. Itidem veterum tragediæ et comædiæ, si in prosam commutentur dramata » prosaïca dici debent, poëmata non erunt; cujus causa est quia metrum est de *ovria* poëseos. Et recte hoc Vossius statuere mihi videtur; omnium etiam populorum, si Hebræos exceperis, antiquissima monumenta poëtica hoc affirmant. Cæterum poësis mihi videtur aliquid quod melius sentiri quam definiri potest.

caleseat, omnia ejus conamina irrita erunt. In ceteris fere omnibus artibus et scientiis, etiamsi nullum ferme natura tibi concesserit ingenium, plurimum valet exercitatio, quæ in poësi, nisi ingenium tibi sit poëticum, nihil valebit. Dictu vero incredibile est, quantopere ei, qui poëta natus est, proderit exercitatio (1). Debet autem esse *quotidiana* fere, ut non solum linguæ, qua canere velit, peritissimus evadat, verum etiam si fieri possit cultissimorum populorum linguas ita teneat, ut poëtas qui tali lingua scripserunt, facile possit intelligere. Haud mediocriter etiam versatus esse debet in philosophia et omnino in iis rebus, quæ politissimum quemque maxime decet. Utraque pagina apud antiquos poëtas occurrunt testimonia, quam probe historiam, geographiam, astronomiam et mythologiam tenuerint. Præ ceteris autem naturam et veteres poëtas imitari debet. De illa pulchre cecinit Popius (2) :

« First follow Nature and your judgment frame  
 « Bij her just standard which is still the same;  
 « Unerring Nature, still divinely bright  
 « One clear, unchang'd and universal light,  
 « Life, force and beauty must to all impart,  
 « At once the source and end and test of art. »

Ad naturæ imitationem referenda imprimis est humanæ naturæ cognitio, hac enim si caret poëta, varios hominum affectus pingere nequit. Ita quoque Horatius (3) :

(1) Egregie Vondelius, *Aanleiding tot de Dichtkunst* : de natuur baart den dichter, doch de kunst voedt hem op. Cf. van Engelen in de werken van de Maatschappy van Nederlandsche Letterkunde Tom. IV. Attendenda quoque sunt verba Joannis de Kruyff, in vita Arnoldi Hoogyliet, in opere : *Leven der Nederlandsche Dichters en Dichteressen* etc. : « Niet de natuur alleen, maar natuur en oeffening beide vormen den dichter, en nergens zal men gebreken aantreffen, dan waar de eene in hare gaven, of de andere in hare pligten is te kort gestochten. » Præclare omnino hac de re disputat, uti etiam de veterum imitatione, celeberrimus poëta Spandaw in Præfat. *Carm. Groningæ* 1809, qui hos locos citat.

(2) *Essay on Criticism* vs. 68 sq.

(3) *Epist. ad Pisones*. vs. 317 sq.

« Respicere exemplar vitæ morumque jubebo

« Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces. »

Ad hos autem bene imitandos unice valet diligens eorum lectio, si non ipsa eorum lingua, tum saltem optimis interpretationibus. Quantopere enim veterum studium ad excolendum poëtam valeat, cum innumera aliorum exempla docuerunt, tum imprimis Vondelius testis est, quippe qui, tradente Cl. Bosschio, bonum nullum carmen condiderit, nisi posquam Virgilium legerat, qui ardorem poëticum, cujus scintillæ in ejus animo latuerant, ita incendit, ut Vondelius is factus sit, cui equidem comparo paucos, antepono neminem. Ipsi quoque Romani hujusce rei veritatis probe conscii, constanter Græcos imitabantur, apud quos veræ poëseos et elegantix fontes esse scirent. Unde etiam Horatius ita de iis cecinit (1):

« Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo

« Musa loqui, præter laudem nullius avaris. »

Idem Pisonibus auctor est, ut nunquam Græcorum scripta e manibus ponerent (2):

« . . . . . Vos exemplaria græca

« Nocturna versate manu, versate diurna. »

Quid? Quod poëtæ recentiores locupletissimi hujus rei testes mihi adsint? Horum enim optimi quique proxime ad veteres accesserunt. Ne de poëtis recentioris Latii dicam, inter Italos Dantius, Petrarcha, Boccacio, Tasso antiquarum linguarum peritissimi fuerunt; inter Franco-Gallos Molierius permulta e Terentio, et Plauto, quos nunquam fere de manibus ponebat, desumsit; Corneilius penitus se in antiquitatis indolem et mores insinuavit, Racinius plurima Euripidi debuit; multaque Voltarius in Henriade suo ex antiquis poëtis expressit. Quid de Boilavio, Harpio et Delilio dicam? Quid de Miltono, Drydeno et Popio, quorum felicissimus uterque Homeri et Virgilio interpretis fuit? Ut Klopstockium,

---

(1) Ep. ad Pisones. vs. 323 sq.

(2) L. l. vs. 268 sq.



Schillerum, Wielandum, imprimis Vossium et Stolbergum mittamus, qui omnes ad intimam veterum medullam penetrarunt, nostrates poëtæ satis superque ostenderunt hanc esse regiam viam, quam quisque inire deberet. Hoostium enim et Catsium, Hugenum et Barlaeum, Vondelium et Antoniden nominasse hic sufficeret, nisi superessent hujus rei splendida documenta in poëtis, quibus hodie gloriatur patria nostra, quorum Bilderdykium, Kinkerum, Spandavium, Hallium, Wiselium et Simonsium hic honoris causa nomino.

Primum igitur omnium verus poëta debet esse præditus sensu sublimi, ingenio (nostratum *génie*), et *φαιρασίη*. Hæc omnia quotidiana exercitatione, diligenti naturæ et veterum studio acuenda sunt. Poëta autem recentior, qui Latinas Musas colere velit, ita utraque lingua callere, et scriptores, qui in iis libros memoriæ reliquerunt, intelligere debet, ut quod ad hoc attinet, eum Romæ natum ibique ingenuis artibus nutritum jurares. Nihil tamen opus est ut gentis suæ mores respuat, modo eos ita depingat, ut verosimiliter depicturus fuisset antiquus poëta, si illos cognovisset.

Prosodiam denique tenere debet, et imprimis tanquam doctus imitator scire debet, quosnam et quibusnam in carminum generibus eos imitetur (1).

## C A P. II.

### COMPARATIO INTER VETERIS ET RECENTIORIS LATII POETAS.

Cum, uti supra vidimus, singulis carminum generibus recensitis, inter veteres et recentiores poëtas latinos, comparisonem simul instituturi, videamus

#### §. 1. De carmine Epico.

Primus procul dubio apud Romanos hac in re exstitit Virgilius, quippe cui nemo eorum, qui ante vel post eum ad idem opus se accinxerunt neque quod

(1) Cf. omnino Cl. Simons in Orat. *over den waren dichter* in supplem. annal. Rheno-Trajectin. 1815-1816. et Cl. Peerlkampius initio ejus dissert. præmio ornatae, cui titulus: *Vita Belgarum, qui latina carmina scripserunt.*

ad poëticam dictionem, neque quod ad totius carminis consilium attinet, comparari possit. Nam ne Ennium et alios priscos excitemus, Lucanus, Silius Italicus, Statius et Valerius Flaccus, quamvis pulcherrimi loci apud eos passim inveniantur, nimiam tamen eruditionem sapiunt, nimis se intra historiæ limites continent, nimis Alexandrinos poëtas imitantur, nimium denique alieno non suo igne calescunt, quam ut ad epicorum vel præclarorum omnino poëtarum nomen aspirare posse videantur. Hoc igitur genus, quod Romanorum haud pauci attigerunt, intactum fere reliquerunt recentiores, vel certe parum iis successit. Præmarium locum obtinet *Sannazarius*, qui carmen epicum pepigit *de partu virginis*; quo carmine tantam adeptus est poëta gloriam, quantam recentiorum nemo. Me tamen hoc opus legentem sapius cogitatio subiit, quænam tandem causa esset, cur homines id summis laudibus efferrent; cogitantique hac de re visum est, non mediocrem ejus gloriam deberi argumento, quia inter primos fuit Sannazarius, qui christianum argumentum versibus complecteretur. Equidem non nego Sannazarium fuisse magnum poëtam cum in eclogis et elegiis, tum etiam in hoc carmine; verum si aperte sententiam proferam, neque argumentum mihi carmini epico aptum videtur, neque ubivis dictio carminis epici majestati accommodata. Sed ne ex tripode tiro hoc dixisse videar, liceat mihi illud uno alterove exemplo illustrare.

Libro I. vs. 155 sq. postquam Dei minister sanctæ Mariæ dixerat eam esse parituram

« Verendum

» Cœlitibus Numen, sperataque gaudia terris »

illa ita respondet :

- » Conceptus ne mihi tandem, partusque futuros
- » Sancte refers? mene attactus perferre viriles
- » Posse putas? cui vel nitenti matris ab alvo
- » Protinus inconcussum et ineluctabile votum
- » Virginitas fuit una, nec est cur solvere amatae
- « Jura pudicitiae cupiam, aut hæc fœdera rumpam. »

Quamvis fortasse inique plane de hoc loco statuerim, mihi hoc sanctæ Mariæ res-

ponsum minime placet , mihi que potius siluisse ; quam ita loquam esse videtur.  
Nonnulla quoque eorum , quæ sequuntur , offendere videntur :

- » Imo istas , quod tu minime jam rere , per aureis
- » Excipit interpres , fœcundum spiritus alvum
- » Influet , implebitque potenti viscera partu ,
- » Flammifero veniens cœlo atque micantibus astris
- » At tu Virgineum mirata tumescere ventrem
- » Hærebis pavitans : demum formidine pulsa
- » Gaudia servati capies inopina pudoris.
- » Neve hæc vana putes dictis aut territa nostris ,
- » Indubites : seræ dudum concessa senectæ
- » Dona oculos pono ante tuos. Nam sanguine avito
- » Juncta tibi mulier ( sterilis licet illa , gravique
- » Pressa ævo ) haudquaquam speratum hoc tempore pignus
- » Fert utero , et felix sexto sub mense laborat.
- » Usque adeo magno nil non superabile cœlo est. »

Cæterum non hæc dicta sint in Sannazarii contumeliam ; vellem modo talia in opere viginti annorum cura perpolito evitasset (1).

Post Sannazarium Hieronymus Vida argumentum procul dubio ad epicum carmen longe aptissimum tractavit , *Christiada* , V Libris ; quod tamen opus non magna laude mihi dignum videtur. Exigua inest Vidæ stylo æqualitas , inde orta quod Virgilium simul , Lucretium et Catullum sibi imitandos proposuerit. Et quod in Sannazario reprehendunt , eum tot Virgilio versus in suum opus transtulisse , idem quoque de Vida affirmare licet. Sæpe etiam in comparationibus modum excedit , præsertim ubi Christum comparat flumini Pado , omnes cæteros Lom-

(1) Vid. de Sannazario Baillet , *Jugemens des Savans* , tom. 4. part. I. pag. 124-134 et Morhovius , *Polyhist. Litt.* I. 7. 3 , 3.

Duo hæc maxime in Sannazario reprehendi solent : 1º. eum in argumento ex religione christiana desumpto , versantem ubivis res et personas ex antiqua Mythologia desumsisse. — 2º. eum usque adeo Virgilio admiratione fuisse abreptum , ut plurimos hujus poëtæ versus in poëma transtulerit suum.

bardiae fluvios in alvum suum recipienti. Multa quoque, iudice Scaligero, in carmen induxit suum a simplicitate religionis Christianae plane aliena. — Neque carminis dispositio talis est, qualis a vero poeta epico jure exspectatur.

Cecinit idem Bombycem et Scachorum ludos, quos ad didacticum genus referimus, de quo infra dicendi locus erit.

Fracastorius, senex jam, Epicum carmen inchoavit, *Josephum*; cujus duo tantum libros ad finem perduxit, quos tamen tanquam Fracastorio indignos recte viri docti condemnant (1). Neque Fracastorio felicius eandem rem adgressus est Jordensius, Daventriensis (2), cujus ingenium magis ad elegiacum, quam ad epicum genus aptum fuit. Tertius autem, qui *Josephum* carmine epico celebrare voluit, Elias Corsinus, Phœbo non probante, ad carmen scribendum se contulit.

Quamvis igitur in carmine Epico nihil valde laudabile praestiterint recentiores, multi tamen *Heroica* scripserunt, quorum pleraque magni facienda esse existimem. Imprimis autem Wallius, Heinsii, Grotius et Francius hoc in genere summam merentur laudem. Ceteris autem omnibus, dicam enim quod sentiam, praestare mihi videtur Francius, praeclearo quod in Ruteri mortem cecinit carmine, et recte mihi Cl. Peerlkampius animadvertere videtur: » Equidem credo » occasionem et voluntatem plures neolatinos poetas carmen Epicum scri-

(1) V. Rapius Réflexions sur la poésie en général. Réflex. 14. Cf. Baillet l. l. p. 220.

(2) De Jordensio v. Cl. Peerlkampius l. l. p. 507, qui *Josephum* hujus poetae laudat. Equidem assentior plane Hoeufftio, in Parnass. Lat. Belgic. p. 229, de Jordensio ita canenti:

« Quum canit herôo tua carmice musa Josephum  
 « Cœpta Fracastoriae non iteranda manus,  
 « Vix mihi, Jordensi, Jordensius esse videris,  
 « Gallia quo tantum vate superba fuit.  
 « Sic quoque Messalæ laudi fuit Albius impar  
 « Albius, ille operis fama, Elegia, tui.  
 « Naturæ usque adeo scrutari semina multum est,  
 « Naturæque sequi semina quemque suæ!

» bendi destituisse quam vires. — Quid enim Francio, si voluisset, defuisse  
 » putemus, quin Ruteriaden scripserit? Nam in hoc quidem carmine, numeri,  
 » dictiones, summa compositionis cura, quæ tamen nusquam ingenii impetum  
 » retardat, verbo, omnia sunt adeo Virgiliana, ut optimi recentiores Heroici  
 » satis habeant, si Francium æquent » (1).

## §. 2. De Poësi Lyrica.

Auctore Quintiliano (2), Lyricorum Romanorum solus fere dignus est qui legatur, Horatius. Qui recte hoc affirmasse videtur; nam præter Catullum et Statium nemo, qui aliqua gauderet nominis celebritate, lyrica carmina condidit. Cum autem de Horatio et Sarbievio infra multa disputaturi simus, de his fusius hoc loco dicere non opus est. Inter recentiores primarium locum Buchananano defert Morhoffius (3); ego non defero. Licet enim Buchananus egregiam psalmodiarum paraphrasin fecerit, et imprimis casta latinitate excelluerit, Sarbievius tamen longe sublimior est, et inventionis laude magis præstat. — Buchananano non cedit Wallius (4), qui egregius poëta lyricus habendus est, quique Horatii genus optime expressit. Quamvis fere altiora cecinit, tamen nonnunquam etiam suaviores animi affectus depinxit; cujus rei exstat præclarum documentum in carmine lyrico VIII. l. 3., quo carmine ante oculos habuit illam Horatii odam, quam Scaliger composuisse mallet, quam esse Arraconensis totius rex.

Wallius enim is erat, qui sive Heroica, sive Elegias, sive lyrica tentaret, in omnibus omnium unus excelleret. Sidronius Hosschius quoque, Wallii æqualis

(1) Mira et inaudita loquitur Paquot, tom. VI. Mémoir. pag. 54, Francii carmina nec castigata satis esse nec sublimia affirmans. Nemo, cui natura ingenium ad poëseos suavitatem et sublimitatem captandam proclivius dederit, ita de Francio judicaverit. Cf. Hoeufft. l. l. p. 191. et auctores Act. Lipsiens. A°. 1682. pag. 359 et A°. 1683. p. 542.

(2) Instit. orat. L. X. c. 1.

(3) Morhoff. l. l. Tom. 1, p. 1067.

(4) De Buchananano v. Baillet l. l. Tom. 4. part. 1. p. 301. sqq.; de Wallio idem l. Tom. 4. part. 2. p. 435 sqq., Hoeufft. L. L. p. 165 et Cl. Peerlkamp. p. 359 sqq.

et familiarissimus, quamquam sedatus magis quam Wallius, minime tamen a lyrica poësi alienus fuit. Ita de rege canit p. 132 Ed. Alost. 1822.

- « Non facit regem pavida tenendum
- « Dexterâ sceptrum, populique supplex
- « Vultus, et læta diadema raro
- « Fronte gerendum.
- « Ipse sum regnum mihi, turbidæque
- « Dissidens plebi, neque miror emtas
- « Cædibus lauros, neque fixa regum
- « Postibus arma.
- « Sic sui rex est sapiens, suumque
- « Possidet regnum, retinetque solus
- « Quod tuus frustra tibi, vel tuorum
- « Arroget ensis etc. »

Ante oculos habuit Hosschius Senecam et Sarbievium, quorum Seneca Thyest. p. 43. Ed. meæ ita canit :

- « Regem non faciunt opes,
- « Non vestis Tyræ color,
- « Non frontis nota regiæ,
- « Non auro nitidæ trabes.
- « Rex est, qui posuit metus
- « Et diri mala pectoris :
- « Quem non ambitio impotens
- « Et nunquam stabilis favor
- « Vulgi præcipitis movet etc. »

Quem ita imitatus est Sarbievius, Lyr. L. 4. Od. 3. 1717 sqq.

- « Armata regem non faciet cohors,
- « Non tincta vulgi purpura sanguine
- « Aut nobili stellatus auro
- « Frontis apex, teretique gemma.

« Rex est, profanos qui domuit metus,  
 « Qui cum stat unus, castra sibi facit,  
 « Casuque fortunamque pulcro  
 « Provocat assiduus duello. »

Verum universè in Hosschio reprehendi possit, eum in Lyricis nimis Horatium expressisse (1).

Porro lyricis carminibus magnam adepti sunt laudem *Baldus*, *Huetius*, qui mihi imprimis placuit, *Lavinus Torrentius*, alii. *Torrentius* inter eos habetur, qui optime Horatium secuti sunt, imprimis carmine suo *de partu Virginis*, eodem usus argumento quo *Sanazarius*. *Janus secundus*, decus illud *Batavæ* gentis, ut cætera omnia, quæ tentare solebat, ei succedebant, ita in Lyricis quoque dignum se sua gloria præstitit (2). Neque hic reticendi sunt *Daniel Heinsius*, *Broekhusius* et *Francius*, quorum prior ad imitationem maxime *Pindari* odas scripsit.

Atque ita præcipuos saltem recentioris Latii Lyricos recensuimus; de omnibus dicere infinitum sit. Sufficiat nostra disputatio ad probandum, recentiores in lyrico carmine jure quodam suo cum Romanis, id est, cum Horatio in arenam posse descendere. Horatio enim a viris doctis opponitur, a nonnullis adeo anteponitur *Sarbievius*; præter quem permulti adeo restant, qui felicissime hoc poëseos genus attigerunt.

### §. 3. Poësis Dramatica.

Quæ nobis supersunt Romanorum comicorum et tragicorum opera, ea non fidem faciunt dicto *Quintiliani* X, 1. « In comœdia maxime claudicamus. »

(1) V. C. in carmine *etiam in solitudine esse turbam* p. 134. compara quæ *Hosschius* canit vs. 5. sqq. cum *Horat.* Od. 3, 1, 37. et I, 22, 5 sqq. II, 6, 2, sqq.

(2) Equidem non ignoro multos exstitisse, quos v. apud *Bajiletum* Tom. 4. parte I. n° 1263; et nuper etiam *Cel. Bosscham*, qui *Janum Secundum* Lyricæ poësi minus aptum fuisse censerent, sed recte eos refutavit *Cl. Peerlkamp*. p. 42. qui, locis e *Secundo* allatis, abunde probavit eum æque fere lyricæ ac elegiacæ poësi aptum fuisse.

Nemo enim non Plauti et Terentii comœdias, Senecæ tragœdiis vel oratoriis potius exercitationibus præferet. Verum iidem si cogitemus, multa Accii et Pacuvii, gravitate sententiarum, verborum pondere, et auctoritate personarum clarissimorum, periisse, ætatemque nobis invidisse Varronis Thyestem, quam tragœdiam cuilibet Græcorum Romani comparare poterant, Ovidiique Medeam, quæ ostendere videbatur, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset (1): reputemusque Romanorum comœdiam, quamvis excellentem Plauti imprimis et Terentii opera, tamen semper mansisse Græcam, minus certe mirum illud nobis accidet Quintilianii iudicium. — Quod vero ad eas, quæ Senecæ nomine circumferuntur tragœdias attinet, etiam si optimas quasque ex iis selegeris, ita tamen sunt comparatæ, ut Romanis, multo magis Græcis, prorsus indignæ videantur; multæ earum non eo scriptæ videntur consilio, ut in theatro agerentur, verum ut dramaticis vel oratoriis exercitationibus inservirent (2).

Inter recentiores pauci tantum exstiterunt, qui tragœdias scriberent, nullusque ullius momenti exstitit comœdus. Parvi enim æstimanda videntur *Frischlini*, *Praschii* et *Masenii* opera. Optimus habetur *Schonaeus*, qui XVII comœdias sacras scripsit, Terentii Christiani nomine vulgatas, in quibus vis comica non desideratur (3).

(1) Ita de his tragœdiis iudicat Quintilianus, l. l. quem vide.

(2) Egregie, me quidem iudice, de Seneca egit Fuhrman Handbuch der klassischen Literatur Tom. III. p. 722 sqq., qui non negat pulcherrimas apud Senecam inveniri sententias, verum contendit eas nimium esse usurpatas, valdeque reprehendendum esse, quod totus interdum dialogus meris sententiis constet. Cf. Eichhorn l. l. p. 329, qui ita de Senecæ tragœdiis ait: « obgleich nach griechischen Mustern gebildet, sind sie dennoch fehlerhaft im Plan, in der Knüpfung und Lösung des Knotens, und arm in Handlung, aber dagegen desto reicher an Declamationen, in denen zwar kühne Gedanken und herrliche Sprüche, aber auch Betrachtungen, die man aus dem Munde der Redenden zu erwarten kein Recht hat, und daher viele Verletzungen des schicklichen Vorkommen. Seneca's Helden sind ins gesamt überspannte Wesen, in Tugend, und in La-tern, Fatalisten und Stoiker. »

(3) Cf. Morhoff. Polybist. vol. 1. p. 1069. De Frischlino et Maseno Cf. Baillet l. l. 1338 et 1493. De Schonaeo vid. Cl. Peerlkamp. p. 209 et Hœufft. p. 62.



Optimi Tragœdi habentur *Buchananus*, *Muretus*, *Grotius*, et *D. Heinsius*; (nam de omnibus dicere non attinet) quorum Heinsius etiam dissertatione sua *de tragœdiæ constitutione* ingentem apud viros doctos laudem meruit. Hos igitur cum fusius recensuri simus, ordiamur a Buchananano et Mureto, quorum hic Casarem, ille Jepthen et Baptisten, præter duas quas ex Euripide vertit, tragœdias scripsit.

Ut rite de Buchananano judicemus, attendenda videntur consilium, quod poëta habuit, et tragœdiæ ante eum conditio. Quare liceat mihi locum quemdam gallice proferre, e Bailletto depromptum (1): « Il n'avait point d'autre vue, en » y travaillant, que de satisfaire au devoir de sa profession, qui l'engageait à » donner tous les ans une pièce de collège, pour exercer ses écoliers à la dé- » clamation. *Et parce qu'il leur voulait ôter le goût des fades allégories*, » *qui étaient alors en usage dans la plupart des collèges de France*, il » tenta de leur inspirer celui de l'antiquité, et de les porter à l'imitation des » anciens par ce premier essai. » Prima hæc tragœdia fuit *Baptistes*; quam cum magnis laudibus a viris doctis offerri animadverteret, alias rursus magna cura elaboravit. Quodsi igitur cogitemus Buchananum primum fuisse, qui, ut homines ineptas allegorias mitterent, tragœdias ex imitatione antiquorum composuit, nonnullorum facile ei veniam damus vitiorum, quæ alii in eo reprehenderunt. Balzaccius, qui tragœdias aliorum explosit, ipse autem mala carmina condere solebat, cum inepta nomina personis in tragœdia *Jepthe* dedisse affirmat, et græca nomina, *Storgen*, *Synmachum*, in fabula Hebraïca usurpasse. Recte sane! sed si in majoribus rebus non peccavit, leviora hæc sunt, quam quæ multum attendantur. Majoris momenti videntur, quæ Gerh. Joann. Vossius, vir summus, *Instit. Poët. L. 2. p. 73*, tragœdiam natura sua eam magnitudinem exigere contendens, quæ æqualis sit spatio unius diei, vel paulo majori, ait: « Etiam parentum » ævo in *Jepthe* suo peccavit Buchananus, cum periodus sit minimum duorum

---

(1) Tom. 4. Parte 1. p. 335.

» mensium. (1) » Hoc vitium, quamquam cum Shakespearo et Schillero (2) commune habuit Buchananus, jure tamen reprehendi posse videtur. — Verum hæc leviora sunt, audiamus alios.

Summus Hugo Grotius affirmat Buchananum non in cothurno pedem habuisse; cui assentitur D. Heinsius, dicens: » M. Antonius Muretus, et Georgius Buchananus. cum se tragœdiæ crediderunt, alterum in cothurno, alterum in » socco pedem habuisse dicas; adeo nec legem se tenere putant, neque mentem ad antiquitatis regulas deflectunt. » — Rapinus contendit, nihil esse, quod Buchananum vel Jephtham vel Baptistam commendet, nisi linguæ puritatem; verum in hisce tragœdiis multa occurrunt minus latina; quorum nonnulla notavit jam D. Heinsius, qui rursus addit: » Mureti Cæsare equidem, Buchananum autem » Jephthæ humiliter vix quidquam dici potest: cum vix unquam assurgant. Quædam » tamen supra fidem jacent. » (3)

Equidem Buchananum magnum existimo in Lyricis poetam, item in elegiis, sed omnium minime in tragœdia, in qua ceteris fere omnibus cedere videtur. Neque enim tragœdiæ leges observavit, neque ad cothurni gravitatem adscendit: illud unice studens, me quidem iudice, ut sermonis puritate excelleret, imprimis quia discipulis suis hæc tragœdiæ recitandæ præbebantur.

Neque melius de Mureto existimem, quo neminem inter recentiores pedestri oratione magis antiquitatis colore imbutum, et antiquam elegantiam assecutum

(1) Vid. quoque Daniel Heinsius in dissert. supra laudata p. 204. qui idem fere de Buchananum affirmat.

(2) In tragœdia die Räuber.

(3) Cf. Grotius. Epist. ad Gallos, Epist. 5. et Rapinus, 2<sup>e</sup> partie des Réflexions, en partic. Réflex. 23 et Heinsius l. 1. p. 201. Inter cetera loca quæ afferit Heinsius, ut humilem Buchananum in tragœdia stylum ostendat, excellere mihi videtur sermo sacerdotis cum Jephthæ disserentis, cujus verba ita apponam, ut soluta oratione scripta videantur: « Tu miser sis, an secus, » tua repositum est in manu. Integrum tibi est, natam sacrifices, nec ne, sive, ut verius dicam, » integrum non est, nisi si quis miser sponte esse cupiat. Profecto vulgari sermone non aliter » locutus fueris ». Hujusce generis autem loca non semel, sed utraque pagina apud Buchananum occurrunt.

fuisse, unanimis eruditorum consensus docet. Quare hæsitare magis in iudicio de tanto viro ferendo, nisi id testimoniis aliorum, quorum his de rebus magna viget auctoritas, fulcire possem (1.)

Grotius tres tragædias, *Adamum exsulem*, *Sophompaneam* et *Christum patientem* ipse scripsit; nonnullas, in quibus Phænissæ, latine vertit. *Adamus exsul* opus est adolescentuli, nondum octodecim annos nati, quo facto toti terrarum orbi admirationem sui injecit, et immortalis Vondelio ita placuit, ut hæc tragædia ab eo digna habita sit, quam Belgica donaret civitate. — *Sophompaneæ* ejus *Christum patientem* ego longe postponam. Initium jam, ubi Jesus, quod in Græcorum tragædiis fieri solet, fata sua enarrat, minus mihi placet, hæc cum cuique nota esse debeant. Quæ res longe erat alia in Græcorum tragædiis, cum non cuique ex plebe fata personarum, quæ in tragædiis occurrebant, nota essent. Deinde mihi semper difficillimum visum est, Christum in scenam ita agentem inducere et loquentem, ut ubique divinæ ejus naturæ majestas appareat. Unde explicandum forte est, in tota Grotii tragædia, Jesum bis tantum in scenam prodire; ceteraque audiendo tantum auditores percipere. — In choris Grotius admirabilis est; ejus omnibus tragædiis preferam *Sophompaneam*, in qua tam multa pulcherrima et lectu jucundissima occurrunt, ut unumquemque fere capere debeant (2).

Daniel Heinsius denique tum infinitis aliis operibus, tum etiam poëmatibus præclarus, duas fecit tragædias *Auriacum*, et *Herodem Infanticidam*, quarum hæc, quantas inter eruditos lites moverit, satis superque constat. Horum im-

(1) De Mureto vid. Baillet l. l. p. 317 sqq. qui iudicium Petiti citans, in Mureto reprehendentis, eum non satis calescere, neque unquam assurgere, hæc addit: « ces défauts se rendent plus sensibles dans la tragédie qu'il a faite de Jules César, où l'on ne trouve presque rien de la gravité et de la grandeur que demande ce genre d'écrire, et où le style paraît trop simple, trop languissant, et trop semblable à de la prose »

(2) Notissimum est Casauboni, Heinsii et aliorum de Grotii Tragædiis iudicium, quod hic repetere nolui. Mirum autem mihi accidit, quæ narrat Rapinus, *Sophompaneam* esse frigidam tragædiam, quæ nauseam creet; mihi Rapini magis iudicia quam Grotii tragædiæ nauseam creaverunt.

primis Balzaccius et Salmasius, Heinsii inimicus, dissertationem quisque scripsit, qua opus hocce multis nominibus vituperaret. Non tamen Henisius se non defendit; usus est quoque defensore Croyio, qui ceteroquin ei amicissimus haud erat (1). Quamvis minime meum sit tantas inter eruditos componere lites, aperte tamen, quid de Heinsianis tragœdiis sentio, proferam. Sunt illæ prorsus ad Græcorum leges accommodatæ: dominatur in iis sublimitatis sensus, atque omnino ad tragœdiæ majestatem accedit Heinsius, qui cum Grotio mihi optimus recentioris Latii tragœdus videtur. Negari autem nequit, eum in Mariamnis indole depingenda minus felicem fuisse. De ceteris istis rebus, quæ eruditibus moverunt, num in sacri argumenti tragœdia liceat, ut Angeli cum Furiis in scenam prodeant, et Christus cum falsis diis, disputare haud juvat. — In choris mihi mirifice placet Heinsius, præsertim in choris, qui in Herode inveniuntur. An vero totum argumentum ad tragœdiam aptum sit, pronuntiare non ausim:

Multus esse possem in enumerandis ceteris tragœdis minoris momenti, veluti *Baldo*, *Vernulæo*, aliis, verum cum de iis tantum agamus, qui præstantissimi habentur, universe animadvertisse sufficiat, me Grotii et Heinsii tragœdias multis, quæ nobis supersunt, Romanorum tragœdorum declamationibus anteponendas esse ducere; quodsi vero omnia Romanorum hoc in genere superessent monumenta, nullum dubitare, quin hi recentiores superarent.

#### §. 4. De Poësi Didactica.

Constat inter omnes, Romanos cum alia multa e Græcis fontibus hausisse, tum imprimis poësin. Nullum igitur carminum genus apud eos reperias [si satyram exceperis, quæ, teste Quintiliano, tota Romanorum fuit] quod non origine sit Græca. Ita in epica, lyrica, dramatica poësi versati sunt, ita

---

(1) Vid. Baillet l. l. p. 200 sqq. et J. L. Guez de Balzac Dissertation sur la tragédie de l'Infanticide, et Cl. Salmasius in. diss. singulari ad tragœdiam Infanticidæ Heinsii etc. Croyius scripsit: Réponse au discours et à la lettre de Mr. de Balzac sur la tragédie d'Hérode l'Infanticide par Heinsius. Totam litis historiam vid. apud Morhoff l. l. L. 8. c. 1. de scriptoribus ad artem poëticam facientibus p. 1013 et 1014.

quoque in didactica. Quod si autem inventionis laude præstant Græci, quod ad ornandum, excolendum et perficiendum attinet, hanc sibi laudem Romanos merito posse vindicare, non est quod dubitemus. Omnium luculentissimus mihi testis est Virgilius, qui cum in *Æneïde* et *Eclogis*, tum quoque in *Georgicis*, ita, quæcumque Græci hisce in generibus pulcra haberent, in carmina sua transtulit, ornavit, perfecit, ut princeps Romanorum poëtarum merito sit habendus. « Est is proprius quasi Virgiliani carminis character, ut verbis Heynii » utar, ut si ingenium Homericum in inveniendis rebus desideres, si Theocri- » team simplicitatem, et nativam aliquam venustatem, qua animi, inani nos- » trorum morum fucō nondum contaminati, tantopere capiuntur, frustra in eo » quæras; elegantiam tamen, cultumque, eundem rectum, purum, pudicum, ac » decorum, simulque elaboratissimum et exquisitissimum facile agnoscas (1) ». Merito autem Heynius eorum opinioni mihi occurrere videtur, qui in *Georgicis* Virgilium paucissima ex aliis poëtis desumsisse contendant. Multa quippe e Lucretio, nonnulla ex Hesiodo, plurima ex Thucydide, Theophrasto, Aristotele, et inprimis ex Alexandrinis poëtis petiit, ne de Ennio rusticisque scriptoribus moneam. Tantis tamen dotibus, quas enumerare non hujus loci sit, idem opus excellit, ut totius antiquitatis perfectissimum a nonnullis habeatur (2).

A Virgilio incepimus, ut a principe: longe tamen ante eum didacticam poësin attigerunt Ennius, et Lucretius, qui quamvis multa a Græcis petiit, majora etiam ex suo ingenio, fervore quippe poëtico abreptus, hausit. Ut enim argumentum quod tractat, aridius, et ex intimis cujusdam disciplinæ penetralibus ductum est, ita poëta, qui in eo felicissime versatur, mihi majori laude dignus videtur. Et ita sane Lucretius. Ubique enim egregiis digressionibus carmen exhilarat suum; ubivis patet eum sensus suos in carmen suum effuisse, eumque implicata Epicuri dogmata lectorum sensibus submittere velle,

(1) In præcemiis in *Georgica* p. 181.

(2) Egregiè *Georgica* recensuit FUHRMANNUS l. l. p. 310 sqq. Cf. EICHORN l. l. p. 337. §. 105 — BAILLET. Tom. III Parte 1. p. 209. §. 9. *Hieronymus Bosschius* vir præclarus, hoc opus tanquam totius antiquitatis perfectissimum laudare solebat.

neque id magistri alicujus instar facit, sed fervidis coloribus, ut a poëta, revera hoc nomine digno, jure expectatur (1).

De Horatii epistola ad Pisonès, quam hodie satis patet non eo consilio scriptam esse, ut poëta artis poëticæ theoriam traderet, sed ut Pisones a medicorum carminum conficiendorum studio avocaret, dicere non attinet, neque etiã de Ovidio, quamvis et carminum suorum dispositione, egregiis digressionibus, et versuum suavitate excellat. Silentio quoque præteribimus eos poëtã, quibus res minus feliciter cessit, ut Faliscum, Macerum, Manilium aliõsque. Verum ad recentiores properabimus, illud unice animadvertentes, Romanos, si quã in re, tum certe didactica poësi Græcos superare.

Recentiorum primus in censum venit Fracastorius, medicus Veronensis, qui duõ carmina didactica condidit, *Syphiliden* et *Alconem*: quorum illud summis laudibus plurimi extulerunt, hoc vero minoris judicaverunt æqui harum rerum existimatores. Summus Scaliger illud poëma divinum esse censet, quo Fracastorius se optime Virgilium secutum esse abunde probavit (2); neque aliter multi. Mihi vero plurima in mediũ proferri posse videntur, quibus Fracastorii gloriã aliquantum detrahatur. Universe animadvertendum videtur, argumenta illa e physica et medicina ductã, quã, nisi a magno poëta tractentur, minus carmini apta sunt, sæpissime ab illis eligi, quos non alte evolare, sed humum pennis radere dixeris (3). Ptolemæorum ævo, quo antiquitatis ille color pënitus evanuerat, poëtã, ut Aratus, Nicander, multique alii semper fere versabantur in pertractandis materiis physicis, astrõomicis, mythologicis, in quorum carminibus uti major doctrina, ita minor sublimitatis sensus dominatur. Ita apud Romanos post auream

» (1) Recte Fulirmannus: vom Zauber des Enthusiasmus ergriffen, vergass Lucretius die » Nüchternkeit des Inhalts. »

(2) Recte Vossius Instit. poët. l. 1. c. 3. §. 2. animadvertit Scaligeri illud judicium suspectum esse, quia poëta de poëta loquitur, medicus de medico, civis de cive, et merito mihi Castelvetro, in Comment. in poët. Aristot. contendere videtur, Fracastorium magis versificatorem quam poëtam esse in genere didactico.

(3) Sunt verba Heynii in prolus. de genio seculi Ptolemæorum. opusc. acad. vol. 1.

Augusti ætatem poëtæ venationem, morbos et morborum remedia ceciderunt, quippe qui altioribus impares essent argumentis. Eadem hæc apud multos neo-latinos poëtæ obtinere videmus, quibus si major poëticus sensus infuisset, nunquam profecto ii de Siphylide, et Acone, de Bombycibus, de Callopædia, uti Fracastorius, Vida, et Calvidius Lætus, carmina condidissent (1). Accedit quod omnes hi quos dixi, magis versificatores, qui dicuntur, quam poëtæ hisce in carminibus sunt habendi; quapropter ea non magni æstimem. Buchananus carmen scripsit non absolutum *de sphaera*, in quibus nonnulla Buchananani gloria digna inveniuntur, plurima vero occurrunt, quæ non ita excellunt.

Daniel Heinsius, qui carmen scripsit *de contentu mortis*, mihi in genere didactico recentiorum facile princeps videtur. Cujus carminis argumentum grande est et sublime, in quo tractando latus poëtæ patuit campus, per quem lætus vagaretur; quod et fecit Heinsius, qui nunquam humilis est, gravis semper, qui aliquando etiam assurgit, ubique placet, simulque *delectare* et *prodesse* vult. Multa autem pulcherrima occurrunt in libro primo, quo Platonis doctrinam de vita secundum mentem tradit, et Socratem pingit, secundum talem doctrinam morientem, his versibus: (p. 268)

- » Hæc idem moriens, dulcesque amplexus amicos,
- » Singultus mœrentum inter lachrymasque canebat,
- » Haud aliter summo digressus limine et ævi
- » Fioibus, ac si lento olim confectus amore,

---

(1) Non loquor de magnis poëtis, quibus nihil tenue est ac pedestre; excipiendus igitur omnino est van Royen in pulcris carminibus elegiacis *de amoribus et connubiis plantarum, de morbis ætatum, de regimine mentis et corporis*, qui, quomodo verus poëta argumentum, ceteris hominibus pedestre visum, veluti *de morbis ætatum*, exhilarare et exornare possit, luce clarius ostendit. Vid. cl. Peerlkamp. p. 478. qui Royenum in carmine *de amoribus et connubiis plantarum* ante oculos habuisse affirmat Gallum Lacroix, cujus carmen *de connubiis plantarum* longe venustissimum appellat idem vir clar. Hoc autem carmen nunquam vidi, quod vehementer doleo. Pariter mihi incognita sunt *poemata didascalica*, edita Parisiis, 1748.

- » Nequicquam lento patriæ confectus amore,
- » Post longas hiemes, et tædia mille laborum,
- » Linqueret exilium; parvos tum denique natos
- » Visurus, sanctamque domum, castumque cubile.
- » Nec secus educens gelidæ medicata cicutæ
- » Pocula, quam si vere novo, cum pingitur annus,
- » Et lux Cæcropidis Baccho gratissima venit,
- » Flore comam multo, et frondenti vinctus anetho,
- » Nectaris in mensa latices libaret, et ultro
- » Rorantem pateram sublato educeret auro.
- » Illum ergo patriæ frustra flevistis Athenæ,
- » Illum Nymphæ omnes, illum Nereides omnes
- » Extinctum flere; illum Tritonia virgo
- » Actæos inter colles, desertaque Thesei
- » Littora: nec questu assiduo cessavit Hymethus.
- » Illius quamquam volucres, quamquam omnia mella
- » Vicisset moriens suppressæ flumine linguæ. »

Talia mihi ad Virgiliani carminis characterem proxime accedere videntur, quæ frustra apud Fracastorium, Vidam et Lætum quæras. Egregius est Heinsius in digressionibus, comparationibus et descriptionibus, cujus totum carmen mihi præstantissimum videtur.

De Lucretio supra vidimus, qui Epicuream hæresin carmine complexus est. Ab eo prorsus dissentiit *Polignacius*, ut qui Anti-Lucretium scripserit, quod carmen IX libris Epicureæ philosophiæ refutationem continet. Poëticis virtutibus Lucretio longe cedere debet; deesse enim auctori videtur poëticus fervor, nunquam assurgit; inest vero ei quieta et placida disputandi ratio; demonstrare semper et docere cupit. Dictio tamen ejus pura est; ex uno loco totum ejus genium cognosci potest. Speciminis igitur causa afferamus initium libri III, quo libro de atomis agit:

- « Felix, qui veras avidus cognoscere causas
- » Sensus assurgit supra, nullumque secutus
- » Ductorem, præter lumen rationis amicum
- » Vimque animi, reliquis mortalibus in via tentat



- » Ipse loca, explorat rerum caput, atque per omnes
- » Naturæ latebras ire imperterritus audet.
- » Illum non anceps regum favor, aut levis aura
- » Fortunæ, miserisque bonis contenta voluptas
- » Demoveant, veri sanctum ut deponat amorem. »

Num ei poëtæ nomen tribui possit, equidem non ausim affirmare.

Hieronymus Vida tribus quantam libris, de arte poëtica adeptus sit gloriam, dici vix potest. Ut alios taceamus, Jul. Cæs. Scaliger affirmat, quantum Latini veteres Græcos, tantum inter recentiores Vidam Horatium superasse. Mihi vero uti probatu difficillimum videtur, Romanos artibus et scientiis Græcos antecelluisse, ita nescio an multi huic Scaligeri de Horatio et Vida iudicio facile assentiantur. (1). Verum in eo situs videtur Scaligeri error, quod Horatium in Epist. ad Pisones artis poeticæ theoriam tradere voluisse certo crederet; quæ si vera essent, sane multa in vitia, quæ Vida effugit, incidit Horatius; totaque ejus epistola, multis, quæ necessario tradi debuissent, plane omissis, omni ordine caret, imperfectissimum adeo opus est. Vidæ carmen mihi videtur continere bona artis præcepta, purissimo stylo, placidi instar amnis defluente conscriptum; prudentium tamen virorum iudicio poëta magis placere quam quidem carmini didactico conveniat studet (2). Rapini opus de Hortorum Cultura nunquam vidi; laudatur ab his, culpatur ab illis. Morhoffius neminem Virgilium Rapino feliciter expressisse affirmat; (3) Heynius tamen, cujus iudicio imprimis multum tribuo, insipidum illud vocat (4). — In Vanierii Prædio Rustico, plurima inveniuntur pulcherrima, quorum nonnulla exprimere haud respuit Delillius, in carmine didactico *l'homme des champs*. — Quamvis igitur recentiores in didactica poësi nullo modo

(1) Cf. Scaliger l. 6. Poët. p. 80 2 et 803. ed. Commel. — Bailletus l. l. Tom. 3. parte 1. qui tamen perperam ait Vossium de Art. Poët. p. 27, quæ est meæ edit. p. 15, illud Scaligeri iudicium comprobare. Vossius illud tantum refert, illud neque annuens nec renuens.

(2) Vid. omnino Baillet Tom. 3. P. 1. p. 151, sqq.

(3) Polyhistor. l. 7. Cap. 3. p. 1065.

(4) Heynius ad Georg. Virgil. IV, 116. cf. Peetrkampius, p. 311.

cum antiquis possint comparari, nonnulla tamen monumenta reliquerunt, quæ eos non sine fructu hoc genus attigisse arguunt.

§. 5. *De Carmine Bucolico.*

Hoc carminis genus serius apud Græcos et Romanos excultum et a paucis tantum tractatum fuit; quippe in quo unice fere Theocritus, Bion, Moschus et Virgilius magna cum laude versati sunt. Respicientibus ergo nobis veterum et recentiorum poëtarum Latinorum hoc in genere monumenta, statim occurrit hæc illa numero longe anteire; verum si altius paulo in carminis bucolici naturam inquiramus, Virgilium multo magis quam neolatinos eam percepisse videmus (1); sin vero recentiorum opera tanquam monumenta poëtica consideremus, mihi præstantissima videntur, et digna, quæ cum Virgillii Eclogis comparentur. Non loquor autem de omnibus; loquor imprimis de Lotichio, Sannazario, Joann. Bapt. Amaltheo, Francio et Broukhusio. Minus mihi placuerunt Balthasar Castilioneus, Huetius, Vida et Becanus, quamvis hic minime infelix in argumento suo canendõ sit versatus.

Theocritum merito ajunt nativa simplicitate Virgilium longe vincere: verum hac in re multum etiam facere videtur linguæ græcæ et latinæ discrimen; quod ideo moneo, quia idem de neolatinis valet. Theocritus dialecto usus est dorica, quæ quidem dialectus quantam simplicitatem præ se ferat, quam sit rusticæ vitæ describendæ accommodata, ut nec docta, nec inculta sit oratio, non potest dici, sentiri facile potest.

Virgilius vero et omnes, qui latine bucolica carmina condiderunt, rusticos, urbanam linguam loquentes inducere debebant, multaque quæ nude essent proferenda, honestissimis debebant proponere verbis; ita ut multa necessario artem redolere deberent. Lingua igitur romana ad bucolicum carmen minus apta esse videtur; unde fortasse explicandum, neminem, nisi Virgilium hoc car-

---

(1) Primum apud animum decreveram nonnulla præfigere, quæ carminis bucolici theoriam spectarent, qua in re imprimis secutus essem Heynium in præmio in Virgil. Bucol., Kautelarium in dissertat. præmio ornata: de carmine Bucolico, et Knleynium in orat. de Carmine Bucolico. Mnemosyne. parte 4. verum postea consilium immutavi, quia nihil facere possem, nisi horum virorum verba repetere.

minis genere tractando apud cives suos magnam adeptum esse gloriam; quæ imprimis ducenda videtur ex rei novitate, et felici in carmine siculo, quod ipsa sermonis romani asperitas respuere videbatur, transferendo audacia. (1) Virgillii autem Eclogas legenti, non iniquum, ut mihi quidem vedetur iudicium Heynii videbitur, Virgilium, solis Bucolicis relictis, quamquam in iis magni poëtæ vestigia haud desint, vix tamen in principum poëtarum censum venturum fuisse contententis.

Nobiles sunt Theocriti et Virgillii Pharmaceutriæ, quibus absentes amatores magicis incantationibus ad se allicere student puellæ. Hoc quoque argumentum recentioribus mirifice placuit, ut satis patet e plurimis eorum carminibus, quibus illud amplexi sunt. v. g. Lotichius Ecloga, V. vs. 38 seq., Sannazarius, Eclog. V. cui titulus Herpylis Pharmaceutria, et Hieronymus Amaltheus Elegia XIV. p. 346. Quod si prudentium virorum de hisce recentiorum carminibus, imprimis de Lotichii et Sannazarii eclogis (cum Hieronymus Amaltheus, adolescens admodum elegiam suam, quamvis elegantissimam, scripserit) iudicia consulamus, ea digna iudicata fuisse reprehendimus, quæ cum ipso Virgillii carmine compararentur. (2) Itaque neque injucundam nec inanem operam nos navaturos esse duximus, si ex utroque poëta nonnulla afferremus, quibus eorum merita melius paterent.

Leuce pharmaceutria apud Lotichium, vs 52 seq. ita canit (3):

» Spargite cœruleos mihi sulfura, spargite fumos.

» Ultrices diræ, quarum ad scelera impia numen (4)

(1) Vid. Heynius. l. l.

(2) Cf. Barthius ad Nemes. Eclog. IV 62; imprimis autem Burmannus ad Lotichium l. l. qui hæc inter alia: « meretur, inquit, hocce carmen Lotichii cum cura conferri cum Virgiliana Ecloga octava, et instituta utriusque comparatione, fateri necesse erit, reperiri inter » recentiores, qui vetusti ævi ingenii palmam aliquando dubiam facere possint. »

(3) De incantationum artibus plura qui scire cupiat, is adeat interpr. ad Theocritum et Virgilium, et quos laudat Burmannus ad Lotichium l. l.

(4) Cf. Æned. IV. 610. sqq. Versus, qui infra habetur 68 « Oceanum quamvis et cunctos » ebibat amnes, me quidem iudice, magis tumorem quam elegantiam præ se fert.

» Excubat, et pavidis terrorem mentibus addit,  
 » Dique animæque omnes, quas hic circumfluus ær  
 » Continet, has audite preces : mea gaudia Daphnis  
 » Discedens famamque tulit, niveumque pudorem.  
 » Vindice vos illum pœna multat vicissim,  
 » Et desiderium, et lachrymas et mortis amorem,  
 » Erroresque vagos, longosque immittite luctus.

» Spargite cœruleos mihi sulfura, spargite fumos.  
 » Ut canis æstivi rapido cum sideris æstu  
 » Vertitur in rabiem, totis sitis acta medullis  
 » Exstimulat pavidum, nulloque extinguitur haustu :  
 » Sic agat in furias Daphnin Deus ultor amantum,  
 » Sic Daphnin Deus ultor agat, totumque perurat,  
 » Nec possit rapidos extinguere pectoris ignes,  
 » Oceanum quamvis, et cunctos ebibat omnes.

» Spargite cœruleos mihi sulfura, spargite fumos.  
 » Hanc laurum, veteri quæ surgit proxima myrto  
 » Propter aquam, et virides frondente cacumine ripas  
 » Integit, hanc olim laurum formosus amavit  
 » Daphnis, et arboribus coluit magis omnibus unam.  
 » Hanc age cum ramis, foliisque, et cortice, et ipso  
 » Stipite, falce recide, et aliena falce reciam  
 » Sterne solo insultans, et dic : Mens Daphnidis istos,  
 » Daphnidis occultos mens impia sentiat ictus.

» Spargite cœruleos mihi sulphura, spargite fumos,  
 » Parce soror nimium procedere, perfida nescis  
 » Spirituum arbitria : hac agendum conside sub ara,  
 » Dumque sedes, faciem turis fuligine nigra  
 » Obline, cras Aponi calidis purgaberis undis.

» Spargite cœruleos mihi sulfura, spargite fumos.  
 » Ille per æthereas, viden, ut caper advolat auras ?  
 » Nigra capro pellis, nigra cornua, lumina nigra,  
 » Ingratum caper ille vehit per inania Daphnin.

- » Spargite cœruleos mihi sulphura , spargite fumos.
- » Jam terra , cœlumque inter nigrantia tranat
- » Nubila Daphnis Io : sed quid strepit aura? propinquans
- » Daphnis adest ; nosco stridorem , sibila nosco ,
- » Latratusque canum diros , gemitusque luporum.
- » Spargite cœruleos mihi sulfura , spargite fumos.
- » Heu quid agam? En fœdatam ulva sine vestibis umbram
- » Daphnidis extincti simulacrum flebile cerno.
- » Jam jam , Daphni , dolet , jam tota mente , quod egi
- » Pœnitet : Elysium testor , sedesque beatas ,
- » Quas habitas : linquam terras , manesque sub imos
- » Te sequar : i felix , cinerique hæc perfer imago. »

Sannazarius autem l. l. vs. 27 ita canit :

- » Pone aram , et vivos hauri de flumine rores ,
- » Canaque vicino decerpe absinthia campo.
- » Illum illum magicis conabor adurere sacris ,
- » Qui miseram , tota spoliata mente reliquit.
- » Volvite præcipitem jam nunc , mea licia , rhombum.
- » Rhombus ad Aemonias revocetur aheneus arteis.
- » Sistere qui pluvias , qui pellere nubila cœlo ,
- » Qui potis est trepidos undis abducere pisceis.
- » Volvite præcipitem , mea licia , volvite rhombum.
- » Alga tibi hæc primum timidi purgamina ponti
- » Spargitur et rapidis absumitur arida flammis :
- » Sic mihi sic , Mæon uraris adusque medullas.
- » Volvite præcipitem jam nunc mea licia , rhombum.
- » Ter muscum , Clearista , ter hunc sine forcipe cancrum
- » Ure simul , cumque his , dic , viscera Mæonis uro.
- » Volvite præcipitem jam nunc , mea licia , rhombum.
- » Spongia nunc lachrymis perfunditur , heus bona magno
- » Spongia nata mari , lachrymas bibe sedula nostras
- » Utque rapis sitiens illas , sic Mæonis omnem
- » Mæonis ingrati rapias de pectore sensum.

« Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum  
 « Ut pumex pinguescit, ut æquoris unda quiescit,  
 « Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.  
 « Sed quid ego heu tristi pectus concussa dolore  
 « Imprecer, et vanis jactem convicia ventis?  
 « Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?

« Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.  
 « Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda  
 « Sæve, Trigon, et tu, proprium cui sistere naveis  
 « Veliferas echenaeis adest, et Mæonis acreis  
 « Tu retinere pedes, tu figere corda labora.

Hæc, quæ speciminis causa attuli, (tota autem carmina legi omnino merentur) nemini non placere debent, institutaque comparatione cum Theocriti Idyll. 2 et Virgiliana Ecloga 8, unusquisque, nisi me omnia fallant, ea digna judicabit, quæ cum illis conferantur. Sin autem hæc Sannazarii et Lotichii carmina inter se comparemus, in Sannazario invenimus doctum Propertii imitatore, in Lotichio vero videmus poëtam, qui quidem Tibullum exprimere studet, sed magis tamen ipse inventionis laude præclarus est (1). Idcirco apud Sannazarium invenitur multo doctior incantationum rituum descriptio. Lotichius vero magis comparationibus et descriptionibus delectatus videtur. Atque hæc instar multorum sint, ut ostendamus, recentiores, quod ad poëtica merita attinet, in bucolico carmine optime cum Virgilio comparari posse; eos vero a Virgilio superari, quem rursus Theocritus antecellit, quod ad universam carminis dispositionem et naturam attinet; ut vere mihi Heynius in Præfatione ad Virgilii Eclogas affirmasse videtur.

### §. 6. De Satyra.

In nullo facile carminum genere recentiores tam a veteribus superantur, quam

---

(1) Hoc mihi Lotichianæ poësi proprium videtur, ut genium quidem exprimat Tibullianum, sed tamen ipse poëta inventionis laude sæpius gaudeat, quod de paucissimis tantum recentioris Latii poëtis affirmari licet.

in satyra, quæ a Græcorum satyra prorsus diversa fuit (1), quamque Romani omnium maxime invenerunt; quorum ingenium, sublimes poëseos sensui minus aptum, egregie pedestri satyrarum conscribendarum rationi accommodatum erat. Accedebat, quod perditæ civitatis mores, quales nulla alia ætas unquam vidit, campum quam latissimum poëtis præbebant, in quo libere possent exsultare et in cives suos inveli. Difficile ita Juvenali fuit satyram non scribere (2). Alii tamen aliam viam inierunt, ut homines emendarent. Juvenalis et Persius acerbissime contra civitatis vitia declamaverunt; Horatius vero, in paucis humanæ naturæ optimus explorator, quam penitus habebat perspectam, homines sibi met ipsis præbuit deridendos, et vitiorum stultitiam magis et ineptiam, quam turpitudinem denotavit, ipse dicti sui memor,

« ..... Ridiculum acri

« Fortius ac melius magnas plerumque secat res. » (3)

Quidquid autem sit, omnes hi præstantissimi sunt habendi.

Quod si vero recentiores Latinos poëtas hoc in genere contemplemur, nullos invenimus magna laude dignos. Baldus nonnullas satyras scripsit, medici argumenti, satis bonas; etiam Encomium torvitatis, satyram in tabacum, in pingues et macilentos, in Astrologos circa eclipsin A° 1654 delirantes, et in podagricos. Neque contemnendi sunt Janus Dousa et Lubinus. Felix quoque satis fuit Heerkensius, qui satyras partim suo nomine, partim sub nomine *Marii Curilli*, edidit. Ad satyram referri etiam potest Palingenii Zodiacus vitæ, quamvis ad didacticum genus referant alii. Consilium poëtæ patet ex versibus hisce, qui habentur pag. 3. Ariet. (cuique enim libro signum præfixum est cœleste.)

(1) Summus Casaubonus in diss. de satyrica poësi Romanorum et Græcorum hoc jam demonstraverat; cuius tamen sententia a Daniele Heynsio in dissert. de satyra Horatii valde oppugnata est. Heynsius probare studuit utriusque populi satyram ejusdem esse naturæ. Satis tamen, me quidem iudice, eum erroris convincit Ezech. Spanhemius in præf. edit. ejus Cæsarem Juliani.

(2) Sat. I. vs. 30.

(3) Lib. I. sat. 10. vs. 14 et 15.

« Scribere fert animus multa et diversa, nec uno  
 « Gurgite versari semper : quo stamina ducent  
 « Ibimus, et nunc has, nunc illas nabimus uudas,  
 « Ardua nunc ponti, nunc litora tuta petemus,  
 « Et quamquam interdum fretus ratione, latentis  
 « Naturæ tentabo vias, atque abdita pandam.  
 « Præcipue tamen illa sequar, quæcunque videntur  
 « Prodesse, ac sanctos mortalibus addere mores,  
 « Heu penitus ( liceat verum mihi dicere ) nostro  
 « Extinctos ævo, quo non obscœnius ullum  
 « Aut fuit, aut posthac erit; et quæcumque nocentes  
 « Languenti valeant animo detrudere morbos, etc. »

Convenit hujus libri initium quodammodo cum Juvenalis prima satyra. Palingenius etiam semet ipse rogat, quænam sibi argumenta sint canenda, et inter alia ita loquitur :

« Num melius juvenum lascivos dicere amores,  
 « Quodque nefas majus, dictis temerare prophanis  
 « Cœlicolas? quid enim dementia nostra veretur?  
 « Concumbunt, rapiunt pueros, vitiantque puellas.  
 « In cœlo est meretrix, in cœlo est turpis adulter.  
 « Proh pudor! hæc pietas? hoc fas? hæc debita divis  
 « Gratia, thura, foci, pecudes, altaria, laudes? etc. »

Eruditorum de Palingenio judicium huc redit : « poëta fuit minime contem-  
 » nendus ; dictio ejus satis est latina ; verum stilus ejus valde est humilis ; si  
 » quid præterea arripit ad dicendum, omnes illius rei vicinias, omnes excludit  
 » affinitates ; ut adeo sexcentos ex ejus opere possis tollere versus, neque adhuc  
 » necessarium unum sustuleris. » (1)

### §. 7. De Epigrammate.

Epigramma, ut ipsa vox declarat, primum inserviebat inscriptionibus, quas

---

(1) Verba sunt Scaligeri apud Baillet, l. l. 1259.



templis vel ædificiis præfigere solebant antiqui, quæque simplicissimæ erant, imo interdum uno vel duobus verbis constabant, veluti Delphicum illud nobilissimum: *γῆθη σικυριον*.— Ut autem harum inscriptionum memoria servaretur, poësi utebantur, utut inprimis huic rei apta. Poëtæ igitur, ut fit, et poëseos naturæ prorsus convenit, eleganter magis et poëtice hanc rem aggressi sunt, et brevissima carmina condiderunt, quibus *simplicem at sublimem* ideam, quæ dicitur, exprimerent, quæ novitate, et ideo quod non expectabatur, placeret (1). Ita sunt Epigrammata, quæ in Anthologiis græcis occurrunt, ita quoque, quæ apud Catullum inveniuntur. Martialis vero primus Epigrammati tribuit vivida, vegeta, acria, ut ait Scaliger, et ab eo inde tempore Epigramma significavit mordax quoddam ac facetum dictum, paucis versibus expressum (2). Martialis procul dubio homo fuit magno ingenio et asperrime dicendi facultate præditus; sed de tot, quæ conflavit, epigrammatibus ipse non iniquum videtur tulisse iudicium, quod hoc versu prodidit:

« Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura. » (3)

Lessingius, vir summus, provocare solebat unumquemque ut sibi poëtæ cujusdam epigrammata ostenderet, quorum terna pars bona esset habenda. Quidquid sit, Martialis et Catullus optima fuerunt apud Romanos in hoc genere exempla. Magno enim Ausonio Martialis ingenium defuisse videtur.

Inter neo-latinos poëtæ multi epigrammata condiderunt, quorum principes

(1) De epigrammate consulendi omnino sunt Lublink minor in Orat. de epigrammate, quæ invenitur in opere Nieuw Algemeen magazyn van Wetenschap, Kunst en Samaak III<sup>e</sup>. deel. I<sup>ste</sup> stuk. p. 125 sq. et Kleynii oratio de eodem argumento in Mnemosyne T. 2. in quibus præclara inveniuntur epigrammatis cum præcepta tum exempla.

(2) Semper arrisit mihi Klopstockii epigrammatis hodierni definitio:

« Ein Sinngedicht soll gleich der Biene seyn  
» So süß wie sie, so stechend und so klein. »

(3) Lib. I. epigr. 17.

habendi sunt *Sannazarius*, *Amalthei*, *Sarbievius*, *Grotius*, *Heynsii*, *Francius*, *Barlæus* et *Owenuis*. Quæ Constantini Hugonii in Momentis desultoriis inveniuntur, partim sunt pulcherrima, partim nimis quæsitata. Universe magis Græcos et Catullum secuti sunt recentiores, quam Martialem, exceptis tamen Hugonio, Oweno, Barlæo et N. Heynsio (1).

Ut quodammodo de recentiorum præstantia hoc in genere judicari possit, nonnulla carmina afferam, tam quæ pulcherrima, quam quæ mediocria vel etiam mala mihi visa sunt. A pulchrioribus, ut par est, initium faciamus.

Sannazarius in multis Græcos secutus est, quorum pulcherrima in Anthologiis occurrunt epigrammata. Ad hoc genus mihi accedere videtur p. 186. Epig. X.

*In tumulum Lauræ puellæ.*

- « Et lacrimas etiam superi, tibi, Laura, dedissent :
- « Fas etiam superos si lacrimare foret.
- « Quod potuit tamen, auratas puer ille sagittas
- « Fregit, et extinctis mæsta Erycina faces.
- « Sed quamvis homines tangant tua fata, Deosque,
- « Nulli flebilior, quam mihi, vita, jaces.
- « Felices animæ, quibus is comes ipsa per umbras,
- « Et datur Elysium sic habitare nemus. (2)

Repeterere hic quoque juvat nobilissimum illud Sannazarii epigramma *de mirabili urbe Venetiis*, quod quadringentis aureis pensatum fuisse constat : (3)

(1) Hæc non dixi, ut ostenderem, recentiores imitatos esse Martialem vel Græcos; hoc in epigrammate condendo fieri nequit, novitate quod unice placet; verum ut animadverterem, neolatinos poëtas universe magis Græcorum rationem in conslandis hisce carminibus secutos esse, quam Martialis, qui novum plane genus condidit.

(2) Vs. 3, 4. Profecisse quodammodo videtur e Bionis Epitaphio Adonidis vs. 85. sq, ubi in luctum mortui Adonidis,

- » Εσβεισε λαμπάδα πᾶσαν ἐπι φλιᾶϊς Ἰμείναιος
- » Καὶ στίφος ἐξεπιτασσε γαμήλιον.

(3) Epigr XXXVI. cf. omnino Broukhusius ad l. l. cuiam hoc epigramma legenti in men-

- « Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
- « Stare urbem, et toto ponere jura mari.
- « Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter arceis
- « Objice, et illa tui mœnia Martis, ait.
- « Si pelago Tybrim præfers, urbem aspice utramque;
- « Illam homines dices, hanc posuisse Deos. »

Sæpe etiam Martialem secutus est. Patet hoc inprimis ex multis et virulentis epigrammatibus in Alexandrum VI, et Cæsarem Borgiam. — Unum hocce apponere adhuc liceat.

*De Venere et Sole.*

- « Induerat thoraca humeris, galeamque decoro
- « Aptarat capiti, Marte jubente, Venus.
- « Nil opus his Sol, Diva, inquit; sumenda fuerunt
- « Cum vos ferratæ circuire plagæ. »

Hieronymi Amalthei Epigramma *de gemellis fratre et sorore luscis* notissimum est :

---

tem non venit illud Constantini Hugonii nostratis : *Geluck aan Edele Heeren Regeerders van Amsterdam in haer nieuwe Raedthuis*, et magis etiam illud quo Amstelodamum ita loquens, inducit :

- « Gemeen' verwonderingh betaemt myn' wondren niet;
- « De Vreemdelingh behoort te swymen, die my siet.
- « Swymt, Vreemdelingh, en seght, Hoe komen all' de machten
- « Van al dat machtig is besloten in uw' grachten?
- « Hoe komt ghy, gulde veen, aan s'Hemels oeverdæd?
- « Pack-huys van Oost en West, heel Water en heel Straet,
- « Tweemacl-Venetien, waer 's 't eyude van uw' wallen?
- « Seght meer, seght, vreemd-clingh. -- Seght liever niet met allen;
- « Roemt Roomeo, pryst Parys, kraeyt Cairos heerlickheit.
- « Die schrick'lickst van my swyght, heeft allerbest geseit. »

Quæ epigrammata nesciam quam de causa huic Sanazarii carmini sint postponenda.

« Lumine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro  
« Et potis est forma vincere uterque Deos.  
« Blande puer, lumen quod habes concede puellæ,  
« Sic tu cæcus Amor, sic erit illa Venus.»

Merito lepidissimum hocce carmen Voltairius aliique summis laudibus extulerunt, et varii populi certatim in sua quique lingua expresserunt. — Corn. Amaltheus subinde etiam venustissima epigrammata pangebatur, ut patet ex hocce *de Hyella*.

« Purpureas dum forte rosas carpebat Hyella,  
« Currit Amor castæ virginis in gremium.  
« Tune alium, dixit, puerum tibi delige mater,  
« Delige, nam posthac hæc mihi mater erit.»

Morhoffius Polyh. Tom. I. p. 106 : « Paucula illa epigrammata, inquit, quæ » Matthias Casim. Sarbievius lyricis suis addidit, divina sunt; nisi quod ars » nimia interdum apparet affectatione antithetorum, quorum etiam ut modus » sit, castigata modestia requirit. » Recte sane Morhoffius, quod ad hoc attinet, de Sarbievio iudicat; ubivis enim fere hæc affectatio nauseam creat, v. c. in Epigr. 24, cui titulus Amor Divinus :

« Cor mihi clamat, amor clamat : cor dormit et ille.  
« Ambo tacent; surgit cor mihi; surgit amor.  
« Cor mihi plorat; amor plorat; cor ridet, et ille;  
« Ambo canunt; plaudit cor mihi, plaudit amor.  
« Tene verecundi cor amoris dixero fratrem?  
« Tene mei fratrem dixero cordis amor?  
« Nescio, quid sit amor cordi, quid cor sit amori?  
« Hoc scio, quod totus cor ego, Christus amor.»

Talia, quæ sæpe tamen apud poetam nostrum occurrunt, unumquumque offendere debent. Magis placet illud in statuam Ciceronis :

« Ora Myron, humeros Lysippus, lumina finxit  
« Praxiteles; vocem fingere nemo potest.»

*Divinum* tamen illud, si vera proferam, de quo Morhoffius loquitur, utraque pagina in Sarbievii Epigrammatibus quæro.

Grotius etiam celebratissimus Epigrammatum auctor fuit. Notissima est ejus prosopœia Ostendæ :

- » Area parva ducum, totus quam respicit orbis,
- » Celsior una malis, et quam damnare ruinæ
- » Nunc quoque fata timent, alieno in littore resto.
- » Tertius annus abit; toties mutavimus hostem :
- » Sævit hyems pelago, morbisque furentibus ætas,
- » Et nimium est quod fecit Iber. Crudelior armis
- » In nos orta lues, nullum est sine funere funus,
- » Nec perimit mors una semel. Fortuna quid hæres,
- » Qua mercede tenes mixtos in sanguine manes ?
- » Quis tumulos moriens hos occupet, hoste perempto,
- » Quæritur, et sterili tantum de pulvere pugna est. »

Pulcherrimum omnium, quæ in Scaligeri mortem et effigiem cecinit Grotius mihi videtur hoc Epigramma pag. 311 :

- » Hæc est Scaligeri mortem meditantis imago ;
- » Luminis heu tanti vespera talis erat.
- » In vultu macies, et tortor corporis hydrops,
- » Sed tamen et magni conspiciuntur avi.
- » Læva tenet chartas Nabathaëi munera cœli;
- » Armatur calamo nunc quoque dextra suo.
- » Hæc est illa manus, vitam cui tota vetustas
- » Debet, et a primo tempora ducta die.
- » Quod si Scaligero meritis par vita daretur,
- » Non nisi cum mundo debuit ille mori. »

Scripsit etiam Grotius *Instrumentum Domesticum*, sive Epigrammata ad imitationem apophoretôn Martialis; verum hæc sunt nugæ, quibus magni interdum delectantur poëtæ.

De omnibus autem dicere longum foret. Owenus in multis magis ad Mar-

tialis genium accedit, et nimis argutus interdum est. Broekhusius, Buchananus, Heynsii, quorum filius asperrima in patris obtretractores Epigrammata conflavit, valde hoc genere excelluerunt. Non tamen possum non ultimo loco unum alterumve Francii carmen citare, meo quidem iudicio, in Epigrammatibus condendis unius in paucis felicissimi. Quod ex quovis ejus carmine, nisi fallor, sponte patebit, v. c. ex Epigrammate ejus in Hyellam. p. 417 :

- « Contiguus paries obstabat amantibus olim,
- » Contiguo paries obstat, ut ante, mihi.
- » Sorte horum peior mea sors. His rima patebat :
- » Rima iter alloquiis officiosa dabat.
- » Me mihi conjuncta murus disjungit Hyella,
- » Rima iter alloquiis nec facit ulla meis.
- » Surgat atrox Boreas, et murum verbcret alis,
- » Et faciat plaga non coëunte viam.
- » Quid loquor? ah vereor, ne te mala frigora lædant,
- » Et noceat capiti ventus, Hyella, tuo.
- » Ah, ne te rapiat, vereor; dudum assolet ille
- » Insidias pulchris nectere virginibus. »

Nec minus placet illud, quod p. 410 habetur :

Ad Leonoram :

- « Plus uno me duram necas, Leonora, dolore.
- » Nec tecum possum vivere, nec sine te.
- » Vestra repulsa facit, ne tecum vivere possim :
- » Te sine ne possim vivere, noster amor.
- » Certat amor, certatque odium. Tu spernis amantem :
- » Ipse tamen, quæ me spernit, et odit, amo.
- » Eripe me his, Leonora, malis; et da mihi tandem
- » Ut tecum possim vivere, vel sine te. »

Atque hæc sufficiant. Universe animadvertendum est, neolatinos poëtas hoc in genere dignos esse, qui cum antiquis comparentur, quamvis nec sua illis vitia

desint; arguti enim interdum nimis sunt; quo vitio Martialis quoque tenebatur (1).

§. 8. De Carmine Elegiaco.

Restat, ut de Elegia dicamus, qua Romani poëtæ valde inclaruerunt, et qua neolatinos maxime excelluisse non dubito palam profiteri. Non inutile itaque neque injucundum duximus elaboratam magis instituere comparationem inter veteres Elegiacos et neolatinos, quo melius pateret, quam inanis sit eorum opinio, qui recentiores poëtæ Latinos non adeo laude dignos esse arbitrantur. Ut autem hancce viam rite conficeremus, in Italia itineri nos commisimus; progressi deinde sumus per Germaniam, ut sedem tandem apud Batavam gentem collocarem.

Inter Italos primum nobis occurrunt Titus et Hercules Strozza, pater ac filius, felicissimo certe omine, quippe quorum singuli fere versus placent. In Elegiis unum cecinerunt Amorem, quod tam feliciter iis cessit, ut non recentiore aliquem poëtam, sed Ovidium, sive Tibullum legere tibi videaris. -- De patre primum videamus. Prima Elegia Libri Primi Titus opus suum Divo Herculi Estensi, Ferrariæ duci deferens, librum alloquitur, quod Ovidius etiam fecit (2). Verum qui hic servilem Ovidii imitationem quærit, illius hercle expectationem exitus fallat. Attendamus initium tantum :

- « Vade liber, divi securus ad Herculis ædeis,  
 » Nam facileis aditus Regia mitis habet.  
 » Nec vereare, licet magnis ego vatibus impar,  
 » Sandalias biberim, non Heliconis aquas.  
 » Scis tamen, ut nostras viridis Venus aurea myrti  
 » Non dedignetur cingere fronde comas.

---

(1) Cf. Morhoff. Tom. 1. pag. 1060 sqq. Recentiores invenerunt quoque emblemata et anagrammata, tempore mediæ ævi imprimis usitata, quo per totum interdum mensem uno anagrammate condendo insudarent. Nec defuerunt, qui in versibus *quadratis*, *cubicis*, *retrogradis*, *cabalisticis*, invitis Musis pangendis, versarentur.

(2) Trist. I. 1. Liber ipse loquitur Trist. III, 1.

- Vade igitur , nec te properantem proxima tardent
- » Atria , magnanimum nobile Regis opus.
- Nec tot clara tuos teneant palatia cursus ,
- » Singula dum cupidum cernere pulchra juvat.
- Juncta foro delubra petes , superosque rogabis ,
- » Ut cœptæ præsent omnia fausta viæ.
- Protinus in gentis transgressus limina templi
- » Magnorum statuas treis venerare ducum.
- Alberti a laeva tibi erit senioris imago ,
- » Qui tenet augusta sceptrâ paterna manu.
- Ille suas urbisque simul firmavit , et auxit ,
- » Pontificis claro munere dignus , opes.
- Cœlatusque Patris magni venerabile donum
- » Civibus ostendit , partaque jura lapis.
- Pars adversa fori , quæ proxima cernitur aulae ,
- » Non minus ornatu conspicienda suo est.
- Nicoleos ibi marmoreo sublimis in arcu
- » Insidet aurato pacis amator equo.
- Grandibus hic meritis hominum sibi pectora vinxit
- » Certus amor populi , delitiæque sui.
- Filius hunc juxta solio spectatur in aureo
- » Borsius , illustreis maximus inter avos.
- Ille horum primus nostræ decus addidit urbi
- » Actaque jam fama contigit astra sua.
- Hos pietate pari colimus , semperque colemus ,
- » Hos omnibus patriæ sensimus esse patres.
- Quos ubi transieris , postesque intraveris altos ,
- » Incipe marmoreos dexter adire gradus.
- Occurrent spatiosa tibi cœnacula , per quæ
- » Ad magni Thalamus Herculis ire datur.
- Sed cave , ne pictis radians laquearibus aurum
- » Spectanti longæ sit tibi causa moræ.
- Ad dominum propera , quem postquam videris , illi
- » Cetera postpones , quæ pretiosa putas , etc. »

In hisce versibus plane genium Ovidii dominatur ; neque tamen unum ex Ovi-



dio versum hic reperies. Verum audiamus eundem, de die solemnī Divi Georgii quo amare Anthiam cœperat, canentem : (1)

- «Candida lux aderat Maiis vicina Calendis,  
 » Quam festam veteres instituistis Avi.  
 » Quam pia solemnī celebrat Ferraria cultu,  
 » Aurea cum admissis præmia ponit equis.  
 » Cumque frequens tardos populus spectator asellos  
 » Increpat, et plausum turba jocosa ciet,  
 » Cum rapido certat juvenum manus æmula cursu,  
 » Vitta retroflexam cui premit alba comam.  
 » Tempore quo Zephyrus viridanteis evocat herbas,  
 » Et vario pictam flore colorat humum.  
 » Purpureo cum vere novus redit annus, et ales  
 » Plurima frondosis garrit in arboribus.  
 » Hic dum sollicito spectarem lumine cursus,  
 » Ante mea acitenens constitit ora puer.  
 » Aurea cui læva pendeat parte pharetra,  
 » Nudus, et aspectu blandus et acer erat.  
 » Isque ubi collegit celeres, quibus utitur, alas,  
 » Deprompsit nivea splendida tela manu.  
 » Atque ait, o Juvenis, volucrum mirator equorum,  
 » Quod mirere magis, nunc mea dextra dabit.  
 » Dixerat, et pariter sonuit cum voce sagitta,  
 » Inque meo subitum pectore vulnus erat.  
 » Tum calor insuetus venas penetravit ad imas.  
 » Et magni patuit, vis manifesta Dei.  
 » Dum stupeo, conorque novas extinguere flammæ,  
 » Subridens pennis evolat ille suis.  
 » Acer ut insolitæ Calabri domitoris habenæ  
 » Pugnat equus campis, qui modo liber erat.  
 » Post tamen audacem discit tolerare magistrum,  
 » Et fractus docta concidit arte furor,  
 » Haud aliter mentis constantia victa severæ,

---

(1) El. II. l. I.

- » Et mea corripuit plurimum ossa Deus.
- » Collaque submitit donito luctantia fastu,
- » Et dominam victor, servitiumque dedit.
- » Tum monuit, teneræ valeat quid gloria formæ,
- » Quid faciles oculi, virginensque pudor.
- » Nec mihi consilio, nec prodest viribus uti,
- » Et bene libertas ante retenta, perit.
- » Felix, qui sacros tutus contempsit amores,
- » Nec dominæ iusanum pertulit imperium.
- » Sed felix nimium rursus nimiumque beatus,
- » Si cui se facilem præbuit ipsa Venus. etc. »

Elegantissima semper mihi visa est hæcce Elegia, in qua rursus ita Ovidium expressit, meo iudicio, ut non ovum ovo sit similis. Ut pater Ovidio, ita filius Tibullo maxime delectatus est, ut ex omnibus fere ejus carminibus patet. Tibullus lib. 2. Eleg. 2 die natali puellæ Cerintho desponsæ sacrum indicit genio vota que ejus pro puellæ connubio et constanti amore rata fore auguratur, hoc modo :

- » Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras;
- » Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave. (1)
- » Urantur pia thura focis, urantur odores,
- » Quos tener e terra divite mittit Arabs.
- » Ipse suos Genius adsit visurus honores, (2).
- » Cui decorent sanctas mollia sarta comas;
- » Illius puro destillent tempora nardo,
- » Atque satur libo sit, madeatque mero.
- » Adnuat et, Cerinthe, tibi, quodcumque rogabis.

(1) Sannazarius El. 3, lib. 2. multa a Tibullo profecit, v. c. vs. 4.

» Quisquis ades, sancta concipe voce preces.

(2) Sannazarius vs. 7.

» Ipse suis Janus præpandat limina templi

» Cui geminum liquido stillet odore caput.

» Illius et castas fument pia thura per aras. »

- » En age , quid cessas ? Adnuct ille ; roga.  
 » Auguror , uxoris fidos optabis amores ;  
 » Jani reor hoc ipsos edidicisse Deos.  
 » Nec tibi malueris , totum quæcumque per orbem (1)  
 » Fortis arat valido rusticus arva bove ;  
 » Nec tibi , gemmarum quidquid felicibus Indis  
 » Nascitur , Eoï qua maris unda rubet.  
 » Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis ,  
 » Flavaque conjugio vincula portet Amor ?  
 » Vincula , quæ mancant semper , dum tarda senectus  
 » Inducat rugas , inficiatque comas.  
 » Hac venias , Natalis , avi , prolemque ministros ,  
 » Ludat et ante tuos turba novella pedes. »

Tibullus duos infelices amantes , ut videtur (2) consolatur , ipsum Amorem (quem Deum Jovis instar colere solent) advolantem et vincula conjugalia apportantem inducens , præclaro certe *φάντασματι*. Loquitur poëta amantium more , qui , missa divitiarum et pretiosarum rerum cupidie , unum Amorem spirant. Strozza suæ ipse amicæ natalem ita celebrat , pag. 84 :

- » Addite thura focis , Idus venere Decembres ;  
 » Semper habenda mihi multo in honore dies.  
 » Vagiit his primum mea Cynthia , deque parentis  
 » Ventre recepta tuo gratia pulera sinu est.  
 » Os tibi legisti , genulas decor , ignea blandus  
 » Lumina amor , pectus Cypria , Juno manus (3).

(1) Sannazarius vs. 13. sqq. ita hunc locum expressit :

- » Nec magis optaris , quas Lydius amnis arenas  
 » Quas volvit flavi lympha superba Tagi.  
 » Nec magis uberibus quidquid sibi colligit arvis ,  
 » Medus et assiduo sole perustus Arabs. »

(2) Vid. Heynius in argumento ad hanc elegiam.

(3) Vs. 5. 6. Alio modo , sed non minus suaviter Rufinus VII , Anth. Ep. 137.

- » Ὅμματ' ἔχουσ' Ἑρῆς , Μιλίτα , τὰς χεῖρας Ἀθήνης ,  
 » Τοὺς μαζοὺς Παφίης , τὰ σφυρὰ τῆς Θίτιδος. »

- « At celsæ insiluit majestas regia frontî ,
- » Quosque amor et Paphia pellicit, illa fugat.
- » Cetera quid sequar? et coelo data signa sereno?
- » Astraque veridicis lapsaque et orta polis?
- » Quid te fatiferi quidquam scrutator Olympi ,
- » Natalique super, sideribusque rogem?
- » Magua fides, superis micuisse faventibus igneis ,
- » Qui formam, et mores, ingeniumque darent.
- » Jusque homines supra, Veneremque, Deumque volucrem ,
- » Inque ipsum (si non sidera falsa) Jovem.
- » Non aliena loquor, venturi certus aruspex
- » Hos dedit eventus, matre petente, meos.
- » Infelix, felixque Puer, modo fata tulerunt ,
- » Perpetuam dominam, servitiumque tibi.
- » Cynthia es illa, tibi longos servire per annos
- » Destruor, magnis par reor esse Diis. etc. »

Deinde poëta profitetur se amicæ suæ morem gessurum, eamque secuturum esse ad extremum terræ angulum, et tandem ita canit :

- « Nos Veneri morem, moremque geramus amori ,
- » Nunc quoniam nobis ille, vel illa favet.
- » Dicantur bona verba, Deis reddantur honores ,
- » Præcipua hæc sacris, cælitibusque dies.
- » Te dedit hac Genius, sacrum Geniale paramus .
- » Quiquis ades, nexas flore perunge comas.
- » Nunc proferre decet, quos misit Eous, odores ,
- » Quosque Hispana novo puppis ab orbe tulit.
- » Nec quisquam incedat pulla sub veste, sed albis
- » Ad sacra contendant fœmina virque togis.
- » Nec gregibus, sed thure litent, et flore reposto ,
- » Innocuus nullo sanguine gaudet amor. »

Strozza suam ipse agens causam multus est in laudanda puellæ suæ forma, Tibulliana prorsus ratione omina inducens (1), eique, ut fit, æternum servitium

---

(1) Tibullus valde omnibus et somniis gaudet. Vid. L. I. El. 3. L. III. El. 4. L. II. El. 6, 37 et passim.

promittit, eamque ad ultimas terras secuturus est. Ceterum, quod ad versus attinet, mihi quidem aurea ætate dignissimi videntur, una vel altera labe excepta. (1) — Quamquam hoc quidem carmen non inter pulcherrimas Strozæ elegias ponam (2), his enim versibus magis etiam ad Tibullianum colorem accedere videtur (3) :

- « Nabat Erythræa materna per æquora concha,  
 » Qualis erat spumis edita, nata Venus.  
 » Semidei assiliunt circum Tritones, et unca  
 » Permulcent hilares littora festa tuba.  
 » Oceanusque pater, longævaque Thetis, utrimque  
 » Æquoris alta jubent subsiluisse vada,  
 » Utque natant propius, propiusque tuentur alumnam,  
 » It magis inde novus cana per ossa calor.  
 » Nullus adhuc sterili degebat in æquora piscis.  
 » Tunc gelidum memorant iucaluisse salum.  
 » Protinus orta ferunt immani corpore cetæ,  
 » Quæque latet magno squamea turba mari.  
 » Prima sed ut tetigit concha fluitante Cythera  
 » Æquore cœrulei prosiliere Dei.  
 » Excipiuntque manu, primoque in littore sistunt,  
 » Purpureisque ferunt oscula mille genis,  
 » Atque aliquis presso Divæ ore protervior hæret,  
 » Clanique terit nudum nudus et ipse latus.  
 » Ver erat, et tepidi flabat levis aurâ Favoni,  
 » Flore novo ingreditur, qua Dea vernat humus etc. »

Eodem modo tota elegia scripta est, imo vero omnes fere Strozæ elegiæ eandem pulcritudinem, eandem gratiam, eundem Tibullianum colorem spirant, ita ut si meam liceat proferre sententiam, Herculem Strozam recentiorum Ti-

---

(1) V. c. *destruor*, *obsequiosior* etc. quæ voces minus latinæ sunt. Ita sint etiam quos versus 3 offendat.

(2) Titi Strozæ carmen in natalem amicæ Anthiæ Lib. 4. El. 5 mihi pulcrius videtur.

(3) Amor. L. 2. El. 5. V. 15 sqq.

bullum dicam. A qua opinione non multum dissentit Heynius, dicens (1) : « Inter » recentiores poëtas Tibulli ingenium induisse plane videri potest Hercules » Strozza, cujus Amoris nihil mollius, nihil ingeniosius vidi; in comparandis » vero illis cum multis Tibulli locis singularem voluptatem percepi. » Tibullus elegia quadam (2) celebrat discessum amicæ ex urbe, quem præter alios egregie secuti sunt uterque Strozza, (3) inprimis Hercules, qui tamen interdum lascivior quam par est. Tibulli elegia una ex præstantissimis hujus poëtæ est habenda; ποιητικωτάτη inprimis mihi visa est narratio Apollinis Admeti boves pascentis; illud certe animum cujusque capere debet :

« O quoties illo vitulum gestante per agros  
» Dicitur occurrens erubuisse soror. »

Verum nemo etiam laudem H. Strozze denegabit, ita canenti :

« Urbe meus discedit amor, discedere et ipse  
» Cogor, amicorum maxime Bembe vale.  
» Rura peto, valcatque forum, valeantque sodales.  
» Et Venus, et Veneris cessit in arva puer.  
» Pascit amor pecus, at numerum Cytherea recenset.  
» Vomere dura gravi jugera findit Hymen.  
» Et Dominam mirantur oves, Dominamque volucrum  
» Vicinosque rudis combibit agna facces.  
» Plus solito petulans aries salit, ictaque tellus  
» Sentit aratori numen inesse suo.  
» Vernat ager, gaudentque greges, gaudentque coloni  
» Falciferique putant secla redisse senis. »

Sequitur palmaria sed protervior descriptio amantium sub Saturno rege conditionis. Pergit deinde poëta in laudanda puella sua hoc modo :

---

(1) Pag. 14 de Tibulli Cod. et Edition.

(2) Eleg. 3. Lib. 2.

(3) Titus Strozza Lib. 1. Eleg. 5; Hercules. Lib. 1. p. 65.

- « Ferreus ah quicumque tuos perspexit ocellos ,  
» Et negat ad maneis te mea vita sequi :
- » Quærat opes alius, finesque extendat avitos ,  
» Et celeres multo comparet ære Syros.
- » Quem malus exagitet noctesque diesque Cupido  
» Cui ferat occultam serva caterva necem.
- » Mi potius liceat resonante sub ilice tecum  
» Degere securos, Parthenopæa, dies,
- » Urgentemque famem vili restinguere victu ,  
» Pellereque Eridano pocula dante sitim.
- » Expressosve cavis manibus sorbere racemos.  
» Aut bibere e pleno candida musta lacu.
- » Tunc juvet enixæ fœtum legisse capellæ,  
» Inque meo tremulum detinuisse siu.
- » Pascentemque gregem querulis mulcere cicutis,  
» Humidaque in mediis oscula ferre sonis. »

Omnia mihi elegantissima videntur ; prioribus versibus ingenue Tibullum imitatus est ita canentem :

- « Divitias alius fulvo sibi congerat auro ,  
» Et teneat culti jugera multa soli,
- » Quem labor adsiduus vicino terreat hoste ,  
» Martia cui somnos classica pulsa fugent :
- » Me mea paupertas vitæ traducat inertî ,  
» Dum meus assiduo luceat igne focus.
- » Ipse seram teneras maturo tempore vites  
» Rusticus, et facili grandia poma manu.
- » Nec spes destituat, sed frugum semper acervos  
» Præbeat, et pleno pingua musta lacu. »

Atque hæc de Strozis sufficiant, qui, si qui alii, veri poëtæ, et inter principes neolatinos, etiam quod ad dictionis elegantiam et antiquitatis colorem attinget, sunt habendi.

Titum Strozam felicissime Ovidium, Herculem vero Tibullum exprimentem vidimus; sequitur Sannazarius, qui unus in paucis optime Propertium secutus esse

dicitur , a quo tamen ubi recedit , felix quoque in Tibullo exprimendo fuit (1).  
Audiamus carmen ejus : (2)

In Dominæ Natalem.

Ad Junonem.

- « Junoni fer sacra , novas lege , Musa , coronas ;  
» Natalis dominæ jam mihi festus adest.  
» Ipsa sed inprimis solemnes indue cultus ;  
» Et mihi purpurea tempora cinge rosa.  
» Utque aliquid gratas olivæ meditemur ad aras (3) ,  
» Affèr in auratæ garrula plectra lyræ. (4)  
» Tu quoque , vita , tuos auro subnecte capillos ;  
» Plurimaque in niveo pectore gemma mices.  
» Hæc mihi te , mea lux , seros promisit in annos , (5).  
» Hæc mihi te certam jussit habere dies.  
» Quanta mihi hac primum fulserunt gaudia luce ?  
» Quantus in hoc uno tempore venit honos ?  
» O mihi Erythræis merito signanda lapillis : (6)

(1) Vid. Heynius , pag. 14. de Tibulli Cod. et Edit.

(2) Lib. 2. Eleg. 8.

(3) Eodem modo verbo *meditari* usurpat Propertius El. 4. lib. 3. vs. 1.

« Arma Deus Cæsar dices *meditatur* ad Indos. »

(4) Sæpe *lyra* inprimis apud poëtas eroticos et elegiacos vocatur *Garrula*. Ut de aliis ta-  
ceam , Tibullus L. 3. El. 4. vs. 38.

« Pendebat læva *garrula* parte *lyra*. »

Idem fistulam vocat *garrulam* L. 2. El. 5. vs. 30.

(5) Contrario prorsus modo Propertius L. 1. El. 2.

« Quid juvat , ornato procedere vita capillo ,

» Et tennes Coa veste movere sinus ?

» Aut quid Orontea crines perfundere myrrha ?

» Teque peregrinis vendere muneribus ? etc. »

(6) Alias Romani feliciores dies nota alba , vel albo lapillo , infeliciores vero nota nigra ,  
vel nigro lapillo notare solebant. Cf. Interpp. ad Horat. L. 1. Od. 36. vs. 10 , inprimis au-  
tem Bentleius.



- » O mihi delicias inter habenda meas.  
» Quisquis ades, bona verba, et lætos edite cantus, (1)  
» Libaque de Siculo dulcia melle date.  
» Alba mihi vestis nullo violata veneno (2)  
» Adsit, et in geminos defluat apta pedes.  
» Ante aram viridi texant umbracula quercu  
» Formosis Dryades, rustica turba, comis. (3)  
» Phœbus odorata circumtegit atria lauro;  
» At Myrto duplices tu, Cytherea, fores.  
» Ipsa Arabum merces Nyseïa turba ministret;  
» Lenæusque ferat Naxia vina pater. (4)  
» Omnia sint lætis operata ex ordine sacris :  
» Et cœlum niveis constrepat alitibus.  
» Magna parens Juno, centum comitata ministris (5),

---

(1) Similiter cecinerunt Tibullus, Ovidius, et Strozza, uti supra vidimus.

(2) Tibullus L. 1. El. 10. vs. 27.

- « Hanc *pura* cum veste sequar myrtoque canistra  
» Vincita geram, myrto vincitus et ipse caput. »

Ubi *pura* significat, quod Sannazario dicitur *alba*.

(3) Tibullus idem negotium tribuit vernis. L. 2. El. 1 vs. 23, 24.

- « Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,  
» Ludet et ex virgibus extract ante casas. »

(4) Tibullus L. 2. El. 1. vs. 27 sqq.

- « Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos  
» Consulis, et Chio solvite vincla cado.  
» Vina diem celebrent; non festa luce madere  
» Est rubor, errantes et male ferre pedes.  
» Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat;  
» Nomeo et absentis singula verba sonent. »

Præclare autem apud Sannazarium ipse Pater vina affert.

(5) Egregie Junonis gravitatem exprimit illud *centum comitata ministris*. Tibullus L. 2. El. 1. vs. 3.

- « Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva  
» Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres. »

- « Huc ades, et votis annue, Diva, meis.  
 » Vos quoque per vacuum quæ luditis aëra, Nymphæ,  
 » Cingite felici nubila summa choro.  
 » Scilicet eventus hæc sint bona signa futuri:  
 » Hæc eadem plenæ nuntia lætitiæ.  
 » Ipse ego vestra sequar jucundo gaudia plausu,  
 » Et peragam varios ore, manuque modos:  
 » Quin etiam scrtis, et thure calentibus aris,  
 » Excipiam sancta numina vestra die.  
 » At tu, natalis, nullos non fauste per annos,  
 » Semper honorata luce serenus eas.  
 » Quodque opto, innumeras (si quod prece posse putamus)  
 » Cumaëæ vincas vatis Olympiadas. »

Extat apud Tibullum Elegia quædam etiam in natalem puellæ ad Junonem (1), quam ideo adscribere non pigebit, quia brevissimum illud carmen pulcherrimum est, et optime exinde intelligi potest, quam diverse ambo poëtæ simile argumentum tractaverint :

- « Natalis Juno, sanctos cape thuris honores,  
 » Quos tibi dat tenera docta puella manu.  
 » Tota tibi est hodie; tibi se lætissima comsit,  
 » Staret ut ante tuos conspicienda focos:  
 » Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat;  
 » Est tamen, occulte cui placuisse velit.  
 » At tu, sancta, fave, ne nox divellat amantes;  
 » Sed juveni quæso mutua viucla para.  
 » Sic bene compones; ulli non ille puellæ  
 » Servire, aut cuiquam dignior illa viro.  
 » Nec possit cupidus vigilans deprendere custos;  
 » Fallendique vias mille ministret Amor.  
 » Adnæ, purpureaque veni pellucida palla.  
 » Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.  
 » Præcipit en natæ mater studiosa, quid optet;  
 » Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.

---

(1) Lib. 4. El. 6.

- » Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ;
- » Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
- » Sic juveni gratis, veniet cum proximus annus,
- » Hic idem votis jam vetus adsit amor.»

In illo carmine vides amantem læte de sua salute exultantem; omnia apud eum læta spirant; congregat turbam Deorum Dearumque et Nympharum in agro suo, ut una secum Natalem Dominæ celebrent. — In hoc vero cernis puellam puellæ prorsus modo agentem, quæ scilicet se comat in honorem natalis diei; neque tamen uni Deæ se comat; est enim alius, cui clam placere vult. Ille gratias agit Natali de eo, quod sibi contigerit, hoc die puellam certam habere; hæc vero Junonem precatur, ut sibi tutas cum amante noctes concedat. Verbo in illo vides juvenem, in hoc vero puellam; uterque autem poëta varios amoris sensus egregie expressit.

Licet plura Sannazarii carmina (1) cum veterum poëtarum elegiis conferre possimus, illud in hacce disputatione egimus, ut quorum poëtarum opera in plurium manibus versarentur (in quibus Sannazarius principem quemdam occupat locum) eorum carmina minus adscriberemus; qui vero, quamvis præstantissimi, minus noti essent, in iis recensendis longiores essemus.

Petamus igitur alium Italum, Mar. Ant. Flaminium, qui non minus quam Strozæ et Sannazarius poëtica laude inclaruit, imo vero qui in Hendécasyllabis Catullum interdum assecutus est, in Lyrica poësi felicissime Horatium expressit, et in Elegiis nescio quantam suavitatem præ se fert et elegantiam. Audiamus carmen ejus (2) cui nomen

Janthis.

- « Venisti tandem, tandem, mea sola voluptas,
- » Venisti, et lucem miseræ vitamque tulisti.
- » Quantum vere novo gaudet lasciva capella,
- » Æstivis quantum sitientes imbribus horti,
- » Tantum, Mopse, tuo reditu lætatur Janthis.

---

(1) Inprimis lib. 2. Carm. I. cum Propertii l. 2. Carm. I.

(2) Carm. II. lib. 2.

- » Te sine, care puer, leto mihi tristior ipso  
 » Vita fuit, taroque dies mihi tardior anno.  
 » Sen tenebras Vesper, seu lucem ferret Eoüs,  
 » Me flentem Vesper, flentem cernebat Eoüs.  
 » Lugebant sylvæ, lugebant mollia prata,  
 » Formosusque suos amiserat hortus honores;  
 » Et desiderio domini pecus omne peribat.  
 » Dulcia nunc tecum redierunt gaudia cunctis.  
 » Aspice, te læta pinus complectitur umbra;  
 » Arguto properans te murmure lympa salutat,  
 » Albaque purpureum tibi ducunt poma colorem;  
 » Ipsa ego nunc dulci saturabo lumina vultu.  
 » Discedet macies, discedet corpore pallor,  
 » Et tecum longos peragam feliciter annos.  
 » Seu teneras solito pasces in monte capellas,  
 » Seu patrios fines linques, et pabula nota,  
 » Quidquid ages, formose puer, tua cara puella  
 » Tecum semper erit, terras comes ibit in omnes.  
 » Jam didici, quid sit juvenem expectare morantem:  
 » Exspectans una vel nocte puella senescit.

Nemo non in lepidissimo hoc carmine naturam egregie secutam et veteres ingenue imitatos esse affirmare dubitet.

Inter celebratissimas totius Antiquitatis fabulas pertinet procul dubio fabula de amoribus Herculis et Hylæ. Cui enim non dictus Hylas? Ex antiquis præcipue eam retulerunt præter Apollonium Rhodium, (1) Theocritus (2), Propertius (3), et Valerius Flaccus (4); e recentioribus autem M. Ant. Flaminus (5), Joh. Bapt. Amaltheus, (6) et Dan. Heynsius (7). Nobis igitur comparisonem re-

---

(1) L. 1.

(2) Idyll. 13.

(3) L. 1. Eleg. 20.

(4) L. 3.

(5) L. 2. Carm. 6.

(6) Pag. 420. Edit. Broukh.

(7) Monobibl. El. 5.

centiorum cum veteris Latii poëtis instituentibus; non utilitatis neque jucunditatis expers negotium visum est videre, num hæc recentiorum carmina digna sint, quæ cum Propertiano comparentur.

In fabulæ narratione recentiores secuti sunt Propertium et Theocritum, (1) qui hoc fere modo eam narrant. Hylas, Theodamantis filius, ab Hercule raptus, in expeditione Argonautica ejus comes fuit. In itinere e navi egressus, cum ad fontem quemdam substitisset, ut sitim levaret, Nymphæ cum rapuisse dicuntur; quod cum animadverteret Hercules, relictis Argonautis, errabundus per saltus et devia Hylam suum frustra quæsivit. — Videamus nunc quomodo apud singulos poëtas Hylas in via ad fontem occurrat. Propertius ita canit: (2)

- « Hic manus heroum placidis ut constitit oris,  
 « Mollia composita litora fronde tegit (3).  
 « At comes invicti juvenis processerat ultra  
 « Raram sepositi quærere fontis aquam (4).

(1) Diverso modo narratur ab Apollonio et Valerio Flacco; quos comparavit inter se Petrus Burmannus in præfat. ad Valerium; qui, cum in hac fabula referenda, tum in ceteris omnibus, Apollonium longe antecellere ipsi videtur.

(2) L. L. vs. 20. sqq.

(3) *Fronde tegit.* Apollonii versus laudant hosce:

„ Τοι δὲ λιχαίην  
 „ Φυλλάδα λιμάνων φέρων ἄσπιτον ἀμήσαντες  
 „ Στοριουθαι. “

Et Theocriti

„ Πολλοὶ δὲ μίαν στορίσαντο χάμειναν  
 „ Λιμάν γὰρ σφὶν ἔκειτο μίγα στιβάδισσιν ὄνειαρ. “

(4) Ad verbum expressit illa Apollonii:

„ Τοφρα δ' ὄγλας χαλκῆ σὸν κάλπιδι νόσφιν ὀμιλον  
 „ Διζήτο κρήνης ἱερὸν ποτόν. “

- « Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,  
 « Hunc super et Zethes, hunc super et Calais,  
 « Oscula suspens instabant carpere plumis,  
 « Oscula et alterna ferre supina fuga.  
 « Ille sub extrema pendens secluditur ala,  
 « Et volucres ramo submovet insidias.  
 « Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:  
 « Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.  
 « Hic erat Arganthei Poge sub vertice montis (1)  
 « Grata domus Nymphis humida Thyniasin.  
 « Quam supra nullae pendebant debita curae  
 « Roscida desertis poma sub arboribus,  
 « Et circumrigo surgbant lilia prato  
 « Caudica purpureis mista papaveribus.  
 « Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,  
 « Proposito florem praetulit officio.  
 « Et modo formosis incumbens nescius undis  
 « Errorem blandis tardat imaginibus.  
 « Tandem haurire parat demissis flumina palmis,  
 « Innixus dextro plena trahens humero.  
 « Cujus ut accensae Dryades candore puellae,  
 « Miratae solitos destituere choros,  
 « Prolapsum leviter facili traxere liquore,  
 « Tum sonitum raptò corpore fecit Hylas.  
 « Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi  
 « Nomen ab extremis fontibus aura refert. »

(1) Cf. Theocritus L. L. vs. 36. sqq.

- , , Κῆχιθ' Ἴγλας ὁ ξανθὸς ὕδαρ ἐπιδ' ὄρπιον οἶσα'  
 ,, Αὐτῶν δ' Ἡράκλῃ καὶ ἄστειμφεῖ Τελαμῶνι  
 ,, (Οἱ μισοὶ ἄμφω ἑταίροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν)  
 ,, Χαλκίον ἄγγος ἔχων ταχὺ δὲ κραναὶ ἐνόησε,  
 ,, Ἥμιν ἐν χώρῳ περὶ δὲ θρύα πολλά πεφύκη  
 ,, Κυάνειον τε χιλίδιον, χλοερὰν τ' ἀδιάττον  
 ,, Καὶ θάλλοντα σίλινα, καὶ ἐιλίτιης ἀγρωσίς.

Dici vix potest, quam egregie Propertius fabulam hancce elaboraverit. Inprimis mihi arridet Hylas in via arborum fruges mirans et decerpens; qua in re imitatus est Propertium Amaltheus, ast audi, quam ingenue :

- « Ille (Hylas) vario texens e flore corollas,  
 « Incustoditum sæpe moratur iter.  
 « Nunc nova formosa decerpit lilia dextra,  
 « Nec teneris ornatserta papaveribus.  
 « Nunc etiam placidos invitat carmine ventos  
 « Ut levis æstivum temperet aura diem.  
 « Interdum auditis avium concentibus hæret,  
 « Tentat et argutos voce referre modos.  
 « Ille tamen prope fontis aquas incautus et amens  
 « Constitit et vanis arsit imaginibus.  
 « Miratur nigros oculos, miratur et ora;  
 « Et desiderio deperit ipse suo.  
 « Quæ te, inquit, formose puer, jam fata retardant?  
 « Complexuque meo sæpius eripiunt?  
 « Quid prohibet socio conjungere corpora lusu?  
 « Mutnaque alterius oscula ferre genis?  
 « Intueor dum pronus aquas, et brachia tendo  
 « Surgis, et hæc eadem tu quoque signa refers,  
 « Et tanquam nostri solitus miserescere luctus  
 « Confundis mæstis lumina lacrymulis.  
 « Audierant miseras liquido sub fonte querelas  
 « Naiades, aquæ imis exsiluere vadis.  
 « Tum puerum magni clamantem nomen amici (1),  
 « Certatim cupidis corripiunt manibus.  
 « Sed quid jam Alcides prosit, contraria quando  
 « Fata obstant, tanti conscia fata mali?  
 « Illum nymphæ arctis retinent complexibus omnes,

---

(1) Profecit ex Valerio Flacco. L. 3, 562 sqq.

- « Illa (Nympha) avidas injecta manus, hen sera cientem  
 « Auxilia, et magni referentem nomen amici  
 « Detrahit ».

- « Et cohibent fuis undique luminibus.  
 « Fulgebant nitidis argentea membra sub undis,  
 « Ut micat e magno Lucifer Oceano.  
 « Solantur lacrymantem , atque oscula dulcia figunt ;  
 « Ille tamen nescit cedere blanditiis.  
 « Interea iratusque sibi , plenusque timoris  
 « Implorat crebris vocibus auxilium ».

Quamvis nou negem Amaltheum hisce versibus sæpe Propertium ante oculos habuisse , illud etiam affirmo , mihi apud neminem ita puerilem Hylæ indolem arrisisse quam apud eum , qui usque ad versum 32 omnia fere a Propertio mutuatus est. Ubi vero ad fontem delatus est Hylas , prorsus prout puerulus , se miratur , neque intelligit quomodo puer sub aqua ei brachia tendat , nec tamen ad se properet. Nympharum quoque Hylam rapientium egregia est descriptio ; tota denique Elegia tanta cum gratia et venustate est confecta , ut supra nihil posse videatur.

Danielis Heynsii quoque Elegia , cui Titulus *Hylas* elegantissima est , et ad Propertii genium composita , ut ex hisce versibus patet :

- « Nympharum cupidos defendite semper amores ,  
 « Neve aliquis vestris prodeat e foribus ;  
 « Aut si cui male forte sitis tentaverit ora ,  
 « Sunt alii fontes , sunt alii latices.  
 « Hæc vobis matres edicimus : hæc Venus ipsa  
 « Suadet , et amissa mœstus Amor pharetra.  
 « Nesciit hoc magnorum infelix cura deorum ,  
 « Alcides , puero captus ab Argolico.  
 « Cui circum malas flos aureus emergebat ,  
 « Purpureis serpens undique temporibus.  
 « Nesciit , utque comes volucri descendit ab Argo ,  
 « Pergit Hylas puram quærere fontis aquam.  
 « Valle sub umbrosa , qua pumice desuper alta  
 « Humor aquæ prono murmure desiliens  
 « Pendebat nemore in medio. Puer inscius urnam  
 « ( Inscius hoc captas quippe videre Deas )  
 « Admovet. Ast ille sub frondibus hinc atque illinc  
 « Innocuum junctis involüant manibus. etc ».



Profecto hæc omnia Heysio dignissima sunt, neque, me quidem iudice, Amaltheo cedere debent. In finem mihi venustissime ita canere videtur :

- « Illum (Hylan) muscoso Nymphæ duxere sub antro,  
 « In vitreas sedes, in vitreos thalamos,  
 « Damnatum flammis et virgineo Hymenæo.  
 « Undique Hymen lætis ibat ab arboribus,  
 « Undique Hymen toto reddebat vertice sylva,  
 « Nil metuens crudas Herculis exuvias;  
 « Ant nodosa cavam, quæ complent pondera dextram,  
 « Grajaque dilectæ robora militiæ.  
 « Sic formosus Hylas divorum cœpit haberi,  
 « Additus æternis corpore Naiasin ».

Videndum nunc ultimo loco est, num M. Ant. Flaminius enarranda hacce fabula dignum se præstiterit, qui cum recentioribus et Propertio de præmio certet. Fontem, ad quem substitit Hylas, ita describit :

- « Fons erat in sylva puris argenteus undis,  
 « Quem bicolore tegit populus alta coma.  
 « Ac circum Paphiæ densant umbracula myrtus,  
 « Et parit assiduas aura benigna rosas.  
 « Narcissumque, crocumque, immortalemque amaranthum,  
 « Et te flebilibus scriptum, hyacinthe, notis.  
 « In medio faciles nudato corpore Nymph  
 « Ludebant sparsis per rosea ora comis.  
 « Quæ puerum cupido miratæ lumine, cum vix  
 « Illius molles tingeret unda pedes.  
 « Arreptum subito vitreum traxere sub amnem;  
 « Ut quondam veris tempore purpurei (1)

(1) Imitatio est Theocriti vs. 49 sqq.

Κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ  
 „ Ἄθροός, ὡς, ἔκα πυρρός ἀπ' οὐραϊῶ ἥριπιν ἀστήρ  
 „ Ἄθροός ἐν πόντῳ, ναύταις δὲ τις ἴλιον ἱταίρος,  
 „ Κουφότερ', ὃ παῖδες, παιῖσθ' ἔπλα πλειυστικός οὖρος.

Cf. Amalthei vs. 52.

- « Stella volans , cœlo noctis delapsa per umbram  
« Emicat , usque alto conditur Oceano.  
« Tum lætus clamat summa de puppe magister  
« Candida felici pandite vela Noto :  
« Pandite ; nam cœlo Superi bona signa dedere.  
« Sic ait , et placidis per mare fertur aquis.  
« At miser Alcides , casu percussus acerbo ,  
« Amissum toto litore clamat Hylam.  
« Litore Hylam , furibundus Hylam per devia quærit ; (1)  
« Qualis thuricremas parva juvenca deûm (2)  
« Concidit ante aras ; sed fati nescia mater  
« Non jam frondifero pascitur in nemore ;  
« Nec dulcem puri libavit fluminis undam ,  
« Sed fertur celeri per nemora alta pede ,  
« Omnia mugitu complens , si forte veniret  
« Bucula maternis obvia luminibus.  
« Sic heros Hyla ingeminans , Hyla omnia replens

---

(1) Pulcre quoque Valerius Flaccus , lib. 3 , vs. 593. sqq.

Volat ordine nullo

- « Cuncta petens ; nunc ad ripas , dejectaque saxis  
« Flumina , nunc notas nemorum procurrit ad umbras :  
« Rursus , Hylam , et rursus Hylam per longa reclamat  
« Avia , responsant sylvæ , et vana certat imago ».

Ita Virgilius quoque Bucol. Eclog. 6. vs. 43. sq.

- « His adjungit Hylam , nautæ quo fonte relictum  
« Clamassent : ut littus , Hyla , Hyla , omne sonaret ».

(2) Theocritus. vs. 61. sqq.

- », Ὡς δ' ὀπίκ' ἠΰγενειος ἀποπροθίλις ἰσακούσας  
», Νεβρῶ φθειζαμένας τις ἐν ἄρεισιν , ἀμοφαγὸς λῆς  
», Ἐξ ἰνῶς ἔσκειυεν ἰτοιμοτάταν ἐπι δαῖτα  
», Ηρακλῆς τοίoutos “ κ. τ. λ.

- « Errabat dubio per loca sola pede.  
 « Quantas ille fero profudit corde querelas!  
 « Pallenti quantas ore dedit lachrymas!  
 « Cuni sæpe optaret scopulo se mittere ab alto  
 « Aut vitam rapidis ponere fluminibus! »

Nunc autem, postquam ex omnibus Elegiacis poëtis qui Hylæ fabulam narraverunt, loca attulimus, dubii profecto hæremus, cuinam palma sit tribuenda, cum omnes mihi pari fere laude digni videntur. Flaminius quoque egregie animi affectus expressisse mihi visus est; omnesque neolatini poëtæ, qui in hacce fabula tractanda versati sunt, egregia carmina condidisse videntur, digna sane, quæ cum Propertii elegia conferantur.

Hæc de Italis sufficiant, apud quem populum ita neolatina poësis floruit, ut pulcherrima monumenta nobis omni in genere reliquerit. Silentio prætermisi Pontanum, Bembum et Molsam, omnes in amoribus molles, lepidos et venustos, quia omnes recensere infinitum sit. Nunc autem ad Germanos tendamus, apud quos tres præstantissimi poëtæ Elegiaci inveniuntur, *Eobanus Hessus*, *Petrus Lotichius Secundus*, et *Ferdinandus Furstenbergius*. Cum autem ceteri longe a Lotichio superentur, de hoc unice dicemus.

Lotichius igitur, quamvis a nonnullis inter Ovidii æmulatores ponatur, tamen, ut præclare docuit Burmannus, merito iis adnumerandus est, qui Tibullum sequuti sunt, quem Ovidio etiam prætulisse videtur. (1) De Lotichio unum

(1) Patet hoc e Carm. L. 3. Carm. 36. vs. 23 seq.

- « Hunc quondam facilem pharetrato semper amori  
 « Ipsa Venus campos duxit ad Elysios.  
 « Hac duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica  
 « Caste puer, castis carmina finge modis.  
 « Ipse quidem, nec vera nego, Sulmonis aquosi  
 « Ad Musas proprius monstrat alumnus iter.  
 « Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,  
 « Quantum voce alias Daulias ales aves. »

omnium doctorum virorum perhibetur iudicium, eum scilicet, si quis alius, mereri verum et genuinum neolatinum poëtam dici et haberi. Omnia ejus carmina nescio qua suavitate et elegantia prædita sunt, neque unum in tam multis invenias, quod non in suo genere pulchrum sit habendum. Incido forte in Elegiam tertiam libri quarti, e qua nonnulla apponere lubet. Est autem carmen nuptiale :

- « Primus Hymen, caram juveni, caramque puellæ  
 « Conjuuxit juvenem, certa que jura dedit.  
 « Ante vagos hominum genus exercebat amores,  
 « Nulla verecundi causa pudoris erat.  
 « Invia pro thalamis nemorum deserta colebant, (1)  
 « Antraque furtivum sæpe cubile dabant.  
 « Primus Hymen docuit lectum servare pudicum,  
 « Et statuit proprio quemque jacere toro.  
 « Idem virginibus formæ præcepta colendæ  
 » Tradidit, ut cultus possit habere modum :  
 u Neque genis limisve oculis, nutuque loquaci (2)  
 « Neve superciliis falleret ulla virum.  
 « Tu populos, genialis Hymen, moderaris, et urbes,  
 « Tu facis unius corporis esse duos.  
 « Nec sine te Venus alma potest, Jovis inclyta proles (3)

---

(1) Cff. loca veterum et neolatorum poëtarum, quæ Burmannus ad h. l. citat; præ ceteris tamen recentiorum eminent quæ Hercules Strozza cecinit, L. 3. El. 2. vs. 25. sqq. et Janus secundus, l. 1 (male Burmannus operarum vitio, l. 2). El. 7. vs. 65.

(2) *Limisve oculis*. Eleganter ita veteribus dicuntur oculi obliqui et lascivia prurientes. Ovidius Amor. 1, 33.

« Altera (si memini) limis subrisit ocellis. »

Cf. Burmannus, qui multa loca affert.

(3) Egregia imitatio Catulliani Epithalam. Manlii et Juliæ vs. 56 sqq.

- « Tu fero juveni in manus  
 « Floridam ipse puellulam  
 « Matris e gremio suæ

- » Comprobet, adsensu quod bona fama suo.
- » Dulcis Hymen, Hymenæe, Hymen, quid gaudia differs?
  - » Tædifer Uraoiæ nate sororis ubi es?
- » Adspice brumali dum torpet frigore cælum, (1)
  - » Ut tristes errant per nemus omne feræ.
- » Nullus honor sylvis, mœrent sine amore volucres,
  - » Et gemitu vidui turturis arva sonant.
- » Cœlibis hæc vita est, consorte carentis imago,
  - » Hæc desolati tristis amoris hiems.
- » Eia age, dulcis Hymen, quid vota moraris amantum?
  - » Huc ades, o sacris, blande Hymenæe, tuis.
- » Vere novo, molli cum vernat gramine tellus,
  - » Arbor et umbrosas explicat alta comas,
- » Luxuriant, saliuntque greges, tectæque sub altis
  - » Frondibus argutæ consociantur aves.

- 
- » Dedis o Hymenæe Hymen
  - » Hymen, o Hymenæe!
  - » Nil potest sine te Venus,
  - » Fama quod bona comprobet,
  - » Commodi capere, at potest
  - » Te volente: quis huic Deo
  - » Comparari ausit? »

(1) In notis ad egregium huncce locum miror Burmannum non laudasse hosce Catulli versus: Carm. 62 vs. 48 sq., non minus præclaros:

- » Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
- » Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam,
- » Sed tenerum pronò deflectens pondere corpus,
- » Jamjam contingit summum radice flagellum;
- » Hanc nulli agricolæ, nulli accolluere juvenci:
- » Ac si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
- » Multi illam agricolæ, multi accolluere juvenci:
- » Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit,
- » Cum par connubium maturo tempore adepta est,
- » Cara viro magis, et minus est invisâ parenti.»

- « Gemmas vitis agit, teneras humus educat herbas,
- » Induit et flores quælibet herba suos.
- » Talis cum socia fecundus conjuge lectus.
- » Sic etiam fructum femina virque ferunt.»

Hocce carmine nescio profecto quid dulcius jucundiusque dici excogitari possit. Quamvis aliquem poëtam hic illic ante oculos habuerit, semper tamen suus mansit. Patet hoc cum ex omnibus fere ejus carminibus, tum ex nobilissimo illo : *inferiæ ad fratris tumulum*, quo Catullum expressit. Catullus ita canit :

- « Multas per gentes, et multa per æquora vectus
- » Adveni has miseras, frater, ad inferias,
- » Ut te postremo donarem munere mortis,
- » Et mutum nequidquam alloquerer cinerem;
- » Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum;
- » Heu miser indigne frater ademte mihi.
- » Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
- » Tradita sunt tristes munera ad inferias,
- » Accipe, fraterno multum manantia fletu :
- » Atque in perpetuum, frater, have atque vale.»

Eodem in genere Romani mihi nullum habere videntur carmen quod huicce Catulliano comparare possint. Vide tamen quomodo inter recentiores idem argumentum Lotichius cecinerit, Lib. I Carm. X :

- « Tandem post varios bellique viæque labores
- » Contigit ad cineres, Frater, adesse tuos.
- » Frater amabilior dulcis mihi lumine vitæ,
- » Ætheris heu pulcra quam cito luce cares !
- » Quatuor addideras septem natalibus annos;
- » Jamque lyra chordi, jam tibi carmen erat.
- » Tempore quo tecum spem nostram fata tulerunt,
- » Et lacrymis patrias Cynthius auxit aquas.
- » Non reditu poture tuo gaudere parentes;

- » Ingenii nullum divitis exstat opus.  
 » Ah miserande puer, peregrina condite terra,  
 » Dimidium tecum mors tulit atra mei.  
 » Gloria Musarum tu summa futurus, et olim  
 » Dulce decus nostrum, si licuisset, eras.  
 » Salve care cinis, frater carissime quondam,  
 » Nunc cinis, æternum rursus ave atque vale.»

Quamvis in laudem istiusmodi carminum addere quidquam supervacaneum sit, apponam tamen Burmanni iudicium, cui nemo facile intercedet. Affirmat ille (1), Lotichium hic æmulatum esse Catullum; et alio loco, neminem negaturum esse ait; Catullianam carminis modulationem a poëta cultissimo Ovidiana suavitate optime esse temperatam (2). Verba nobis desunt, quibus poëticas Lotichii dotes satis explicemus; ita enim ille cum Jano Secundo supra quosvis recentiores eminet, *ut stellas inter Luna minores.*

Ad Gallos non est quod divertamus. Principes apud eos sunt Menagius, Huctius, Moneta et Fraguarius, qui tamen omnes præter Menagium paucissimas elegias scripserunt. Menagii elegiæ magna laude dignæ sunt, verum eas non Lotichii, Hosschii vel aliorum elegiis comparem; neque eas ita pulcras iudicem, ut ipse auctor, qui a quodam interrogatus, quidnam sibi faciendum esset, ut bonus evaderet poëta, respondisse fertur: « lege mea carmina et Virgiliana (3). »

Properemus igitur ad Belgas, qui (præsertim si exiguam terræ partem, quam incolunt, spectaveris) audacter cum ceteris populis, tum de aliarum fere omnium bonarum artium, tum imprimis de neolatinæ poëseos gloria certare possunt (4). Apud quos igitur tanti tamque præclari Elegiaci poëtæ occurrunt, ut apud aliam gentem neminem. Horum agmen ducit Janus Secundus, de quo idcirco primum videamus.

(1) In notis ad h. l.

(2) In præfatione ad Lotichium, in qua præclara multa ioveniuntur pag. 10.

(3) Cf. Baillet tom. 4. Part. 2. pag. 447 et nota ad h. l.

(4) Eadem sentit Cl. Peerlkampius, p. 4.

Janus Secundus a multis Lotichio solet comparari (1). Nemo autem id meo quidem iudicio melius fecit Cl. Hœufftio, qui ita de utriusque poëtæ dotibus disserit : « Palmam Lotichius, si vera fateamur, numerositate quadam et ver- » suum structura, ac verborum simul et sententiarum, ex ipso corde manantium, » rotunditate, præripere quodammodo videtur, sed *elegantia ingenii* et lepore » longe Secundo cedit; ut adeo sine ullius injuria dici possit, si non omnium » recentiorum, at certe Belgarum poëtarum, qui latine scripserunt, facile prin- » cipem hunc habendum esse. » (2) Cui iudicio, a præclaro hac in scientia viro lato, si quid detrahere vellein, me id arrogantiae reum faceret; potius igitur illud confirmare studebo, nonnullis locis e Secundo allatis. Incido forte in carmen decimum libri primi, cui titulus *somnium*; qua elegia poëta summo artificio acceptum a Julia favorem sub somnii imagine celebrare videtur. (3)

« Ite procul mæstum, lacrymæ genus, ite querelæ, (4)

» Et comes aligeri cura vigil Pueri.

» Cinge triumphantes victrici fronde capillos

» Laurea, Phæbeæ grata corona comæ. (5)

» Misit in amplexus illam Venus aurea nostros,

» Prima mihi quæ fax, quæ mihi serus amor.

» Non fora, non portus, non jam populosa theatra,

» Templaque sunt nostris conscia blanditiis.

» Mater abest, digitis legem quæ ponat et ori,

(1) Vid. Morhoff. Polyh. Tom. 1. p. 1066. qui tamen Secundo Lotichium præfert. Cl. Peerkampius in aurea ejus dissert. sæpius laudata p. 38. iudicat, eos ambos habere, in quo regnent, neque Jovi ipsi adeo felici esse contingere, ut omnibus placeat.

(2) Parnass. Lat. Belgic. p. 27 sqq.

(3) Vid. Cl. Burmannus ad h. l.

(4) Burmannus laudat Tibullum L. 3. El. 6 vs. 7.

« Ite procul durum, curæ, genus, ite labores. »

(5) Cl. Bosscha laudat Ovidium Amor. II. El. 12. vs. 1.

« Ite triumphales circum mea tempora lauri!

« Vicimus; in nostro est ecce Corinna sinu. »



- » Et cogat tremulo murmure pauca loqui. (1)  
 » Osculaque aridulis non continuanda labellis  
 » Carpere, quæ juret barbara, quisquis amat;  
 » Et celare faces, et amici obtexere nomeu,  
 » Multaque, quæ solers fingere discit Amor.  
 » Sola jacet mecum semoto Julia lecto;  
 » Sola tamen solos non sinit esse Venus.  
 » Et puer unanimes comitatus in omoia vitas,  
 » Certus et exanimis, certus et ossa sequi.  
 » Forte vident et nos, qui spectant omnia, Divi,  
 » Delitiis nostris invidiosa cohors.  
 » Di, precor, o nostris ne lusibus invideatis;  
 » Non ego nunc vestris lusibus invideo.  
 » Julia te teneo; teneant sua gaudia Divi;  
 » Te teneo, mea lux, lux mea, te teneo.  
 » Julia te teneo, superi, teneatis Olympum.  
 » Quid loquor? an vere, Julia, te teneo?  
 » Dormione? an vigilo? vera hæc, an somnia sunt hæc?  
 » Somnia seu, seu sunt vera, fruamur age?  
 » Somnia si sint hæc, durent hæc somnia longum,  
 » Nec vigilem faciat, me precor, ulla dies.  
 » Et quicumque meo pones vestigia tecto,  
 » Parce pedum strepitu, comprime vocis iter.  
 » Sic tibi non unquam rumpant insomnia galli,  
 » Tardaque productæ tempora noctis eant;  
 » Plurima cum rubris tibi gemma legetur ab undis,  
 » Pactolique domus tota liquore fluct. »

(1) Vid. quæ Cl. Bosscha annotavit ad Relandi Galatheam VI vs. 1. Græci in eadem re usurpare solent ψιδυρίζειν, ut apud Theocrit. Idyll. κζ vs. 67.

„Ως οἱ μὲν χλοερῶσιν ἰαίνομενοι μελίσσειν  
 „ Ἀλλάλοις ψιδυρίζον.“

Piget autem me plura veterum loca, quæ expressit Secundus, adscribere, quia omnia fere leguntur in Ed. Bosschiana. Dignissimum est, quod ab omnibus legatur, lepidum illud Titi Strozæ carmen, cui etiam titulus est: *somnium*; exstat p. 122. Ed. Paris.

Cui tale carmen non mirifice placet, illum profecto, invitis Phœbo et Musis, natum esse crediderim. Quam vere enim et egregie omnia sunt expressa! Quam pura et elegans est dictio! Totum omnino carmen e Propertii vel Tibulli, non e recentioris cujusdam poëtæ ingenio profectum putares. Cecinit etiam Basia Secundus, quæ communi omnium consensu ita lepida sunt et venusta, ut supra nihil possit. Ex uno omnia discantur. Basio sexto ita canit poëta :

- « De meliore nota bis basia mille paciscens ,
- » Basia mille dedi, basia mille tuli.
- » Explesti numerum, fateor, jucunda Neæra ,
- » Expleri numero sed nequit ullus amor.
- » Quis laudet Cererem numeratis surgere aristas?
- » Gramen in irrigua quis numeravit humo?
- » Quis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis?
- » Agricola mæ Deum mille poposcit apes?
- » Quum pius irrorat sitientes Jupiter agros ,
- » Deciduae guttas non numeramus aquæ;
- » Sic quoque, quum ventis concussus inhorruit aer,
- » Sumsit et irata Jupiter arma manu ,
- » Grandine confusa terras, et cœrula pulsat,
- » Securus sternat, quot sata quotve locis.
- » Seu bona, seu mala sint, veniunt uberrima cœlo;
- » Majestas nomini convenit illa Jovis.
- » Tu quoque cum Dea sis, diva formosior illa ,
- » Concha per æquoreum quam vaga ducit iter,
- » Basia cur numero cœlestia dona coerces ,
- » Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
- » Nec lacrimas numeras, quæ per faciemque sinumque
- » Duxerunt rivos semper euntis aquæ?
- » Si numeras lacrymas, numeres licet oscula, et si
- » Non numeras lacrymas, oscula ne numeres;
- » Et mihi da miseri solatia vana doloris ,
- » Innumera innumeris basia pro lacrymis ».

Recte Cl. Bosscha de hoc carmine judicat, dicens : « Ovidianam elegantiam » et ubertatem præ se fert dulcissimum hoc poëma quod, ut ita dicam, rore » illo veterum sic est illitum, ut ab Augusti ævo profectum diceres. »

Atque hæc in medium protulimus, ut Secundi præstantiam declararem; ab eo tamen discessuris, liceat hæc Cl. Peerlkampii verba afferre (1), quibus optime Jani merita indicantur: « In omnibus, inquit, Secundi carminibus regnat elegantia » vere Romana. Dulcis est ubique et venustus, ipsi sæpe versus cum amatore quasi » languent; simplex nitet munditiis, ut puella Horatiana. Sed in his ipsis tamen » munditiis est negligentia quædam, qualis viros decet, quam sentire non des- » cribere possis. Sed de basiis hoc unum dicere restat, quod in iis Secundus se » ipse superaverit. Præterquam enim quod rei inventio est æque lepida atque » nova, (nam ante eum nemo, nec Græcus, nec Latinus, quantum equidem » sciam, in hoc argumento ita perpetuo versatus est), Dii boni, quam fertile, » quam luxurians illius ingenium esse dicamus, qui de re, ut est, tenui, tota » novemdecim carmina diversis adstricta numeris, ita composuerit, ut ea non » ex ore juvenis Batavi, sed ipsius Veneris coelestis effluxisse videantur. »

Proximus in censum venit summus nostras Hugo Grotius, qui ingenii vi et immensa sua doctrina tantum ceteris hominibus præstitit, quantum populus Batavus, ratione præsertim ejus magnitudinis habita, scientiis et artibus cunctas anteit nationes. Grotius igitur, ut in reliquis magnus fuit, ita in poësi sui nominis gloria omnino dignum sese præstitit (2). — Cum hic de elegia tantum sermo sit, proferamus nonnulla e nobilissimo illius ad Potheium carmine de hiemis commodis :

« Quam juvat iusomnem ventos audire gementes (3),  
» Tutaque in angusto membra levare toro ,

(1) L. L. p. 35.

(2) De Grotio poëta alii aliter sentierunt. Alii enim eum parum poëtam fuisse arbitrantur, pars vero, ut in reliquis magis fuit Grotius, ita in poësi maximum fuisse contendunt. Medium inter hos tenet Cl. Hocuffi. L. L. p. 129 in nota, qui egregium omnino de poëticis Grotii virtutibus judicium addit.

(3) Imitatus est Tibullum L. 1. El. 5. vs. 45 sqq.

« Quam juvat immites ventos audire cubantem  
» Et dominam tenero detinuisse sinu!  
» Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,  
» Securus somnos, imbre juvante, sequi. »

- » Et dominam fovisse sinu, si nocte suprema  
 » Frigidus hibernas moverit Auster aquas ?  
 » Felices quibus ista licent ; mihi bruma dierum  
 » Det bona ; sunt animi vota modesta mei.  
 » Me focus adspiciat dominæ circumdare tergo  
 » Brachiolum , et furtim non referenda loqui,  
 » Et prensare manus , et figere blanda labellis  
 » Basia , et in gremio ponere molle caput.  
 » Cedite, dicemus, mala frigora : duplici flamma  
 » Cingimur : hinc Veneris stat vir et inde puer.  
 » Tunc etiam noster sese felicibus alis  
 » Tolle, et ad cæli sidera surget amor.  
 » Cum mea lux glaciem mecum calcabit, et ibit (1)  
 » Per vada nocturno contabulata gelu.  
 » Quis putet ? In glacie veros invenimus ignes.  
 » Fervor in adstrictis frigore regnat aquis.  
 » Quis juvenum primus ferrati vincla cothurni  
 » Nexuit, et rapidis ocior ivit equis ?  
 » Quis docuit teneras iter hoc glaciale puellas  
 » Composuitque manus, composuitque pedes ?  
 » Lubrica sulcatur ferro via, lubrica certe  
 » Est via, ab insidiis, parve Cupido, tuis.  
 » Illo Mercurius posuit talaria viso  
 » Plus Batavos ipsis fassus habere Diis,  
 » Ipse quoque ad sollers stupuit Cytherea repertum ;  
 » Scilicet et dotes jussit adesse suas.  
 » Dos Veneris tæda est, et acutum missile, turba,  
 » Spargere per glaciem quæ puerilis amat.  
 » His aliquis tactus sero sua vulnera sensit,

---

(1) De cursu ferrato per glaciem v. Putani quæ affert Cl. Peerlkampius L. L. p. 313, qui tamen magis laudat de eadem re versus Hadriani Marii, quæ leguntur in poemat. Jani Secundi p. 261, 262. E Nostratibus egregie amorem in glacie induxerunt Tollens in carmine, *de Liefde op het ijs*, et Spandaw, *de winter op het land*, inprimis etiam Onno Zwier van Haren in immortalis poemate, *de Geuzen*.

» Vulnera nec soleis effugienda suis.

» I puer, hæc docto mea carmina defer amico,

» Me mea, me glacies, remigiumque vocant.»

Recte omnino de Grotio statuisse Cl. Peerlkampium, affirmantem ejus elegias esse ingeniosas, dulces, latinas, et mira rerum varietate adspersas, nemo dubitabit, qui vel hosce versus legerit. Uti autem de Grotio poëta diversæ eruditorum sunt sententiæ, ita quoque Barlæum nonnulli permagni, alii vero minimi faciunt. Qua de re lepidum exstat epigramma Cl. Hoeuffii (1) :

» In pretio cur tam multis Barlæa Camena,

» Tam multis eadem displicet? Astra petit.»

Quod enim laudatoribus sublime, idem vituperatoribus tumidum et a nativa aureæ ætatis elegantia quam alienissimum videtur. Quidquid sit, in elegiis magis sedatus fuit et placidus, (2) et Claudianum fere secutus est (3). A quo vero ubi discedit, Ovidii colorem mihi quodammodo induere videtur. Sed sunt majore poëtae, quibus Belgium jactari potest. Ut enim alios, qui eum ætate antecesserunt, taceam, adest *Sidronius Hosschius*, unus eorum, qui veterum vestigia, tam prope secuti sunt, ut eos adsecutos esse videantur. Elegiarum libros scripsit sex, in quibus Nasonem, maxime autem Tibullum ad imitandum sibi proposuit.

Videamus primi libri initium, quo libro novem elegiis vitam mari comparat; qua de re ita Cl. Peerlkampius (4) : « Si cui in mentem, ait, aliquando ve-

(1) L. I. p. 134.

(2) Vid. Cl. Peerlkamp. l. I. p. 319 apud quem multa de Barlæo inveniuntur.

(3) P. 370. Quanti Barlæus Claudianum fecit, patet ex versibus ejus, qui habentur, tom. I. p. 417. Ed. Amstel.

« Te sequimur, Phario vates celebrate Canopo,

» Solaque laus nostri carminis umbra tui est.»

Cf. N. Heinsius in dedic. lusus Saturnalitii, p. 289. Ed. Elz. Ams. 1666.

(4) L. I. p. 339.

» niat idem tentare, is profecto reperiet, quam difficile sit in tam longa alle-  
 » goriæ continuatione res easdem non identidem repetere. Sed hoc nimirum  
 » cavit venæ Hosschianæ fertilitas. Eadem rerum novarum varietas apparet in  
 » elegia nona, ac in prima. » Audiamus igitur illum ita canentem :

- « Vita mare est; res plena metu, res plena tumultu  
 » Utraque. Mortales credite, vita mare est.  
 » Neutri tuta fides: quot fluctibus aspera surgunt  
 » Æquora, tot causas illa timoris habet.  
 » Syrtibus infame est, saxisque latentibus æquor.  
 » Infamis scopulis est quoque vita suis.  
 » Saxa, maris scopuli; vitæ, sua cuique cupido;  
 » Hei mihi quot scopulus perdidit ille rates!  
 » Et fluit et refluit, rapiturque et volvitur æstu,  
 » Et stabile in sola mobilitate mare est.  
 » Litora nunc repetit, nunc litora deserit unda,  
 » Occurritque sibi, seque reversa fugit.  
 » Æstuat, et discors etiam sibi vita resistit,  
 » Perque suos æstus nostraque nosque rapit:  
 » Et modo quod prodest, temere aversatur et horret,  
 » Et modo quod lædit, per sua damna petit.  
 » Et dolet, et gaudet; speratque timetque; sibique  
 » Cedit et obsistit, nesciaque ipsa sui est.  
 » Nec magis immite est pelagus, quam vita, nec iræ  
 » Plus habet; hoc monstris, nec minus illa scatet.  
 » Est maris, est vitæ cursus metuendus et anceps;  
 » Publica naufragiis utraque facta via est.  
 » Adspicis ut vexent crudeles æquora venti?  
 » Ut tollant undas montibus illa pares?  
 » Concurrunt Euri Zephyris, Aquilonibus Austri;  
 » Præliaque in pelago, cum pelagoque gerunt.  
 » Vita quid hæc aliud, nisi tristis et aspera pugna est?  
 » Pace caret pelagus, vitæque pace caret. etc. »

Quam egregia sunt omnia! quam ingeniosa! quam latina!

- » Omnia ceu placidus, Zephyris agitantibus, aer,  
 » Omnia ceu puri tramitis unda fluunt. (1)

Vis ne alia exempla? Totus tibi Hosschius est perlegendus, et singuli versus tibi mirum in modum placebunt. Audi eum Sarbievium ita laudantem :

- « Non abit in pejus semper vitiosior ætas,  
 » Nec quamvis semel est ferrea, semper erit.  
 » Nomine nostra suo est melior, dicique meretur  
 » Aurea, carminibus nobilitate tuis.  
 » Hæc ego vos, Musæ, vestroque in monte virentes  
 » Jam pridem lauros edidicisse reor.  
 » Hæc ubi cantatur, nec saxa, nec æquora surda,  
 » Nec sunt indomitæ turba timenda feræ.  
 » Vos eritis testes Getico sub sidere cautes,  
 » Quique Lycaonio Ponte sub axe jaces.  
 » At neque solus habes auritas, Sarmata, rupes,  
 » Morantesve tenes, Vistula, solus aquas.  
 » Et Rhodope, et scopulis veniunt plaudentibus Alpes,  
 » Nullaque non montes gens vidit ire suos.  
 » Hæc Rhodanumque Padumque tenent, hæc carmina Rhenum,  
 » Oblitos notas, ut prius, ire vias.  
 » Hæsit sæpe Tagus, fulvaque reclinis in urna  
 » Dixit : « cuncta auro purius illa meo. »  
 » Sæpe aliquis nulla vates hæc legit in umbra,  
 » Et circum viridis protinus umbra stetit. »

A tam laudato poëta tam egregie laudari, Sarbievius profecto non ultimam sibi laudem esse putaverit. Quid enim in hisce versibus occurrit, quod non lubenter vel Ovidius, vel Tibullus sibi vindicasset? Hoc certe verum est neminem recentiorum Hosschium casta et eleganti dictione superasse, in qua adeo excelluit, ut eum non in Belgio sed Romæ natum fuisse certo crederes.

---

(1) Sunt versus Cl. Hoëufftii, desumpti ex epigrammate, quod in Hosschium confecit. p. 154.

Habebat Sidronius æqualem maxime sibi devinctum, quocum et moribus et dignitate (erat enim uterque e societate Jesu) et poëseos studio egregie conveniret, *Jacobum Wallium*, virum tanto amico dignissimum. Is enim erat Wallius, quem varii doctrinæ et poëseos laude florentes viri summis laudibus extulerunt. Broukhusius (1) eum appellat, *omnibus poëticæ artis laudibus florentissimum*; idem vir summus alio loco (2) *omnium Jesuitarum longe cultissimum*. Cl. Peerlkampius (3) eum *unum in paucis proxime ad Virgilium, Ovidium et Horatium accessisse* affirmat. Hoeufftius denique de eo ita canit (4):

- » Heroum seu condit opus, numerisque Maronis
- » Magnorum celebrat nomina clara virum;
- » Sive elegis dulcem reddit Sulmonis alumnum,
- » Sive alto lyricos intonat ore modos;
- » Seu jubet insueta Venusinum incedere veste, (5)
- » Carminis omnigena Wallius arte placet.
- » Quid jam Roma tuos, quid jactas, Græcia, vates?
- » Quod vestrum plures, Wallius unus habet. »

Qui vel carmen ejus *ad se ipsum, post obitum Hosschii* inspexerit, ille non dubitabit, quin æquum de eo tulerint eruditi judicium.

- « Ergo ubi summa dies nostros expleverit annos,
- » Quod sumus, injectus pulvis et urna teget?
- » Nec mihi profuerit, quod vates Numen habere
- » Credimur, et Divum proxima cura sumus?
- » Nec mihi quod chartas, et chartis digna notari
- » Nomina post cineres Musa perire vetet?

---

(1) Ad Propert. I. 2. 32.

(2) Ad Tibull. I. 5. 74.

(3) L. l. p. 360. Is etiam citat Burmannos ad Propertium, Lotichium, et Anthol. Lat et cet. apud quem igitur vide sis.

(4) L. l. p. 156.

(5) Respicit poëta paraphrasin Odarum Horatii.



- » Si quid id est, cari venient ad funera vates,  
 » Et tumulo titulum mœstaque sarta dabunt.  
 » Ossaque præteriens (si quis tamen illa viator  
 » Noverit et Musæ fama sit ulla meæ).  
 » Forsitan insperget violis ederaque virente  
 » Et leviter « vates hic quoque, dicet, erat. »  
 » Ulterius nihil est, quo se spes ardua vatam  
 » Porrigat : hoc pretio gens operosa sumus.  
 » Et mihi jam tanti est, aliquis si dicar in illis,  
 » Et populi veniat parvus in ora liber?  
 » Ah furor est, sacras aliquod captare per artes  
 » Nomen, et in famam vivere velle suam.  
 » Fama perit, pereunt artes, rapit omnia secum  
 » Et rogos infelix, et niger ille dies.  
 » Parnassi colles, et collibus addita famæ  
 » Limina, laurigeris undique septa viis,  
 » Parcite; non ego vos, quamquam mihi carus Apollo  
 » Annuat, inque suum me sinat ire nemus,  
 » Non ego vos ederas, si quas meruisse putamur,  
 » Non capiti posco laurea serva meo.  
 » Nec servant ederæ, nec servat laurea vatem,  
 » Et cineres frustra sera corona tegit. »

Nec minus elegantia sunt, quæ leguntur, p. 27.

- « Non illum vitæ (quid enim, quod ametur in illa est?)  
 » Tangit amor, quamvis hic quoque tangit amor.  
 » Omnia luctus habet : facies miserabilis urbi est.  
 » Nec dominum mœrens fert bene Lisa novum.  
 » Crudescunt morbi, procumbunt tabida passim  
 » Corpora; funeribus non caret ulla domus.  
 » Victoris nunc ira subit, nunc rapta gementi  
 » Libertas populo virginibusque pudor.  
 » Nec ruri, ut quondam, suus est honor; orba colonis  
 » Cessat, et informi squalida terra situ est.  
 » Hoc unum superest, lacrimis miscere querelas;  
 » Hoc uuum miseri flere levamen habent. »

Quid tandem obstat, quominus hæc omnia optimis quibusque poëtis latinis dignissima sint, vellem me scire. Equidem uti semper latinam recentiorum poësin magno honore habui, ita Wallium unum e paucis existimavi, cui tam multa genera æque fere feliciter cesserunt.

Atque ea ætate patria nostra poëtarum tam qui Latino quam qui Belgico sermone cecinerunt, multitudine ac præstantia conspicua fuit. *Hoofdius* enim, *Vondelius*, *Hugenius*, *Catsius*, *Westerbanius*, *Barlæus*, *Francius*, *Broukhuisius*, *Kinschottus*, *Rutgersius*, *Heinsii*, aliique permulti tunc temporis vel Latina, vel Batava, vel etiam utraque lingua egregie cecinerunt. Horum igitur nonnulli adhuc recensendi supersunt.

Initium faciamus a Daniele Heinsio, qui plus quam ceteri Græcos est imitatus, quique in elegiarum Monobiblo proxime ad Propertium accedit, in reliquis vero elegiis Ovidio propior est (1). Utriusque rei exemplum adferamus. Prioris quidem documentum est Elegia 10 Monobib. (2)

- « At vos desertas ignoto sidere terras  
 » Et rupes omnes curritis et pelagos.  
 » Si qua ibi deliteat vestro medicina furori,  
 » Et semper cupidam pascat avaritiam;  
 » Nos pulchris dominæ complexibus immorientes,  
 » Exercet semper una eademque via.  
 » Nam modo formoso erramus spirantis in ore,  
 » Oris purpureæ cum patuere fores:  
 » Nunc malas circumvehimur, quas ipsa Dione

---

(1) Vid. Cl. Peerkamp. p. 353, qui universe ita de nostratibus poëtis latinis disserit: « Belgici poëtæ illud plerumque numerorum genus amaverunt, quo Catullus, Tibullus et Propertius versus suos ornare solebant, sive quod in iis numeris sit gravitas quædam, quæ cum gentis ingenio optime conveniat; sive quod modulatio ad subjectam rerum sententiam apta et accommodata, et jucunda varietas animo auribusque magis satisfaciat. » — De Daniele Heinsio vid. etiam Hocuffius, pag. 121, 122, qui cum pulcro epigrammate ornavit.

(2) Pag. 200. Ed. 1649.

- » Incolit, et multa cum face lustrat Amor. (1).  
 » Nunc victi collo pendemus, et omnia Divum  
 » Munera defixo cernimus intuitu :  
 » Astrorum nunc rivales habitamus ocellos,  
 » Et pariter mente abducimur atque animo.  
 » Ceu quondam patriis extorris finibus erro,  
 » Expertas ausus non prius ire vias,  
 » Per nemora omnia fertur, et omnia amœna viarum,  
 » Demens, in patriæ totus amore suæ.  
 » Tum si inter ramos olli penitusque sub umbra  
 » Fons sylva sese prodidit in media,  
 » Qui nemus undique reddit, et undique amœna viarum  
 » Omnia, gemmante candidior glacie :  
 » Hæc multa percussus imagine vanus inhæret,  
 » Et sylvæ effigiem cernit, et omne nemus.  
 » Dum perlustranti defessis sensibus omnia,  
 » Defessis torpor sensibus incubuit.  
 » Sic nos errantes tremulos dominæ per ocellos,  
 » Mors captos sola hinc ducet et abripit.»

(1) Uti apud Heinsium Dione, ita apud Horatium Carm. IV B, 8. Cupido genas incolit :

- « Et cantu tremulo pota Cupidinem  
 » Lentum sollicitas. Ille virentis, et  
 » Doctæ psallere Chiræ,  
 » Pulcris excubat in genis.»

Ad quem locum vid. Dacierius. Horatius ea petiit ex Sophoclis Antigone vs. 781. Ed. Brunck.

- „ Ερως ἀνίκαιε μάχαν,  
 „ Ερως, ὅς ἐν κτήμασι πίπτεις,  
 „ Ὅς ἐν μαλακαῖς παρσιᾶϊς  
 „ Νικαίδος ἰνυχιύεις.“

Quamvis tamen illud *excubare* et *ἰνυχιύειν* mihi elegantius dictum videtur, quam apud Heinsium *incolere*. Cf. VON KLEIST gedichte, p. 146. ed. Carlsruhe 1819. in carmine *Chloris*.

Nemo, nisi equidem vehementer fallar, hoc in carmine Propertianum genium non agnoscet, non solum quod ad versuum numerum, verum etiam quod ad sententias attinet. Imprimis autem genium illud apparet in flebili illo carmine *Threno* dicto, ad manes Donzæ (1), quod hic adscriberem, nisi id jam a Peërlkampio, viro Cl. factum viderem, tali addito iudicio : « in hoc carmine » numerorum modulationem ita ad tristitiam et mœrorem accommodavit, ut in » summa quamvis arte artificium non perspiciatur, atque illud naturale videatur habuisse ». In ceteris, ut jam monuimus, Ovidio propior fuit. v. c. in carmine ad filium Nicolaum Heinsium, e Gallia reducem.

- « Ergone tam gratas potuisti linquere terras,  
 » In Batavasque, Heinsi, non abiture, venis.  
 » Hactenus in nôstris potuisti hæere pruinis,  
 » Nec tua mitis adhuc pectora flexit amor?  
 » Livia jam mœstis lacryman destillat ocellis,  
 » Et queritur fluxam sola relicta fidem.  
 » Denumerat cunctas miseranda ex ordine noctes,  
 » Denumerat cunctos, sola relicta, dies.  
 » Forsitan et pontum lacrymans prospectat et undas,  
 » Quotque videt puppes, tot putat esse tuam.  
 » Et modo crudeles causatur nescia ventos,  
 » Et modo turbatas nescia culpât aquas,  
 » Et modo rumores populi scrutatur et horret,  
 » Perfidizque omnes damnat iniqua viros.  
 » Et modo de Batavis scrutatur multa puellis,  
 » Et formæ metuit tædiâ prima suæ.  
 » Sacra Venus, quantis jactatur pallida curis,  
 » Sacra Venus, quantum pectora versat amor!  
 » Tu procul horrentem metiris, perfide, Rhenum,  
 » Et nimio vinctam frigore curris aquam.  
 » Hic ubi turba levis teneri glomerantur amantes,  
 » Et sequitur socium vincta puella virum.

---

(1) P. 490.

- » Hei mihi, si nescis, media Venus errat in unda.  
 » Materiem culpæ quam dabit illa tuæ!  
 » Aspicias pulcras celeri pede currere Nymphas,  
 » Et cupies saltem jungere posse manus!  
 » Ah miser! atque hic dum pedibus talaria nectes,  
 » Officii pretium basia forte feres.  
 » Interea longas queritur tua Livia noctes,  
 » Et nimium tarde pergere solis equos.  
 » Scilicet ignorat Batavas tua Livia lymphas;  
 » Ut Venus in mediis ignea regnet aquis.  
 » Ah tibi cor circum glacies tenet: ah tibi pectus  
 » Quæ Batavis vinxit flumina, vinxit hiems. etc. »

Nunquam profecto carmine hocce aliquid elegantius legi, et quod maxime in Heinsio et Grotio laudandum videtur, de re, antiquis plane incognita, de cursu per glaciem ferrato, tam eleganter et Romane cecinerunt, ut nihil magis. Erat profecto is Daniel Heinsius, qui permultis scientiis simul egregie calleret; egregius criticus, probabilis grammaticus, eximius poëta Belgicus, Latinus, Græcus adeo, ut admirabile nobis faciat dictum Casauboni, qui eum *pusillum Scaligerum* vocare amabat. (1)

Tanto autem patri major forte etiam filius succedebat Nicolaus, qua de re lepidum exstat Hoëufftii epigramma (2):

- « Heinsiadum major quisnam? natusne parensne?  
 « Certe magnus et hic, magnus et ille fuit.  
 » Aptus uterque fuit citharæ, fuit aptus uterque  
 » Vatibus antiquum restituisse decus.  
 » In dubio palma est; mage at hinc laus danda parenti,  
 » Quod patre non licuit cuncta docente frui. »

---

(1) Germani etiam D. Heinsio multum debuerunt, quippe qui de Opitzio egregie meritis est teste ipso Germano Jordensio, in lexico: *Deutsche Dichter und Prosaisten*. Art. Opitz. laudat. a cl. van Kampen *Geschied. der Nerdel. Lett. en Wetenschappen*. Tom. 1. p. 195, qui omnino de Heinsio consulatur.

(2) LL. p. 178.

Multi Elegiarum libri Nicolai exstant, in quibus Ovidium maxime secutus est, interdum etiam Propertium. Pulcherrima ejus exstat Elegia, quarta libri primi, *Pausilyppus* dicta, ad Casparem Kinschotium, e qua nonnulla attulit cl. Peerkampius. Nos igitur potius initium afferemus Elegiæ 7<sup>æ</sup>. libri 3<sup>i</sup>, qua rerum humanarum vicissitudines canit ad Radboldum Hermannum Scheelium (præclarum hercle virum!) quam Elegiam cum Hosschiana supra laudata conferre neminem pigebit :

- » Fata volubilitas mortalia versat in orbem,
- » Usque levans, Scheli, pressa, levata premeus :
- » Inque pilæ speciem, quam lubricus iucitat error,
- » Nos Deus instabiles nostraque motor agit.
- » Ipsa capax rerum, stellantis machina mundi,
- » In gyros, rapidi turbinis instar, abit.
- » Vita mare est humana, vagis objecta procellis,
- » Et portus nusquam, qui subeatur, adest.
- » Sunt brevia et syrtes, sunt saxa latentia ponto,
- » Sunt vada, remigibus quæ necopina nocent.
- » Prævideas utcumque malum, cavcasque videndo,
- » Qui trahat in scopulos lintea, fluctus erit.
- » Hos solis vitare datum est felicibus bostes,
- » Fors quibus incertam dirigit æqua ratem.
- » Plena via est salebris, scrupisque morantibus axem,
- » Et non impingens quam rōta rara terat.
- » Quamlibet, exacto post victa pericula cursu,
- » Sistit inoffensum vix tibi meta pedem.
- » Lumine res hominum, fixo metire caducas,
- » Maxima pars nostri lapsus et error erunt. etc.»

Juvat etiam apponere venustissimum N. Heinsii carmen ad Furstenbergium, magnum illum poëtam, qui, dum hortos Tiburi Estenses una cum nostro perlustratur, aquarum hinc illinc e terra per occultos tubos prosilientium, vi subita præter expectationem circumventus, permaduit (1).

---

(1) P. 199.

- « Lustrat Atestinos dum Furstenbergius hortos,  
 » Qua natat irriguis fertile Tibur aquis;  
 » Ecce repens prorumpit humo vatisque disertum  
 » Os petit, et Clarios lymphæ dolosa sinus.  
 » Fallor? an exegit per hiantis viscera terræ  
 » Non expectatas obvia Nais aquas?  
 » Dum decus Aoniis hoc invidet illa deabus,  
 » Et premere amplexu gestit inepta suo.  
 » Theodamanteus non est puer, improba, non est,  
 » Hos sibi Calliope vindicat alma sinus.  
 » Supprime dædalei custos lasciva vireti  
 » ( Nil agis insidiis, perfida Nai, tuis )  
 » Supprime fallaces, Anieni filia, lymphas,  
 » Non nisi Castaliis ille rigandus aquis. »

Atque hæc de N. Heinsio sufficient, intelligentium omnium consensu, magno poëta Latino, non in uno, sed in multis generibus felicissimo, veterumque Latinorum poetarum sospitatore. Accedamus ad Petrum Francium qui inter eos, qui Ovidium optime secuti sunt, principem quemdam locum occupat. Erat ille, quæ ingenii facultates rarius conjungi solent, orator et poëta præclarus, quamquam poëseos arte excelluisse inprimis dicitur (1), eumque affirmavit Relandus *solum Batavo fugiente limine Phœbum, ad Amstelias aquas sistere* (2); eo enim tempore, vernacula lingua in dies cultiore reddita, magis magisque ea scribere coeperunt, cum plerique ceteri, tum etiam poëtæ (3). Francius cum

(1) Vid. Peerlkamp. LL. p. 416. — Hoëufftius LL. 199. sqq. cf. eruditissimus van Kampen. LL. p. 426. ubi dicit: « Francius behaalde by keurige kenners der Latynsche tale meer roem » door zyne gedichten, dan door zyne (vry talryke) Latynsche Redevoeringen. » Contrarium tamen obtinuit, quod ad Belgicas ejus oratorias et poeticas virtutes attinet. Idem enim vir erudit. p. 366. de Francio ait: « Hy was als Redenaar meer beroemd dan als Dichter. »

(2) In dedicatione Galathææ.

(3) Cf. van Kampen LL. p. 425, qui etiam de causis hujusce rei disputat. Addere potuisset, homines, qui Latine linguæ operam darent, quibusque vena inesset poëtica, ideo etiam, non solum prosa Latina oratione, verum etiam carminibus, antiquos imitari studere.

Heroica scripsit et epigrammata, tum etiam Elegias; in omnibus æque fuit felix. Videamus de parte Elegiæ 7<sup>m</sup> libri 3i *ad Venerem*.

- « Ergo ego perpetuo semper torrebam ab igne,  
 » Unus in innumeras sufficianique faces?  
 » Et modo Liriopes, modo Phyllidis urar amore,  
 » Incertusque mei semper amoris ero?  
 » Jam mihi dulcis Hyella placet, jam pulcra Lycoris,  
 » Luminibus nunc est grata Neæra meis.  
 » Jam nec dulcis Hyella placet, nec pulchra Lycoris,  
 » Jam nec luminibus grata Neæra meis.  
 » Nunc alios, nunc rursus alios mens concipit ignes,  
 » Et desiderio torqueor ipse novo.  
 » Quid voveam, dubito; voveo tamen omnia demens  
 » Sumque miser voti nescius ipse mei.  
 » Et lubet et cupio; sed quod cupioque libetque,  
 » Hæc mihi nec cupio, nec libet illud idem.  
 » Fluctuat huc illuc animus, ceu pinus in undis,  
 » Nunc Borea, adverso nunc agitata Noto;  
 » Alma Paphi regina, vago diva edita ponto,  
 » Cur adeo similis motibus unda tuis?  
 » Unda levis, levis est amor; maris unda movetur  
 » Semper; amor nullo perstat, ut unda, loco.  
 » Æstibus alternis illuc modo pontus, et illuc  
 » Volvitur; alternis æstibus errat amor.  
 » Quo libet, impellunt venti mare; quo libet, æquor,  
 » Impellunt animi ventus et aura mei.  
 » In medio vagor oceano: nusquam otia, nusquam  
 » Terra; stat ante oculos pontus et æthra meos.  
 » Undique vesani tendunt mea carbasa Cori,  
 » Temperat ambiguam nec manus ulla ratem.  
 » Adsis, o Erycina, meam nec desere pinum;  
 » Jus etenim in fluctus, fluctibus orta, tenes.»

Hæc si Ovidio dignissima statuo, non vereor eruditorum dissensionem. Omnia



enim ita sunt mollia et elegantia, ut supra nihil posse videatur. Nec minus illa placent, (1) quæ de vita privata canit.

- « Fortunate animi, cui tot miranda tueri  
 » Et populo ignotam contigit ire viam!  
 » Cui vulgi studiis et ab ambitione remoto  
 » Privata licuit consenuisse domo!  
 » Cui data mens, quæ temnat opes, quæ temnat honores,  
 » Quæ contenta suo est et satiata bono!  
 » Cuncta fluunt, decrescit honos, modo Cræsus in Irum  
 » Vertitur, et fiunt maxima regna cinis.  
 » Corporeis certi nihil est. Bona pectoris una  
 » Cætera cum fato sunt peritura, manent.  
 » Ista petit sapiens, patrioque insertus Olympo,  
 » Transiit ab humanis in loca diæ locis.  
 » Terrenæ nil facis habens terrestria vota  
 » Despicit, et solo pascitur ille Deo. etc. »

Ut igitur Francium alterum Ovidium, ita Broukhusium, immensa doctrina virum, Franciæ amicum, qui omnem poëseos dulcedinem cepit, alterum Propertium nominare possis, tanta ei cum Romano poëta inest similitudo (2)! Qui hac de re dubitat, inspiciat modo initium ejus Elegiæ, ad villam Marseveniam, sitam in regione Trajectina (3).

- « Ruris honos vicini, o Marsevenia Tempe,  
 » Digna nec antiquis cedere Thessalicis,  
 » Quis me iterum blandi sistat prope fluminis undam?  
 » Aëriis quis me frondibus in nemore?»

(1) Eleg. IV. L. 2. pag. 173.

(2) V. cl. Hoesft. LL. p. 193. et cl. Peerlkampius. LL. p. 419. qui eum Propertium Batavum cognominatum fuisse memorat. Cf. omnia. doct. Hieron. Vriesius de poëtis Belgicis seculi 17i. in operibus societ. scient. Holl. Tom. 3. p. 285. sqq. et van Kampeu LL. p. 427, et 366.

(3) L. 2. El. 3.

- » O molles aurarum animæ, trepidique susurri,  
 » Dulcis et annosis umbra sub ilicibus,  
 » Vosne ego Pieriis dubitem componere silvis?  
   » Tene ego Pegaseo, Vechta pater, latici?  
 » Vechta pater, molli crinem circumdate musco,  
   » Pinguia, qui tenero murmure prata secas.  
 » Qui liquida virides reddens in imagine silvas,  
   » Ludis ad umbrosos Næadum thalamos:  
 » Per te multiplici gaudet vicinia fœtu,  
   » Per te non uno munere dives humus.  
 » Te Venus ante alios Belgarum diligit amnes;  
   » Tu quoque, diligeret quem Venus, unus eras.  
 » Se tibi plurima Nympha vovet, præque urbis honore  
   » Otia pacati mollia ruris amat.  
 » At tu tranquillo vectus, pulcerrime, lapsu  
   » Occultas ignes, dissimulasque novos.  
 » Hoc amat, hoc ipsum, cur se torpere deceret;  
   » Ista mora est flammis officiosa tuis!  
 » Interea spectas oculos, vultumque manusque,  
   » Dum spectat lymphas ipsa, probatque tuas.  
 » Atque aliqua indigenis Ægle comitata puellis,  
   » Portat ad agrestes florea sarta Deos.  
 » Atque aliquis patria per gramina mulcet arena  
   » Securus niveas Alpheisibæus oves.  
 » Audet, et e viridi ramo respondit ædon,  
   » Ah nimium diro crimine docta queri.  
 » Hic ego te certe, soror, o nitidissima Phœbi  
   » Non reor invites ducere sæpe moras.  
 » Namque ubi tu dulces radios in lumine puro  
   » Exseris, et picta sidera nocte micant;  
 » Non hic Hæmonio feralia murmura rhombo,  
   » Inficiunt vultus, candida Diva, tuos.  
 » Non mala pallentes bustis anus evocat umbras:  
   » Saga nec arcanos vertitur ad numeros.  
 » Sed liquido Præne plectro, doctaque puellæ  
   » Voce sonant, tacitas et remorantur aquas. »

Memet omnia adscribere volentem, ipse cohibere debeo. Unus Broukhusius eorum refutat opinionem, qui iniqui recentiores non veterum instar canere posse præ se ferant. Vide mihi istos Broukhusii versus! Ego Propertium nihil elegantius in simili argumento prolaturum fuisse certissime credo, neque ullus dubito, quod Cl. Peerlkampius de ejus Elegia in obitum Huydecoperi judicavit, universe de omnibus Broukhusii carminibus affirmare: « mirandum est hominem non Romanum, nec aut Propertium aut Tibullum carminum fuisse auctorem, quæ et Propertius et Tibullus lubentes se fecisse vellent. »

Inter Francii discipulos cum doctrinæ omnigenæ, tum etiam poësos laude eminuit *Hadrianus Relandus*, professor Ultrajectinus, inter cujus cetera carmina exstat libellus, nomine *Galathea*, quem librum non homo aliquis, sed ipsæ Charites confecisse videntur. Non mirum igitur eum tredecim Elegiis (hisce enim totus liber constat) tantam fere adsecutum esse famam, quantam multis iisque præclaris, quæ de literis Orientalibus et Theologia Relandus scripsit operibus. Elegantissimum in eum exstat epigramma Cl. Hœufftii. (1)

- « Lesbia multivolo dum fama futura Catullo  
 » Fama futura Umbro Cynthia Callimacho;  
 » Delia dum culti numeris victura Tibulli,  
 » Victura et numeris, Naso, Corionna, tuis,  
 » Juliaque Hagano decus est paritura Secundo,  
 » Relando pariet par Galathea decus. »

Optimis igitur veteris et recentioris Latii poetis Relandum Hœufftius comparat. Et recte sane; omnia enim fere apud eum ita sunt comparata, ut unicuique admirationem sui injiciat. Auctore Francio, inprimis Ovidium secutus est Relandus; in tertia autem Elegia, cujus partem afferam, plane mihi Tibullianus videtur.

- « Ah pereat, quicumque suos contemnit amores,  
 » Nec didicit Veneris mite subire jugum.  
 » Illum crediderim cinctum præcordia saxo,  
 » Frigore Riphæas vincere posse nives.

---

(1) L. L. pag. 205.

- » Oscula cum subeunt, et amati pectoris æstus,
- » Blandaque Sicanis uda labella favis,
- » Surripimur. Reliquis herbæ medeantur, amantis
- » Cura tamen medicam respuit una manum.
- » Quam dulce est teneris fessum requiescere in ulnis,
- » Dum recipit pulcro te tua Nympha sinu.
- » Candida dum Cupido circumdans brachia collo,
- » Blanda columbinis nexibus ora ligat.
- » Non secus ac stringi solet ambitiosa corymbis
- » Pampinus, et junctas spargit in astra comas.
- » Quam dulce est firmo nexis adamante lacertis,
- » Basia mille capi, basia mille dari!

Ex paucis hisce versibus facile apparet, quantus poëta fuit Relandus, cujus Galathea digna judicata est, quæ paucis abhinc annis denuo cum notis cl. Bosschæ typis excuderetur.

Atque hoc loco subsistere decrevimus. Plura omnino adferenda essent, si omnibus numeris absoluta foret nostra poëtarum neo-latinorum censura; sed hæc satis superque duximus, ut ostenderemus, quam præclara sint permulta recentioris Latii poëtarum poëtica monumenta. Qui igitur hæc legens, animo hujus poëseos capitur, ille profecto integra poëtarum opera sibi comparabit; qui vero, his lectis, apud pristinam pertinax manet præjudicatam opinionem, illi hercle! ne integra quidem opera adferens, nemo, in judicando celeritatis et erroris persuadeat!

Disserendum mihi erat de Epistola, qua maxime inclaruerunt Hortensius, et Janus Secundus, et ad finem perducenda erat Belgicorum poëtarum Elegiacorum recensio. Proximi in censum veniunt Burmanni, quorum præstantissimus poëta fuit Petrus Burmannus Secundus; qui quanto poëseos ardore flagraverit, cum operibus poëticis, tum innumeris fere claris discipulis, plerisque magnis poëtis latinis, abunde ostendit. Ex ejus enim schola, ut verbis utar Cl. Peerkampii, tanquam ex equo Trojano, insignem poëtarum numerum effudit. Quoties me Burmanni Secundi cogitatio subit (subit autem sæpissime) toties mihi luce

clarius fit , quantopere vir unus , docendi facultate excellens , non in discipulos modo suos , sed in totius disciplinæ florem , per seculi adeo decursum vim habere possit. Equidem causam , cur antecedenti sæculo tam multi tamque egregii exstiterint poëtæ latini , uni fere Burmanno Secundo tribuere soleo. Hic enim a patre et patruo , felici admodum poëta latino informatus , postea Professor Amstelodamensis , ibi discipulos habuit omni poëseos laude florentes : quorum præcipui fuerunt *Schraderus* , *Santenius* , *Bosschius* , *Helvetius* , *Hooftius* , *Arntzenius* et *Hightius*. Qui omnes et versus condere solebant aurea ætate dignissimos , et discipulos nacti sunt quam plurimos , qui eodem , quem a præceptoribus perceperant poëseos amore , alios rursus imbuerent ; qua in re tamen nescio annon præ omnibus excelluerit *Schraderus*. Itaque e *Schraderi* disciplina dici vix potest quot et quanti profecti sint poëtæ Latini : *Wassenbergius* , adhuc Athenæi Frisiaci dicam ? an patriæ ? an totius orbis literati ? summum decus , *Kootenius* , unus in paucis inter principes poëtas adnumerandus (1) ; *Ruardius* et *Bosscha* , qui uterque latinæ Musas , valde propitio Phœbo , coluerunt , *Ommerenus* et *Nodellius* , quorum merita , donec latinæ recentiorum poësi suus honos manebit , grati semper agnoscent posteri ; ne plures excitemus. *Santenius* discipulum nactus est unum , sed *Lennepium*. Neque horum plerisque sui defuerunt , quibus magnam caperent gloriam , discipuli. *Wassenbergio* enim contigit *Waardenburgius* , *Nodellio d'Escurius* , *Ruardio Peerlkampius* , aliis alii. Quod si igitur ex omnibus hisce poëtis loca afferre juvaret , quam multa proferrem , quæ Tibullus , Ovidius et Propertius lubentes pro suis agnoscerent ! Verum id necessarium non duximus , cum jam vereamur ne clarissimorum virorum abusi simus patientia. Pauca igitur adhuc de utilitate , quam recentiorum latina poësis Romanorum poësi afferre possit , disputanda restant.

---

(1) Egregiis Wiselius carminibus suum erga Kootenium amorem expressit. Idem etiam eximium hujus poëtæ carmen *de inconstantia rerum humanarum* Belgicis versibus ita expressit ut jure dubites quodnam sit præferendum. Exstat in ejus Carmin. parte II. p. 68. sqq. Ipprimis præclarum conferatur Belderdykii de Kootenio judicium in epistola ad J. Valckenerium , Mnemosyne. Tom. XI.

Iis, qui toto pectore in literas antiquas incumbere volunt, sexcenties repetitur necessariam esse quotidianam exercitationem, qua stilum suum Romanum efficiant, non solum ut bene ipsi scribant, sed penitus etiam in Romanorum auctorum scribendi characterem sese insinuent. Hoc si de prosa oratione valet, cur non etiam de poetica? Ne quis mihi objiciat multos præstantes, versificatores quos dicunt, e tali institutione orituros esse, qua unusquisque, annuente vel renuente Phæbo, versus condere debet. De iis tantum loquor, quibus naturam aliquam ingenii facilitatem et poëseos amorem concessisse præceptores animadvertunt, quemadmodum Burmannus fecit, cujus discipuli, si forte in Wesselingii aliusve viri magni disciplinam venissent, multo minus poetica laude inclaruissent, ut nobis quidem valde probabili conjectura effici posse videtur. Hi igitur ingenio præditi felici, et ad poëticen proclivi, si cum prosæ orationis exercitio versuum faciendorum curam conjungant, nonne melius antiquos etiam poëtas intelligunt? Vellem mihi monstrarent criticum aliquem, cujus maxima viget fama et auctoritas in poëtis emendandis, cui sensus desit poeticus. Si igitur verum est eum feliciorem fore in emendando vetere aliquo poëta, cui poëticum sensum dederit natura, nonne inde sequitur eum magis etiam præstantem fore, si ipse quoque versus faciat? Prout enim medicus de arte medica, Ictus de jurisprudentia, ita quoque poëta de poesi optime judicabit, eamque optime intelliget, præsertim si ea lingua canat, qua poëta, qui suam experiri debet curam, cecinit. In poëtis latinis emendandis nemo felicior fuit quam N. Heinsius, ut qui adeo eorum sospitator dictus sit; cujus rei causam non levem hinc repeto, quod ipse præclare latina lingua caneret. Idem de Burmannis valet, de Broukhusio, deque tot plæclaris viris, quos enumerare longum est.

Hæc igitur dicta sint, ut neo-latinae poëseos studium quam maxime commendetur iis, qui ad poësin procliviores literis simul latinis operant dant.—Permagna porro auctoritas in hac vel illa lectione recipienda vel respuesta tribuenda videtur iis recentioris Latii poëtis, qui optimi sunt habendi. (1). Quisnam v. c. e recentio-

---

(1) Idem judicaverunt viri magni, ut satis patet cum e commentariis Burmannorum, Broukhusii aliorumque, tum etiam e loco quodam Cl. Peerlkampii, qui invenitur in elegantissima ejus præfatione ad Belgicam odarum Horatii interpretationem Oostendykii, p. 19, ubi de officiis ac-

ribus Horatium melius intellexit, quam Sarbievius, Wallius et similes, quorum hic inprimis ejus colore imbutus plane videri potest. Idem valet de Sannazario, Jano Secundo et Brouklusio, qui utraque pagina Propertium sunt imitati, ita autem imitati, ut magis a latere ejus stent, quam e longinquo ejus vestigia premant. Idem de Hercule Strozza, et Lotichio valet, recentiorum Tibullis. Nonne igitur horum præclarorum poetarum opera quodammodo tanquam commentaria in antiquos illos poëtas consideranda sunt? eo lectu jucundiora et utiliora, quo magis poëtæ. qui tibi commentario illustrandus est, vestigia et colorem in iis deprehendas. Dicitur igitur vix potest, quantopere ei, qui bene antiqui poëtæ latini genium cognoscere velit, diligens recentiorum poëtarum latinorum, qui talem poëtam egregie secuti sunt, lectio prosit.

Quæ itaque si vera sunt (ut sunt verissima) Neo-latinos nullum fere genus, quod antiqui tractaverunt, intactum reliquisse, eosque, quamvis in hoc vel illo res minus iis cessit, in aliis tamen, præprimis in lyrica et elegiaca poësi, ipsi antiquis dignissimos esse, nescimus sane, quid plus mirandum videatur, homines peregrina lingua canentes ipsos interdum æquiparasse, quibus hæc lingua vernacula erat, an vero, permultos adhuc inveniri, qui rem, quæ recentioribus tantopere gloriæ est, plane contemnant?

Quocirca quam maxime operæ pretium videtur inquirere in causas neglectæ recentiorum latinæ poeseos.

### CAPUT III.

#### CAUSÆ NEGLECTÆ NEO-LATINÆ POESEOS.

Per totum ævum, quod vocant medium, nulla fere alia usurpabatur lingua nisi latina. Hac utebantur qui, res gestas literis mandarent, vel sacra curarent,

curati Horatii interpretis agens hæc inter alia dicit: « het doet by mij veel af, indien Buchananus, Secundus, de Heinsiusen, Baudius, Sarbievius, Wallius en dergelyke echt Romeinsche dichters deze of gene lezing door huuve navolging goed gekeund hebben. »

eruditiores omnino quique homines. Qui mos etiam, parum cultis ceteris Europæ linguis post literas renatas per longum adeo tempus permanebat. Quid igitur mirum poetas etiam, præsertim eos, qui in literis colendis vitæ quasi tabernaculum ponebant, lingua cecinisse latina, quæ cultissima erat, qua omnes, quotquot essent cultiores, callebant, quæque optima iis ad imitandum ante oculos ponebat exempla? Itaque in Italia, quod ad poësin attinet, Augusteum ævum rediisse jurares, et Strozæ, Bembus, Pontanus, Sannazarius, Vida et alii permulti cecinerunt carmina optimis quibusque veteris latii poëseos monumentis tantum non æquiparanda. In Germania Lotichius, in patria nostra Secundus et alii Tibullum et Propertium prope assecuti videntur. Quotquot omnino poëtæ cecinerunt, tot ad unum fere omnes latina lingua utebantur.

Quum vero Trissinus, Tassó, Petrarcha et Dantes Alghicri, magna ingenia, patriam ipsi linguam excoluissent, primis quidem temporibus latina carmina faciendi studium mansit, nonnullis etiam, v. c. Petrarcha et Sannazario, utraque lingua canentibus, deinde vero sensim paullatimque imminuit. dem in Germania accidit.

Hæc autem non ita sunt accipienda, quasi nulli postea in hisce terris magni nominis reperti sint poëtæ latini; quæ res longe aliter sese habuit; sed erat tantum unus vel alter, minus ab omnibus poëseos latinæ studium colebatur. In patria vero nostra aliud quid obtinuit. Primum lingua nostra nonnisi Vondelii et Hoofflii tempore egregie exulta est; deinde eximii semper in patria nostra floruerunt viri, qui simul et patria lingua et latinis litteris excellere. Hi igitur utraque lingua cecinerunt, ut Grotius, Barlaeus, Hugenius, Broukhusius, et alii bene multi Francii autem tempore, studio illo imminente, (1) schola exstitit Burmaniana, quæ quam egregios poëtâs latinos effuderit supra vidimus. Quorum exemplum alii etiam, ut Royenus, Canterus, Heerkensius secuti sunt. Qui vero e Ruhnkenii et Wyttenbachii disciplina prodierunt, ab illo studio magis abhoruerunt, nescio qua de causa, fortasse, quia omne tempus in antiquis literis collocatum vellent. Hacce igitur schola in dies magis in patria nostra florente, magis magisque hoc studium interiit.

---

(1) Cf. van Kampen. L. L. tom. 1. p. 425.



Atque hæc duæ causæ mihi imprimis memorandæ videntur. Verum ut magis etiam neglectæ recentiorum latinæ poëseos causas perscrutemur, respicienda est institutio, qua juvenus latinæ linguæ studiosa frui solet. In scholis, quæ cum in Gymnasiis tum in Academiis habentur, laudabili sane instituto, nulli fere poëtæ explicantur, nisi qui aurea ætate floruerunt; rarius ad primi vel secundi seculi scriptores post Christum natum descendendi solet; ut ita discipuli penitus colore illo antiquo et sensibus antiquitatis imbuantur; in tractandis vero iis poëtis nunquam loca recentiorum, qui eos ingenue expresserunt, adferuntur; ne nomina quidem eorum audiunt juvenes. Mirum itaque non est eos poesin hancce levi ducere, eamque non respicere. Quo fit ut si forte fortuna neo-latinae poëseos mentio incidat, continuo clamitent: » Apage cum istis tumidis, duris et intellectu difficillimis versibus, qui legenti continuo nauseam creant! » Roganti vero eos num idem quoque de Wallio, Lotichio, Secundo, Sarbievio, aliisque judicium ferant, eorum nomina nunquam audiisse, vel eorum potius opera non nisi ultimis labris tetigisse ingenue respondent. Præterea usque adeo recentiorum poetarum vel oblitio vel contemptus cepit eruditos, ut ne in celebratissimis quidem historiae literariæ libris eorum omnium nomina legantur (1). Itaque quasi e ceterorum poetarum cœtu expulsi sunt, et tanquam poëtastræ (uti barbara res, ita barbara vox) habiti. Horum tamen Sannazarius, Lotichius et Janus Secundus magnam præ ceteris gloriam constanter retinuerunt, quamvis eorum opera magis *laudentur* quam *legantur*; ceteri vero omnes fere levissimi habiti et intacti sunt (2). Sed in tota hac causa nescio an non omnium maxime attendendi sint flos et cultus, ad quem recentiores Europæ linguæ pervenerunt. Quo factum, ut cum ceteri multi, tum maxime poëtæ, pro lingua latina vernacula lingua utendum esse merito censuerint. — Quidquid enim sit, nemo inficias ibit, poetam sensus suos in

---

(1) Non loquor de Saxii Onomastico, de Baillet, Pope, Blountio similibusve auctoribus, verum de Eichhornio, qui in immensæ doctrinæ opere de præcipuis recentioris Latii poëtis ne mentionem quidem fecit.

(2) Quæ hocce capite disputavi, omnia dicta sint universe; optime enim scio multos hodie etiam inveniri, in quos hæc male quadreat.

suam melius quam in alienam linguam effundere posse (1). Nolint vero inde rigidi nimium censores argumentum capere ad recentiorum latinam poësin deprimendam. Nam præterquam quod permulta exstant poëseos monumenta, quæ contrarium adeo probare videntur, ita, si remissius hoc studium agatur, ut jam ostendimus, perquam utile erit et liberale.

Quocirca nos quidem, ut honestissimo huic studio quantum in nobis esset occurreremus, flores quosdam ex recentioris Latii poetis decerpsimus, non ut opusculum inde nostrum oneraremus, sed ornaremus, non ut inde paginarum numerus augetur, sed operis utilitas et jucunditas; sperantes fore, ut paulum illud recreetur studium, quod egregios adhuc habet in patria nostra cultores, inter quos Hœufftium, Füssium, d'Escurium, Wassenbergium, Peerlkampium, nominasse hic sufficiat. Ducibus igitur et auspibus tantis viris nil desperandum est, verum potius omni ope avita gloria tuenda, et præprimis cavendum, ne, quæ res avis atque parentibus summo honori fuit, eadem nobis dedecori summo futura sit (2).

(1) Vere enim et egregie celeberrima de *Staël-Holstein*, in opere immortalis: *de l'Allemagne*: « tom. 1, p. 74: Il faut avoir respiré l'air d'un pays, pensé, joi, souffert dans sa langue, pour « peindre en poésie ce qu'on éprouve. »

(2) Cf. inprimis, qui egregie latinæ recentiorum poëseos gloriam vindicavit, Cl. H. *Bosscha*, in disputat. *de male neglecto poëseos studio*. Amsterd. 1817. et præfatione, quæ carminibus ejus præmissa est. Davent. 1820.

PARS SECUNDA.

---

---

Spectetur meritis quisque poëta suis.

---

## CAPUT I.

## UNIVERSA INTER HORATIUM ET SARBIEVIUM COMPARATIO.

Cum infinitæ res in literis nequaquam adhuc satis sint expeditæ, tum de nonnullorum poëtarum dotibus atque virtutibus parum adhuc constat inter eruditos. De multis enim antiquitatis celeberrimis poëtis v. c. de Lucretio, Apollonio Rhodio, de Valerio Flacco, de ipso etiam Horatio diversissimæ sententiæ feruntur. Ut autem arctam familiaritatem cum auctore quodam contrahamus, ejusque virtutes rite et vitia cognoscamus, nihil aptius videtur, quam comparatio cum alio auctore, qui simili scribendi genere laudem meruit, instituenda. Idem de poëtis valet. Nobis igitur eandem viam ingressuris, et comparisonem instituturis inter Horatii et Sarbievii poëseos facultatem, diu incertum fuit, quonam potissimum ordine observationes nostras de utroque poëta literis mandaremus, ut nec, quæ necessario monenda essent, omitteremus, nec jam ante dicta repeteremus. Placuit tandem eos primum inter se conferre, quod ad *inventionem*, *sublimitatem*, *dictionem*, *picturam*, *phantasiam* et *comparationes* attinet, quæ omnia inter primarias res ponimus, quæ verum poëtam efficiunt, et altero deinde capite integris cujusque carminibus recensendis, magis etiam in utriusque poëtæ merita inquirere. Primum igitur videamus

## § I. De inventione.

In vero poëta ante omnia procul dubio requiritur *inventio*. Cum enim poësis non ea sit facultas, qua suaves versus efficimus, quæ aures demulceant, et quæ hoc tantum nomine a prosa oratione distent, verum qua sublimibus ideis et præclaris sententiis homines non delectemur modo, sed vero etiam doceamus, unusquisque facile sentit, quam jejuna sint eorum opera, qui jam ab aliis dicta inani modo repetant, aliorum serinia compilent, et pro suo alieni ingenii foetum dividant. In quos igitur notissimum illud Horatii effatum :

egregie quadrat, cum veri poëtae nomine indignissimi sint ac gloria. Dictu vero incredibile est quantis laudibus conspicuus sit poëta, qui ubivis novis ideis, novis fictionibus, sublimibus animi affectibus sublime depingendis excellit, qui alios quidem præclaros poëtas legit, floresque ex iis decerptos in hortum suum transfert, non vero quoque versu anxie secum reputat num hic vel ille poëta pulcra usus sit comparatione vel sententia, qua summ ipse carmen possit ornare; quippe qui ingenio indulgens suo sensus suos in carmen effundit; quod si forte quispiam egregii poëtae pulcherrimus locus ei succurrat, huncce imitari non respuit, nunquam tamen eum imitatur, nisi aliquid e suo penu addat, talemque locum excolat et perficiat. Qua quidem in re præcipua poëtarum Romanorum laus mihi cernenda videtur, qui non viles Græcorum imitatores fuerunt; sed qui, quæcumque Græci pulcra haberent et venusta, ea ornarent, excolerent, perficerent. Ita quoque maximam partem Horatius fecit, de quo permulti ita tradiderunt, quasi omnia omnino Græcorum nihil suo ipse ingenio debuerit. Nobis ut horum virorum opinio falsa videtur, quippe quæ neque cum Horatii ingenio consentanea sit, quamque ipsa ejus carmina refellant, ita eorum potius auctoritati cedimus, qui statuunt, Horatium, inculta adhuc lyrica apud Romanos poësi, cujus Catullus nonnulla tantum specimina ediderat, omnia lyricorum Græcorum opera diligenter legisse, multa eorum carmina latine vertisse, penitus omnino se in eorum poëseos characterem insinuasse. Ex quo illud est consecutus, ut, cum ipse lyrica carmina tentaret in iis plane Græcorum ingenium et color dominaretur, præsertim etiam, cum horridum adhuc Romanorum sermonem emollire studeret; postea, cum ipse majore spiritu adsurgeret, et Romana argumenta tractaret, magis omnino inventione præstaret, et carmina conderet, in quibus, etsi hanc vel illam sententiam a Græcis petierit, tamen minime omnium servus Græcorum imitator dici possit (1). Omnia igitur ejus carmina com-

I. Ad genus primum referenda sunt, quæ et argumento et tractatione tota

(1) Cf. imprimis Mitscherlich. Præf. in Horatii carmina, Tom. 1, p. 12, 13.

Græca sunt, quæque suæ exercitationis causa latine vertit. Velut carmen illud palinodiam continens ad puellam quamdam (1); ad Varum (2); ad Thaliarchum (3), cujus nomen adeo Græcum est, odam illam, qua Nerci *vaticinium* de excidio Trojæ poëta canit (4). — Huc quoque referam carmina de Glyceræ (5), ad Chloen (6), ad Lydiam (7) ad Phidylen (8) ad Chlorin (9), ad Lycen (10), alia.

II. Ad alterum genus pertinent, quæ in amore, amicitia vel vino celebrandis versantur, quæque ipse quidem condidit poëta, in quibus quamvis Græcorum ingenium dominetur plane, tamen nullum Græci poëtae carmen consulto ante oculos habuisse videtur. (11)

(1) Lib. I. C. XVI. Acron ad h. l. notat, Horatium hacce oda imitatum esse Stesichorum, qui cum carmen probrosum in Helenam scriptum, privatus esset oculorum lumine, postea Apollinis responso, scripta palinodia, visum recepisse traditur. Hujusce carminis initium exstat apud Platonem Opp. T. III. p. 243.

(2) L. I. C. XVIII. Expressum est hoc carmen ex Alcæo, cujus fragmentum habet Athenæus X, 5. *Μηδὲν ἄλλο φουτισσῆς πρίτερον δένδρῳ ἀμπέλῳ.*

(3) L. I. C. IX. Græci carminis fragmentum lege apud Athenæum X, 8. et Mitscherlich ad h. l. Horatii.

(4) L. I. C. XV. Porphyrius ad h. l. « Hac ode, ait, Bacchyliden imitatur; nam ut ille facit Cassandram vaticinari futura Trojani belli, ita hic Nereum inducit ventura Trojanis mala prædicere »

(5) L. I. C. XIX.

(6) L. I. C. XXIII.

(7) L. I. C. XXV.

(8) L. III. C. XXIII.

(9) L. III. C. XV.

(10) L. IV. C. XIII.

(11) Recte de hocce carminum Horatianorum genere disserit Fuhrmannus, qui omnino conferri meretur, dicens: « Bey denjenigen vielen Oden, die der Freundschaft und Liebe, dem Weine » und der Freude geweiht sind, zeigt es sich sichtlich, dasz der Griechische Geist auf sie » gewirkt habe, ohne das es jedoch bloss Copien von Griechischen Mustern sind. Besässen » wir die Griechischen Lyriker, so würde man in den Horaz einen Mann finden, der mit der » Lesung eines Alcæus, der Sappho und anderer genährt, die Gedanken und Empfindungen » derselben auf seine Weise und für seine Nation wieder zu geben suchte; der nur von ihrem » Feuer begeistert, und von ihren Schönheiten durchdrungen, 'ohne seine poetische Freiheit, »

III. Ultimi generis illa carmina sunt, quæ poëta vel ad rempublicam, vel ad Romanos vel ad Augustum et Mæcenatem scripsit, uti etiam maxima pars eorum, quæ sacri sunt argumenti, quæque ad familiares scripsit et amicos, quibus vel vitæ præcepta dat bene moderandæ, quorumve fortunæ prosperæ particeps fit et adversæ. — Hoc igitur genus Flacco proprium est, neque multa Græca habet nisi nonnullas dictiones et structuræ. — Quæ igitur si vera sunt, ut verissima mihi videntur, de Horatio dici posse videtur, quod de Romanis universe adfirmari solet, eos primum omnia a Græcis mutuatos esse, deinde, ubi magis ipsi profecerunt, eorum vestigia reliquisse. Quod tamen non plane ei successit, quoniam ita Græcorum imbutus erat ingenio, dictionemque et philosophiam suam ita ad Græcorum dicendi cogitandique rationem informaverat, exemplaria omnino Græca nocturna manu ac diurna ita versaverat, ut in omnibus ejus carminibus Græca vestigia facile agnoscas, et jure ei magna *inventionis* laus tribui posse non videatur.

*Sarbievius* e contrario alios quidem imitatus est poëtæ, præprimis Horatium; verum hac in re magna inter eum et Flaccum cernitur differentia; quod *hic* etiam in carminibus Romani argumenti nescio quid Græci spirat coloris, quem quasi se invito induisse videri potest; *ille* vero, cum locum ex Horatio aliove exprimat, id *consulto* facit, quia talis locus ei in mentem venerat; in ceteris *suus* plane est, et e suo ipse ingenio omnia haurit. *Sarbievium* dixi plura ex Horatio expressisse. Hoc intelligi debet cum de singulis versibus, tum imprimis de integris carminibus. Nonnullas enim scripsit *parodias* et *palinodias* ad Horatii carmina; nonnullas etiam hujusce poëtæ Odas, quæ in amore canendo versantur, in re sacri argumenti imitatus est. Sic v. c. ut unum hujusce rei exemplum adferam,

---

» Eigenthümlichkeit und Selbstständigkeit auf zu geben, denselben so nachgesungen hat, dasz  
 » er ihre Form, die er ganz ausfüllte, und ihre Manier, die er sich ganz zu eigen machte,  
 » ausgedrückt hat. Denn bei dieser Art von seinen oden hat er immer den fremden Stand-  
 » punct verlassen, und seinen eigenen gewählt; sie sind alle in eigenen Verhältnissen und auf  
 » besondere Beziehungen gedichtet, welcher Umstand schon von seinem eigenen Verdenst  
 » zeugt. Denn derjenige, welcher seine *eigenen* Abfichten verfolgt, *seine* Entwürfe ausführt  
 » und *seine* Gefühle darlegt, ist kein blosser Nachahmer.



Odae II Lib. III *ad Magdalenam Christum deflentem* color totus ductus est ex Horatii carmine ad Lydiam. (1)

- » Cum tu, Magdala, lividam
- » Christi cæsariem, com male pendula
- » Spectas brachia, pro tibi .
- » Pectus non solitis fervet amoribus!
- » Non es, qualis eras : tibi
- » Non mens semianimis restat in artubus :
- » Non fronti teneræ nives,
- » Non vivax roseis purpura vultibus ,
- » Non notus superest color :
- » Sed mors marmoreis pingitur in genis,
- » Et vitæ gracilis via
- » Exili tacite spirat anhelitu.
- » Non, si me satis audias,
- » Plores perpetuum tristia; tertia
- » Cum lucem revehet dies,
- » Mutati referet munera gaudii.
- » Nam quæ sole caret duplex
- » Ridebit geminis tertia solibus.

Cetera autem Sarbievii carmina, quamvis sæpius Horatii, rarius alius poetæ, locum expresserit, ita universe iuventionis laude præstant, ut ne dubitari quidem possit, quin ei hac in re Horatius longe cedere debeat. Unde fortasse etiam tribuendum videtur, Sarbievium, cum nulla exempla secutus sit, sæpius ea protulisse, quæ tumida n. agis quam sublimia sint. Sed hæc ad dictionem pertinent, de qua infra videbimus.

### §. 2. *De sublimitate.*

In nullo poeseos genere merito tanta requiritur sublimitas, quam in poesi lyrica. Lyricus enim poeta divino furore abreptus, sensus suos in carmen breve

---

(1) L.I, C. XIII.

effundit, quod ita facile, agitante cum amabili insania, condere potest. Non loquor de iis carminibus lyricis, quæ in leviore re canenda versantur, quemadmodum multa apud Horatium inveniuntur, et omnia apud Anacreontem; quæque magis nativa simplicitate placere debent et elegantia; sed de iis, qualia Pindarus condidit, quæque vel ad rempublicam pertinent, vel ad quodvis majoris dignitatis argumentum. Verus itaque lyricus in tali carmine, tanquam aquila adsurgit, et nos secum in volatu suo rapit, cum ipso, humana quasi exuta natura, coelum petimus, et in eo potissimum genere divina poseos natura splendide elucet. Verum hæcce lyrica sublimitas, quamvis nonnulla ejus vestigia apud Horatium deprehendantur, tamen universe ei propria non fuit. Nimis ille Græcorum induerat ingenium, quam ut sæpius Pindari volatum sit adsecutus. Hoc ipse quoque sentit dicens, se nihil esse, nisi humilem apem, si cum Pindaro compararetur, quem nemo, nisi Icari sortis ignarus adsequi posset vel imitari. Quamvis igitur hac in re longe Pindaro cedere debeat, ne quis tamen credat eum nulla carmina condidisse, quæ sublimitatem illam præ se ferant. Huc imprimis refero, quamvis in iis Græcum imitatus sit poetam, dithyrambos duos in Bacchum (1), carmenque illud ad Julium Florum (2), quæ mihi ita egregia et sublimia videntur, ut nihil magis; plura omnino tertij libri; odam porro illam, qua Drusi laudes canuntur (3), quam nemo non sublimem habere debet; carmen, quo suam ad Maecenatem in cycnum canit metamorphosin, (4) alia. Ex hisce carminibus luculenter adparet Horatium, si sublime tentaret genus, minime ei imparem fuisse; verum prouti Pindarus sublimioribus argumentis, ita Horatius potissimum amicis vitæ præceptis dandis delectatus est, quibus auream mediocritatem commendabat, quibusque fortunæ vicissitudines æquo animo ferendi auctor erat. Cum tristibus ita flet, cum lætis ita gaudet, ut quid in illo magis admireris, utrum egregium poetam, an prudentem philo-

---

(1) L. II. Carm. XIX. L. III. Carm. XXV.

(2) L. IV. C. 2.

(3) IV. 4.

(4) L. II. 20.

sophum et virum probum, profecto nescias. Et hoc quidem mihi Horatius universe in carminibus cum ceteris tum lyricis spectasse videtur, ut quod ipse cecinit (1),

« Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,

» Aut simul et jucunda et idonea dicere vitæ,

maxime re ostenderet. Hinc fit, ut ejus carmina philosophis præceptis abundant, quæ tanquam egregius poeta tradit, qui unus omnium humanam perscrutatam habet naturam. Ita v. g. unicuique admirationem sui injicit in carmine illo ad Virgilium de morte Quinctili (2). Incipit cum moesto lugere, laudatis Quinctili virtutibus, quem non solum, dignissimum esse ait, qui ab omnibus bonis, sed imprimis qui a Virgilio defleatur, atque ita subito medio in dolore canit:

« Tu frustra pius, heu! non ita creditum

» Pœcis Quinctilium Deos.

» Quod si Threicio blandius Orpheo

» Auditam moderere arboribus fidem,

» Non vanæ redeat sanguis imagini,

» Quam virga semel horrida,

» Non lenis precibus fata recludere,

» Nigro compulerit Mercurius gregi.

» Durum! sed levius fit patientia,

» Quidquid corrigere est nefas ».

Quod si in brevissimo hocce carmine et pœseos elegantiam et argumentorum gravitatem jure mireris, in carmine quoque XVI, lib. II, quo otium in animi tranquillitate unice quærendum esse docet, tam egregius pœta adparet, tanto-pere dictione excellit et pictura, ita moralia præcepta pœtica quasi veste induit, ut talibus carminibus Horatius maxime sibi placuisse manifesto adpareat. Accedit, quod maxime omnium in hisce carminibus cernantur ejus *inventio*, et *egregiæ sententiæ*, quæ lyricæ pœsi imprimis aptæ sunt. In gravioribus

(1) Epist. ad Pisones. vs. 533, 334.

(2) L. I, 24. Cf. cum hocce carmine M. Ant. Flaminii Lib. I. Odam XLII.

etiam argumentis , v. c. quando Romanos monet , ut Deorum curam gerant , et perditos civitatis mores perstringit , eædem hæ facultates cernuntur. In his enim stylus ejus non ad Pindaricam accedit sublimitatem , sed gravis est et ad permovendos animos perquam idoneus. Quo melius autem hac de re judicare possimus , carmen illud audiamus (1) :

« Delicta majorum immeritus lues ,  
 » Romane , donec templa refeceris ,  
 » Ædeisque labentes Deorum , et  
 » Foeda nigro simulacra fumo (2).

« Dis te minorem quod geris , imperas :  
 » Hinc omne principium , huc refer exitum.  
 » Di multa neglecti dederunt  
 » Hesperia mala luctuosæ.

« Jam bis Moneses et Pacori manus  
 » Non auspicatos contudit impetus  
 » Nostros , et adjecisse prædam  
 » Torquibus exiguis renidet.

« Pæne occupatam seditionibus  
 » Delevit Urbem Dacus et Æthiops :  
 » Hic classe formidatus , ille  
 » Missilibus melior sagittis.

« Fœcunda culpæ secula nuptias  
 » Primum inquinavere , et genus , et domos :  
 » Hoc fonte derivata clades  
 » In patriam populumque fluxit.

---

(1) L. III , C. VI.

(2) Ante oculos Horatium habuit Sarbievius. L. IV , C. IV , vs. 5 sqq.

« Frustra Poloni cingimus oppida  
 » Muris , et arceis addimus arcibus :  
 » Delubra si squalent , et altis  
 » Coelituum viret herba tectis.

- « Motus doceri gaudet Ionicos
- » Matura virgo, fingitur artibus :
- » Jam nunc et incestos amores
- » De teneri medietur ungui.
- « Mox juniores quærit adulteros
- » Inter mariti vina ; neque eligit ,
- » Cui donet impermissa raptim
- » Gaudia , luminibus remotis :
- « Sed jussa coram non sine conscio
- » Surgit marito , seu vocat iustitor ,
- » Seu navis Hispanæ magister ,
- » Dedecorum pretiosus emtor.
- « Non his juvenus orta parentibus
- » Infecit æquor sanguine Punico ,
- » Pyrrhumque et ingentem cecidit
- » Antiochum Annibalemque dirum :
- « Sed rusticorum mascula militum
- » Proles , Sabellis docta ligonibus
- » Versare glebas , et severæ
- » Matris ad arbitrium recisos
- « Portare fustes , sol ubi montium
- » Mutaret umbras , et juga demeret
- » Bobus fatigatis amicum
- » Tempus agens abeunte curru.
- « Damnosa quid non imminuit dies ?
- » Aetas parentum , pejor avis , tulit
- » Nos nequiores , mox daturos
- » Progeniem vitiosiore. (1).

---

(1) Hoc expressit Sarbievius , Lib. 1 Od. XV , vr. 18 sqq. quos infra laudaturi sumus. Forte etiam huc respexit L. 4. C. 27 vs 45 sqq.

Non eadem fluet

- « Aetas et auro deterius diem
- » Procudet argentum , ac sonoro
- » Belligerum geret ære tempus.
- « Tandemque ferro secula corruent. »

Carmen hocce argumentorum gravitate, dictionis elegancia, brevitate, efficacia, et vero pictura valde excellit. Sublimitate vero et lyricis digressionibus non ita præstat. Atque ita semper fere Horatius, qui aliquando tantum, ut vere ait Quintilianus, adsurgit; quod nunquam fere accidit, nisi quando argumenta canit ad Rempublicam vel Augusti domum pertinentia, vel suæ exercitationis causa aut pulcritudine carminis motus, Græcum aliquem poetam exprimat; vel denique cum ironica ratione argumentum quoddam sublimi et grandi spiritu tractet, ut v. c. cærum illud, quod ea occasione fecit cum arboris ictu pæne esset interfectus (1). Etiam in argumentis, quæ ad amorem pertinent, Horatium amabilem illam et nativam Græcorum levitatem non adsecutum esse, quæ in Anacreonte præclare cernitur, nonnulli viri docti statuerunt: e quorum sententia, nimis Romanus, nimis gravis est, nimis omnino philosophus, quam ut hac in re ita placeat, quam Tibullus aliique. Horatius igitur maxime excelluisse videtur in eo genere, quo lyricam sublimitatem philosophia temperaret, et quo nunquam ita poetico furore abreptus fuit, ut ad veræ lyricæ sublimitatis, qualis apud Pindarum et Sarbievium occurrit, gloriam in multis carminibus possit adspirare (2).

Sarbievius contra ea altiora fere semper petit et, me quidem iudice, veræ lyricæ sublimitatis egregium exstat exemplar; ut ita hac in re Pindaro melius quam Horatio comparari possit. Inprimis autem ea sublimitas dominatur, cum in politicis argumentis versatur (versatur autem sæpissime), cum Urbani VIII laudes canit (3), vel ad principes Europæ de recuperandis Orientis imperio vel Italiæ provinciis carmina scribit (4), cum multus est in laudandis aliis regibus vel principibus

(1) L. II, C. XIII.

(2) Egregie Fuhrmannus, p. 421. « Sein Zweck, *inquit*, war zu lehren, und zu nützen, oder das Leben durch rein sittliche Gesinnungen und Adel der Sitten zu verschönern; und deshalb das veredelte Leben urban dar zu stellen. Deshalb suchte Horaz bald hier, bald dort, einén stolzen oder geldgierigen Freund von seinen thörlichen Begierden ab zu ziehn, einén Traurigen durch Todeserrinerungen zu einér vernünftigen Fröhlichkeit zu bewegen, einén Veranderlichen zu einén stillen und regelmässigen Genuss seiner Lebenstage auf zu muntern, einén rechtschaffnen Hoffmann oder einén jungen Dichter durch weise Lehren zu bilden. »

(3) v. c. L. I. Carm. I, III, V, X, XXII, Lib. III, C. I.

(4) v. c. L. I. C. VI, XII, XV, XXII, Lib. III, C. XIX.

(1); vel sæculi cui socordiam perstringit et avaritiam (2), et Germaniam exhortatur, (3) ut bello finem imponat civili; vel denique cum victoriam Polonorum et suum e rebus humanis celebrat excessum (4). Horum quodque fere carmen altioris ejus spiritus manifestissimum præbet exemplum, uti infra, cum de pictura dicturi simus et phantasia, quæ tam arcte cum sublimitate sunt conjunctæ, pluribus ostendemus. In finem hujusce paragraphi lubet me adferre carmen ejus ad equites Polonos (5), cum Ladislaus, Poloniæ princeps, fuso Osmano, Turcarum imperatore, victorem exercitum in hiberna reduceret, in quibus solitam suam sublimitatem Horatiana gravitate optime temperasse mihi videtur.

- « Credetis? io credite posteri  
 « Fractos pudendo Bistonas inpetu  
 « Cessisse, et infaustis redemptam  
 « Funeribus pepigisse pacem.
- « Quis tunc recentis Odrysiis timor  
 « Adfixit alas, cum refugas metu  
 « Præ se Ladislaus phalangas,  
 « Fulmineis agitaret armis!
- « Quantus Gelonis, quantus erat feris  
 « Sudor Corallis, cum prope decolor  
 « Ister, verecundusque capta,  
 « Bosphorus erubuisset unda;
- « Cum versa Thracum parma trementibus  
 « Fronderet hastis, cum celer Artaceu,  
 « Turreisque Byzanti probrosis  
 « Concanus assonuisset armis.

---

(1) v. c. Lib. II, C. I, XII, XX, Lib. III. C. X, XI, XIV, XVIII.

(2) v. g. L. I, C. XVI. Lib. III. C. VII. Lib. IV. C. I. XXIX, XXXVI.

(3) Lib. II, C. XXI.

(4) L. IV C. L. II, C. 5.

(5) I. XV. Loca in quibus Horatium ante oculos habuit adscribere non attinet, quia unicuique sponte succurrunt.

- « An nos repensam sanguine gloriam  
« Frustra futuris emimus? au suos  
« Exempla diffingent nepotem  
« In proavos, similemque patri
- « Gnatum reponent? quatenus (heu pudor!)  
« Pejor nefastis progenies avis  
« Succrevit, et damnosa pulcras  
« Sæcula diminuere vireis.
- « Vel nos avitæ stemmata gloriæ,  
« Currusque, et enses, nuper et hosticis  
« Direpta delubris tropæa,  
« Æmonix monumenta pugnæ,
- « Uramus igni; neu pudeat sacros  
« Mentita vultus frangere marmora,  
« Non æra, fumosasque patrum  
« Effigies, memoresque laudum
- « Ceras, profunda mergere Vistula;  
« Vel, si supinæ tædet inertix,  
« Martemque majorumque pugnas  
« Egregiis iterare factis
- « Juremus. O quem gloria fervidis  
« Urbeisque terrasque et populos super  
« Evexit alis, o caduci  
« Grande decus columenque mundi,
- « Pridem Geloni sobria sanguinis  
« Rursum Polonis deripe postibus  
« Et tela, Princeps, et timenda  
« Edoniis refer arma signis.

§. 3. *De dictione.*

Quotidianus rerum usus satis docet, dictionem tam arcte cum ipsis rebus esse conjunctam, ut ab ea prorsus pendeat, num res, quas proferre velis, eum



habituræ sint effectum, quem tibi proposuisti. Si enim quoddam magni momenti negotium tenui modo proferatur atque insulso, non admirationem movebit sed risum; contra si quis res minimi etiam momenti eleganter referat, omnium statim ora in se convertet. Maxima autem ejus vis adparet in poësi; cum immensam ea gratiam carmini conciliare vel adimere possit. Velut in tragœdia si personæ occurrunt, quæ vel oratione utuntur tumida et adfectata, vel tenui et pedestri, quis est, quem ea non offendant? Dictionis omnino tanta vis est et efficacitas, ut nisi pari gressu cum ipsis rebus tendat, si poëta, ut ita dicam, dum phantasia sua cœlum petit, dictione inter hominum cœtus versetur, neque nostram derisionem effugiet neque misericordiam. Contra si poëta levioris argumenti res eleganti dictione nobilitat, vel etiam ita canit, ut dictio ubique sit rei accommodata, et voces ita sint positæ, ut meliores in earum locum supponi nequeant, ut dictio omnino novam carmini gratiam addat, novum leporem, tum ille omnino poëta facultate quadam excellit, quæ optimum quemque poëtam maxime decet, et qua cultissimis hominibus mirifice placere debet.

Talis autem poëta mihi Horatius videtur, quippe cui neminem ego poëtam, quod ad dictionis præstantiam attinet, anteponam. Summa ubique brevitate, summa elegantia, exquisitissimo sermone, res sunt enunciatae, quæ omnia satis admirari nequis. Delectus etiam verborum et structuræ ita sunt, ut supra nihil possit. Verum cum hæc melius exemplis quam verbis probari possint, juvat me hic adponere nonnulla ex carmine ejus ad Gnosphum (1), quod mihi inprimis dictione et pictura excellere videtur. Postquam miseram eorum esse opinionem poëta cecinerat, qui otium externis rebus, bello, mercatura, honoribus divitiis etc., quærant, vs. 13 ita pergit.

- \* Vivitur parvo bene, cui paternum
- \* Splendet in mensa tenui salinum :
- \* Nec leves somuos Timor aut Cupido
- \* Sordidus aufert.

---

(1) L. II, C. XVI.

- « Quid brevi fortes jaculamur ævo  
 » Multa? quid terras alio calentes  
 » Sole mutamus? patriæ quis exul  
 » Se quoque fugit?

Priorum duorum versuum quanta est venustas! quam brevis est hæc sententia, quæ tam multa complectitur: *vivitur parvo bene!* Cum dilectu autem singula vocabula posita sunt. Cum dilectu *paternum* dicitur salinum, ut filium nondum a patris moribus degenerasse denotet, quippe qui salinum hocce, paternæ hæreditatis partem, quotidiana in mensa usurparet; cum dilectu præsertim salinum in mensa *tenui splendere* dicitur. Cujus quidem verbi vis quam V. D. ad hunc locum mihi non satis percepisse videntur, explicantes ad externam munditiem sanorum inprimis bene politorum splendorem pertinuisse, optime patebit, si reputamus Romanos argenteo uti solitos esse salino, quod Deorum causa in mensa habebant, ut patet e Livio l. XXVI, c. XXXVI, quo loco oratio invenitur, quam Lævinus consul, in maximo rerum discrimine, Annibale Romam adpropinquante, habuit, hæc inter alia locutus: « Aurum, argentum, aes signatum omne, senatores, crastina die in publicum conferamus: ita ut annulos sibi quisque, et conjugum, et liberis, et filio bullam, et quibus uxor filiæve sunt, singulas uncias pondo auri relinquunt; argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta et libras pondo, *ut salinum patellamque Deorum causa habere possint* ». Eleganter igitur argenteum salinum in mensa tenui inter cibos frugales, *splendere* dicitur. (1)

Posteriores quatuor versus prioribus, si fieri possit, dictione magis etiam præstant. Quid nos, inquit, in brevi ævo, opinione nostra fortissimi, multa petimus? Acerrimi hujus in homines dicti vis multum inde augetur, quod unum vocabulum statim alteri contrariæ plane significationis succedat, e more Horatii (2).

(1) Hæc me docuit cl. van Goudœver in scholis suis.

(2) V. c. Lib. I, C. XII. vs. 9.

« Arte materna *rapidos morantem*  
 » Fluminum lapsus.»

Quam pulcra porro est significatio verbi *mutare* vs. 7. Quid terras *mutamus*? i. e. nunc in hanc nunc in illam transimus, sede continuo mutata, quam nullibi fixam habemus (1)? Ultimorum versuum brevis et efficax dictio ita sponte sub oculos cadit, ut de ea aliquid monere nihil attineat. Totius autem carminis dictio omnibus omnino dotibus conspicua est.

Inprimis apud Lyricos placent summa brevitate et dignitate propositæ sententiæ; quare etiam Flaccus maxime eis excellit. Omnia ejus carmina hujus rei exempla exstant luculentissima, præsertim autem ea, quæ ad amicos scripsit,

Cf. L. III, C. XI, vs. 13.

L. I, C. XV, vs. 1.

« Pastor quum traheret per freta navibus

» Idæis Helenam *perfidus hospitam.* »

L. I, C. VI, vs. 5 sqq.

« Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem

» Pelidæ stomachum cedere nescii;

» Nec cursus duplicis per mare Ulixis;

» Nec sævam Pelopis donum

» Coamur, *tenues grandia.* »

Ex sexcentis alibi.

(1) Quoties in hunc locum incidi, toties mirum mihi accidit, nonnullos inveniri viros doctos qui legerent

« Sole *mutamus* patriæ? Quis *exsul*

» Se quoque *fugit*?

Quam lectionem a Mitscherlichio rejectam Dœringhius in textum recepit, probante Peerkampio l. l. p. 189. Mihi vero, quamvis iniquissimus hujus rei sim arbiter, duo ita cum Bentleio ad h. l. perire videntur 1º. elegans illa verbi *mutare* significatio. Quod enim Doeringhius ait, hoc verbum hæcæ significatione vix esse Latinum, in eo mihi errare videtur vir doctus. Cf. Carmen Seculare vs. 39, 40. et Cicero Paradox. 4. 2º. Egregia illa perit antithesis: *patriæ quis exsul, se quoque fugit*? Quod autem ajunt, τῶν exsuli nova plane abundantia addi *patriæ* vocem; cum constet vocem exsulem de aliis rebus usurpari (Vid Ovid. Metam. IX, 409, et Gierig ad h. l.), poëta, ut egregiam illam antithesin faceret, voci *exsuli* vocem *patriæ* addidit. Nulli denique Codices conjecturam hanc firmant, quocirca mihi cum Bentleio, Mitscherlichio, aliisque vulgata tuenda videtur.

quibus hanc illamve virtutem commendaret v. c. carmen ejus ad Licinium (1),  
quod hic adscribimus.

- « Rectius vives, Licioi, neque altum
- » Semper arguendo, neque, dum procellas
- » Cautus horrescis, nimium premendo
- » Litus iniquum. »
- « Auream quisquis mediocritatem
- » Diligit, tutus caret obsoleti
- » Sordibus tecti, caret invidenda
- » Sobrius aula. »
- « Sævius ventis agitur ingens
- » Pinus : et celsæ graviore casu
- » Decidunt turres : feriuntque summos
- » Fulgura montes. »
- « Sperat infestis, metuit secundis
- » Alteram sortem bene præparatum
- » Pectus. Informes hiemes reducit
- » Jupiter ; idem.
- « Submovet. Non, si male nunc, et olim
- » Sic erit : quondam cithara tacentem
- » Suscitât Musam, neque semper arcum
- » Tendit Apollo.
- « Rebus angustis animosus atque
- » Fortis adpare ; sapienter idem
- » Contrahes vento nimium secundo
- » Turgida vela. »

Summa poëta elegancia præceptum, *auream mediocritate esse diligendam*,  
sententiis illustrat et metaphoris, quæ hocce carmen venustissimum reddunt.  
Idem epithetis valde excellit, de quibus vero cum ad picturam magis pertinere

---

(1) L. II, C. X.

videantur, infra sermo erit. Summum præterea verborum dilectum, et versuum suavitatem, quæ in omnibus ejus carminibus adparent, satis admirari nequis. Poëta denique, tempore Augusti vivens, omni Græcorum elegantia et pulcri decorique sensu imbutus, nunquam ullo vocabulo neque ulla utitur metaphora, quæ bono, qui dicitur, gustui repugnat. Perfectum fere, quod ad dictionem attinet, exemplar Horatius mihi videtur, ut ex carminibus quæ afferemus satis, ut spero, patebit.

*Sarbievii* dictio universe etiam elegans habenda est, præsertim si cogites, poëtam lingua cecinisse non *peregrina* modo sed etiam *intermortua*. Multi loci apud eum inveniuntur, qui præclara dictione excellent; præsertim carmen primum libri primi, quod infra laudaturi sumus; sed si recte hac de re judicare velimus, primum animadvertendum est, Horatium lyricam sibi dictionem quasi *creasse*, quam ad Græcorum linguam penitus informavit; Sarbievium vero, in multis, quo ad dictionem attinet, Horatium imitatum esse: deinde Sarbievium eo vixisse ævo, quo literæ et poësis minime ita erunt excultæ ut hodie sunt, et nondum ad eam homines elegantiam pervenerant. Ex quo explicandum est multa apud eum inveniri, quæ bono ita gustui repugnant, ut nemo ea ferre possit. Quem enim non ea offendunt, quæ in initio ejus carminis ad Stanislaum inveniuntur (1) ?

- « Sunt et novarum non vacuæ mihi
- » Landum pharetræ: prome reconditum
- » O Musa telum; quem sonoro
- » Pieridum jaculemur arcu ?
- « Sit meta Præsul etc.

Vel quæ leguntur in carmine ejus, quo laudes celebrat Francisci Cardinalis Barberini (2).

- « Hic ille plenis Oceanus patet
- » Laudum carinis; ite loquacia
- » Per transtra, facundisque Musæ
- » Carmina deproperate remis.»

(1) Od. II. Lib. IV.

(2) Lib. III. Od. 18.

Et paulo post :

- « Quod timidi prius
- » Sulcemus æquor? quod pelagus situm
- » Fundoque virtutum, et refusæ
- » Per populos maria alta famæ,
- » Vates profundæ navita gloriæ,
- » Invisat?

Alio loco de milite, qui per multa vulnera magnam sibi gloriam pepererat, cecinit (1) :

- « Alti navita sanguinis,
- » Portum non soliti nominis attigit. »

Equidem, ut mihi sponte risum moverunt, ita hæc potius Sarbievii ævo quam ipsi poetæ tribuam. Multa quoque in Pootio, Hoofdio, et, qui ævi sui cultum longe antecesserat, Vondelio occurrunt, quæ nos offendunt (2).

(1) Lib. III. Od. XX, vs. 16.

(2) Ita apud Vondelium occurrit descriptio animi Urselii ad cælum tendentis, qui ita primum remis deinde *velis* per sanguinem navigat, donec tandem, secundo vento flante, recta via, *animorum portum* ingrediatur. Hæc igitur, quæ tanquam egregiæ poeseos exempla laudantur in libro *de poetische en regtsgeleerde vermakelykheden*, Amsterdam by Al. Schagen 1734 jure reprehendit Bosschius p. 37 l. l. qui hæc addit : « Menigmaal heb ik ook de eerste regels hooren roemen, in » dat bekend gedicht van Poot, *arme rykdom* genaamd. »

- « In uw goutkantooren wassen
- » Atlas appels hoog en laag,
- » En de tuimelende Taag,
- » Hutselt er zyn blonde plassen. »

« Ik kan voorwaar geen denkbeeld maken van gontkantooren, waarin rivieren vloeyen, en » appels wassen. » — Hæc Bosschius. Cf. Hier. Vriesius II. tom. IV p. 40. Præter plurima alia loca quæ huc referri possint, eodem vitio laborare videtur, quod de Vossii morte ad Isaacum filium Vondelium canit :

- « Nu gaet de gladde ploegh
- » Van 't snedigh brein der letterklecken
- » Niet meer door d' ackers van de boecken.

Sæpe etiam dictio ejus difficillima intellectu est, quod jam alii animadverterunt (1), nonnunquam etiam minus latina, ut recte tradit Rapinus (2). Quod autem ad sententias attinet, sæpe hæc in carminibus præsertim philosophis apud Sarbievium occurrunt; ut satis patet ex carmine ejus ad *Ignatium Nollium* (3), quo æquo semper rectoque animo adversus fortunæ inconstantiam standum esse, ita docet :

« Sive te molli vehet aura vento,  
 » Sive non planis agitabit undis;  
 » Vince Fortunam, dubiasque Nolli  
 » Lude per arteis.

« Riserit! vultum generosus aufer.  
 » Fleverit? dulci refer ora risu:  
 » Solus, et semper tuus esse quovis  
 » Disce tumultu.»

« Ipse te clausam modereris urbem  
 » Consul aut Cæsar; quoties minantum  
 » Turba Fatorum quatit eum serebam  
 » Pectoris arcem.»

Et paulo post :

« Wie bouwt nu Hollant met  
 » Latynschen styl?

Idem in egregio suo dramate *de Leeuwendalers* solem adpellat :

« Den doier van het ey  
 » Der wereld.»

Qua de re vid. eruditissimus Vriesius ll. p. 349, qui egregie de affectato et tumido metaphorarum usu disputat.

(1) Vid. Baillet ll. poètes Modernes n<sup>o</sup>. 1445, qui hæc inter alia de Sarbievio dicit : « Nous voyons même d'autres critiques d'aujourd'hui, qui reconnaissent dans plusieurs endroits de cet auteur de la confusion et des obscurités, qui en gâtent la beauté, et quelques-uns jugent, qu'il s'est quelquefois laissé emporter trop loin, sous prétexte de suivre l'impétuosité de l'esprit poétique, et qu'il a des figures outrées et des expressions trop fortes.»

(2) Renatus Rapinus. Réfl. part. etc. part. II réfl. XXX.

(3) L. III, C. IV.

- « Cum leves visent tua tecta Casus,  
 » Lætus occures; præeunte luctu  
 » Faustitas et Pax subeunt eosdem  
 » Sæpe penates.»
- « Dextra sors omnis gerit hoc sinistrum,  
 » Quod facit molleis : habet hoc sinistra  
 » Prosperum, quem nunc ferit, imminenteis  
 » Durat in ictus.»
- « Ille, qui longus fuit, esse magnus  
 » Desinit mœror, facilem ferendo  
 » Finge Fortunam; levis esse longo  
 » Discit ab usu.»

Unusquisque videt egregiis hocce carmen abundare sententiis, quibus perquam delectatur Sarbievius. Universe tamen, quod ad dictionem attinet, Horatio longe cedere debet.

#### §. 4. De Pictura.

Arcte cum dictione conjuncta est illa poëseos facultas, quam cum pictura communem habet, qua nobis res tanquam in tabula sub oculos ponuntur, et omnino ita pinguntur, ut nobis ipsi iis interesse videamur. Qui hac arte excellit poëta, hominum ille animos in potestate sua habet, quos ad odium vel amicitiam, ad misericordiam vel crudelitatem, ad tristitiam vel hilaritatem componere suo arbitrio potest. Hac autem re ambo nostri poëtæ imprimis præclari sunt, *Horatius* in omni generis carminibus, sive suavem veris picturam exhibet, sive funestos iræ exitus describit, vel fortunam pingit: *Sarbievius* maxime in rebus sublimioris argumenti. Horatius, si iram canit, ita funestos ejus exitus depingit, ut cum ipso quam maxime ab ea abhorreamus. Verum ipsum audi poëtam, præclare ita canentem (1):

---

(1) I, 16, 5.



- « Non Dindymene, non adytis quatit
  - » Mentem sacerdotum incola Pythius,
  - » Non Liber æque, non acuta
  - » Si geminant Corybantes æra,
- « Tristes ut iræ; quas neque Noricus (1)
  - » Deterret ensis, nec mare naufragum
  - » Nec sævus ignis, nec tremendo
  - » Jupiter ipse ruens tumultu.
- « Fertur Prometheus addere principi
  - » Limo coactus particulam undique
  - » Desectam, et insani leonis
  - » Vim stomacho adposuisse nostro.»
- « Iræ Thyesten exitio gravi
  - » Stravere, et altis urbibus ultimæ
  - » Stetere causæ, cur perirent
  - » Funditus, imprimeretque muris
  - » Hostile aratrum exercitus insolens.

Quis non præclaram picturam, dictionem et poetæ phantasiam in hisce versibus admirandas putat? Si veris imaginem exhibet, ita egregie pingit, ut ipsam videamus Venerem, sub veris adventu in terris Gratiarum et Nympharum choros moderantem, marito ejus Cyclopum officinas incendente. In carmine ejus ad Chloen (2), imagines tam sunt vividæ, ut hiunulum fugientem, et metu pavidam ad matris latus stantem videre nobis videamur. In carmine ejus ad Sodales, de victoria Actiaca (3), videmus Cæsarem ex Italia advolantem, et Cleopatrarum navem urgentem,

---

(1) Obiter hic observandum est, perpetuum hunc esse Horatii morem, qui egregie picturæ inservit, ut nunquam fere rem vel animal nominet, nisi addito epitheto: ut v. c. *Noricus ensis*, *Lybica area*, *trabs Cypria*, *Marsus aper*, *mare Creticum*, *calamus Gnosius* etc. plerumque illud desumptum ab urbe, populo vel regione, qui hac vel illa re nobilis est vel abundat.

(2) I, 23.

(3) I, 37.

- « Accipiter velut  
 » Molles columbas, aut leporem citus  
 » Venator in campis nivalis  
 » Hæmonia. »

In dulcissima illa Oda, vicesima septima libri primi, fingimus nobis convivio interesse, dum poëta cum amicis joca inserit suis, cumque iis susurrat. Idem, cum fortunam pingit (1), picturæ veritate nos movet et gravitate. Nullum autem Horatii, quæ in pictura cernitur, artis, præclarius monumentum exstare mihi videtur, quam lib. III Carm. II initium, ad Lyden, quo poëta de Orpheo ita canit :

- « Tu potes tigres comitesque silvas  
 » Ducere, et rivos celeres morari;  
 » Cessit immanis tibi blandienti  
 » Janitor aulae ,  
 « Cerberus : quamvis Furiale centum  
 » Muniant angues caput ejus, atque (2)  
 » Spiritus teter, saniesque manet  
 » Ore trilingui. »  
 « Quin et Ixion Tityosque vultu  
 » Risit invito : stetit urna paulum  
 » Sicca, dum grato Danai puellas  
 » Carmine mulces. »

Mihi quidem nihil excogitari posse videtur, quod vim cantus melius depingat, quam isti Flacci versus. Videmus enim Orpheum lyra canentem, comitantibus eum tigribus et arboribus, quorum illi belluæ sunt, hæ vero altas in terras radices agunt, quibus igitur præclare ostenditur, cantu bestias etiam immanes flecti atque consistere (3); ea omnino carmine effici, quæ aliter effici nequeunt; imo vero, qui nemini mortalium parcat, Cerberum videmus Orpheo cedere eum cantu suo de-

(1) I, 35.

(2) Fortasse cum Cuninghamio legendum : *æstuetque*.

(3) Sunt verba Ciceronis, in oratione pro Archia cap. VIII.

mulcenti. Quia Ixionem et Tityonem, quamvis crudelissimis pœnis vexatos, vultu quidem invito, suaviter tamen ridentes nobis fingimus; Danaique puellas, a solito labore vacantes, urna paulum sicca stante, attentas Orpheo aures præbentes cernimus. Horatii etiam ars in epithetis cernitur, quibus res vel personæ uno vel altero vocabulo eleganter designantur. Luculentissimus hujus rei testis exstat, carmen XII, lib. I quo multos Deorum et priscorum Romanorum quam brevissimo modo insignit.

« Præliis audax, neque te silebo

» Liber, et sævis inimica Virgo

» Belluis; nec te, metuende certa

» Phæbe, sagitta.

« Dicam et Alcidem, pucrosque Ledæ;

» Hunc equis, illum superare pugiois

» Nobilem; quorum simul alba nautis

» Stella refulsit,

« Defluit saxis agitato homor;

» Concidunt venti, fugiuntq. nubes;

» Et minax, nam sic voluere, ponto

» Unda recumbit.

« Romulum post hos prius, an quietum

» Pompili regnum, an superbos

» Tarquini fasces, dubito, an Catonis

» Nobile lethum.

« Regulum et Scauros, animæque magnæ

» Prodigum Paulum, superante Pœno,

» Gratus insigni referam Camoena,

» Fabriciumque.

« Hunc et incomitis Curium capillis

» Utilem bello tulit, et Camillum

» Sæva paupertas, et avitus apto

» Cum lare fundus ».

Semper fere in Horatii carminibus virtutes et vitia tanquam *personæ* inducuntur, quæ in hominum animos agunt; ita etiam curæ, somnia etc.; quod

quantopere egregiæ picturæ inserviat, unusquisque facile animadvertit; v. c. in versibus illis, quos supra laudavimus :

Nec leves somnos Timor aut Cupido  
Sordidus aufert;

multo efficacius et multo magis poëticum est, si nobis fingamus Timorem aut Cupidinem tanquam *κακοδαίμων* sordidum (ipsi enim vitio eleganter tribuitur, quod hominibus tali vitio inquinatis, proprium est) *leves somnos auferentem*, cum vi igitur in placidos hominum somnos irruentem, quam si simpliciter cogitemus homines, qui præ timore aut avaritia somnis frui non possunt.

Ita etiam in quatuor prioribus versibus insignis poëtæ depingendi ars cernitur :

- « Non enim gazæ, neque consularis
- » Submovet lictor miseros tumultus
- » Mentis, et curas laqueata circum
- » Tecta volantes.

Sententia poëtæ hæc est : etiam si Persarum regis adeptus fueris divitias et ad summos perveneris honores, curas tamen mentis abigere non poteris. Non autem poëta simpliciter hanc sententiam exornat, et exquisite profert, verum, media in via consulem, præeuntibus lictoribus, externis ita dignitatis suæ insignibus ornatum, inducit, et populo tantum virum mirante, stupente adeo, quem uti honore terrarum fere dominum, ita felicitate Deum putat, lictorem, ait, qui populi tumultus abigit, eundem mentis tumultus abigere non posse; neque curas (præclarum *φάντασμα*!) quæ circum laqueata tricliniorum tecta volant, quæque ita dominum vel ad cœnam sedentem misere turbant. Quis autem egregia hæc pictura non movetur? quis non dictione? præsertim quia Horatius ipse eam invenit, certe primus Romanorum fuit, qui lyricam eorum dictionem, et sæpe etiam picturam informaret?

Gravis sæpe est in pictura Horatius, v. c. in Romana illa oda, qua virum constantem et justum ita pingit : (quis enim de Horatio disserens, hosce versus non laudavit?)

- « Justum ac tenacem propositi virum
- » Non civium ardor, prava jubentium,
- » Non vultus instantis tyranni
- » Mente quatit solida, neque Auster,
- » Dux inquieti turbidus Hadriæ,
- » Nec fulminantis magna manus Jovis :
- » Si fractus inlabatur orbis
- » Impavidum ferient ruinæ ».

Quanta gravitas in ipsis etiam versibus et metro dominatur ! Et hac re Flaccus etiam longe præstat. Si enim celeritatem exprimere velit, versus ipsi celeritatem quamdam spirant v. c.

- « Ocior cervis; et agente nimbos
- » Ocior Euro ».

In carmine ad Bacchum (1) fingimus nobis ipsum poetam ingemiscentem, quæ res non leviter versuum metro et verborum efficacitate augetur.

- « Evæ! recenti mens trepidat metu,
- » Plenoque Bacchi pectore turbidum
- » Lætatur! Evæ, parce Liber!
- » Parce, gravi metuende Thyrsos!

Ita versus etiam impetum spirant in carmine ejus ad Lycen (2).

- « Audivere, Lyce, Di mea vota, Di
- » Audivere, Lyce. Fis anus, et tamen
- » Vis formosa videri,
- » Ludisque et bibis inpudens etc. »

Omnes omnino ejus versus in quovis metri genere suaves sunt et elegantes, una vel altera labe, ut fit, excepta. Atque hæc sufficiant, ut Horatii in pictura insignem artem ostendamus; videamus nunc de ejus æmulo.

---

(1) Carm. XIX, lib. II.

(2) L. IV, C. XIII.

Sarbievio universe non eandem quam Horatio in pictura laudem tribuam, quod fortasse hinc repetendum est, quod dictione etiam Flacco cedere debeat. In nonnullis tamen præsertim sublimioribus carminibus egregia picturæ exstant exempla v. c. in carmine illo *ad Honorem*, quod infra exhibebimus, in Oda ad D. Virginem Matrem, cum templum ei exstrueretur (1); in carmine quo suum e rebus humanis excessum celebrans, hæc inter alia canit : (2).

« Humana linquo. Tollite præpetem  
 » Nubesque ventique, ut mihi devii  
 » Montes resedere, et volanti  
 » Regna procul populosque vastus

« Subegit aer ! jam radiantia  
 » Delubra Divum, jam mihi regiæ  
 » Turres recessere, et relictæ in  
 » Exiguum tenuantur urbes ;

« Totasque, qua se cumque ferunt vagæ,  
 » Despecto gentes. O lacrymabilis  
 » Incerta fortunæ ! o fluentum  
 » Principia interitusque rerum !

« Hic ducta primis oppida mœnibus  
 » Minantur in cœlum : hic veteres ruunt  
 » Murique luresque : hic supinas  
 » Pæne cinis sepelivit arceis.

« Hic mite cœlum, sed rapidæ ruunt  
 » In bella gentes : hic placida sedent  
 » In pace ; sed late quietos  
 » Dira lues populatur agros.

Hæcce mihi æque sublimitate, inventione, dictione excellere videntur atque

---

(1) L. II, C. XI.

(2) Lib. II, C. V.

pictura. Idem in carmine quo laudem Dantisci celebrat (1), post pulcerrimam urbis descriptionem exhibet picturam humanæ fragilitatis, quam hic reticere non possumus.

- « Humana quidquid composuit manus,
- » Humana rursus disjiciet; jacet
- » Ingens Alexandria, et altæ
- » Mœnia procubuere Romæ.
- « Natura cassos subruit æmulæ
- » Artis labores, heu male providi
- » Casura mortales in altum
- » Extruimus, colimusque, iisdem
- « Mox obruendi! Troja premit Phrygas,
- » Grajos Mycenæ: sola Fides super
- » Turrata terrarum sepulcra
- » Evenit, et jacuisse gaudet,
- « Quidquid caduco condidit omine
- » Non sola virtus. Oppida civium
- » Virtus tuetur, non athena
- » Claustra, Semiramidæve turres;
- « Non sulphuratis feta tonitribus
- » Tormenta, non arx clausa decemplicis
- » Errore muri; sola diros
- » Urbe Fides prohibebit hostes.
- « Hac arte lato Teutonas æquore
- » Urbs magna fundis; quam neque callidum
- » Perrupit aurum, nec dolosi
- » Munera blanditiæque belli.
- « Nam Fas et æqui prisca severitas
- » Simul potentum limina civium
- » Munivit, et dona et repulsos
- » Anima retro retulere gressus ».

---

(1) IV, 8, 29 etc.

Hæc poetæ artis manifestissima sunt exempla. Mihi autem videtur Sarbievium magis picturæ indulgere, cum *phantasia* sit abreptus; Horatium vero magis *eleganti* depingere *dictione*, latiore vocabuli sensu. Quamvis nec alter alterius respuit rationem. Nonnulla enim Sarbievii exstant carmina, in quibus egregia cernitur pictura, dictionis ope; multaque Horatii, quæ *phantasia* pariter et elegantissima dictione conspicua sunt, ut infra videbimus. Neque Sarbievius ita, quod ad versuum suavitatem attinet, excellit, neque iis utitur, ut varios animi motus exprimat. Multi enim duriores versus apud eum occurrunt, et quamvis, quod ad universam dictionem attinet, Horatium optimum habuerit magistrum, præceptorem tamen discipulus adsecutus non videtur.

### §. 5. *Phantasia.*

A fictione ipsa poesis nomen habet, cujus quasi est natura et *ovvia*. Poeta enim alterum sibi mundum fingit, in quo habitat, et nihil ceteris hominibus tam tenue aut exile videtur, quod ipse non grande ac sublime efficere sciat; fingendi maxime facultate poetæ præ reliquis hominibus præstantia cernitur (1).

Quamvis autem fictio plerumque locum habeat in carmine epico, tamen in in lyrica etiam poesi mirificam vim habet *phantasia*, quæ egregiè cum ipsa lyrici carminis natura convenit. Itaque apud Pindarum, Horatium et Sarbievium sæpissime fervida poetæ *phantasia* extra nos rapimur, cui si poeta rite indulget, legentium animos tanquam tyrannus tenet, et cum Virgilio canere potest :

---

(1) Præclare omnino, more suo, *Tollens*, in carmine *het Dichterlyk geluk*, Nieuwe Gedichten p. 76 de poëta ita canit :

- « Dan kent hy zich doorluchter wèzen ,
- » Tomkleedsel, dat hem prangt, te groot,
- » Voor beter sferen uitgelezen ,
- » En reiner geesten stamgenoot.
- » Dan weet hy, van het stof omwonden ,
- » Maar aan een' hoog'ren teelt verbonden ,
- » Wat eertaak hem is aangeduid ,
- » Dat hy, verwant aan beider kringen ,
- » In de orde schaak' liog aller dingen ,
- » Het eindig aan t' oneindig sluit ».



« Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo ».

Hujus autem phantasiæ præclara apud utrumque nostrum poetam inveniuntur exempla. Non dubito inter primaria hujus generis carmina, quæ Horatius nobis reliquit, duo illos dithyrambos referre ad Bacchum. Inprimis autem mihi arridet carmen XXX Lib. II, in quo poeta ipsum Bacchum in rube remota Nymphis et satyris carmina sua præcipientem audit, attonitus stupet, dei præsentiam sentit, ejus numine impletus, furit, et ipsius dei, qui in ejus pectus descenderat, laudes canit. (1) Multa igitur facta ejus laudat multasque ejus virtutes, suavissima imagine ita finiens :

« Te vidit insons Cerberus aureo  
 » Cornu deorum, leniter atterens  
 » Caudam, et recedentis trilingui  
 » Ore pedes tetigitque crura ».

Egregia etiam Horatii phantasia in dulcissima ejus oda cernitur ad Calliopen, qua Musæ, quam invocaverat, præsentiam sentiens, dulcissimos ejus modos audit (2). Sed ipsum poetam audiamus :

« Auditis? an me ludit amabilis  
 » Insania? Audire et videor pius  
 » Errare per lucos, amœnæ  
 » Quos et aquæ subeunt et auræ.  
 » Me fabulosæ Volture in Appulo,  
 » Altricis extra limen Apuliæ,  
 » Ludo fatigatumque somno  
 » Fronde nova puerum palumbes  
 « Texere; mirum quod foret omnibus,  
 » Quicumque celsæ nidum Acherontæ,  
 » Saltusque Bantuos, et arvum  
 » Pingue tenent humilis Forenti :  
 « Ut tuto ab atris corpore viperis  
 » Dormirem et ursis; ut premerer sacra  
 » Lauroque collataque myrto,  
 » Non sine Dis animosus infans.

(1) Cf. Mitscherlich et Dæringh. in argumento ad hocce carmen.

(2) L. III, C. IV, vs. 5 sqq.

Et paulo post :

- « Vestris amicū fontibus et choris,  
 » Non me Philippis versa acies retro,  
 » Devota non exstinxit arbor,  
 » Nec Sicula Palinurus unda.

Quis in hisce fervidam poetæ phantasiā non admiratur? quis non picturam? Ita quoque in carminē I. Lib. II ad Asinium Pollionem præclare Horatius de modo, quo Pollio opus suum historicum sit conscripturus, ita canit :

- « Jam nunc minaci murmure cornuum  
 » Perstringis aures; jam litui strepunt;  
 » Jam fulgor armorum fugaces  
 » Terret equos equitumque vultus.
- « Audire magnos jam videor duces,  
 » Non indecoro pulvere sordidos,  
 » Et cuncta terrarum subacta,  
 » Præter atrocem animum Catonis.»

Tandem post egregiam belli picturam ita carmini finem imponit :

- « Sed ne relictis, Musa procax, jocis,  
 » Cææ retractes munera Næniæ;  
 » Mecum Dionæo sub antro,  
 » Quære modos leviore plectro.»

Qui quidem finis amabilem quamdam gratiam toto carmini addit.

Una autem re valde Horatii phantasia sibi delectata esse videtur, orationibus nempe, quas vel Juno, vel Hypermnestra, vel Europe denique et Regulus habent; quæque, secundum loquentis personam, gravitatem et dignitatem, amorem, et suavitatem, vel tristitiam et hilaritatem mirifice spirant, ut v. c. carmen illud ad Galatheam (1), quo poeta, postquam Europam, a Jove sub bovis specie raptam, querelas effundentem induxerat, suavissima imagine ita pergit :

---

(1) III, 27.

- « Aderat querenti
- » Perfidum ridens Venus, et remisso
- » Filius arcu.
  
- « Mox, ubi lusit satis : Abstineto,
- » Dixit, irarum, calidæque rixæ,
- » Quum tibi invisus laceranda reddet
- » Cornua taurus.
  
- « Uxor invicti Jovis esse nescis :
- » Mitte singultus : bene ferre magnam
- » Disce fortunam : tua sectus orbis
- » Nomina ducet. »

Audiamus etiam Hypermnestræ orationem ad amantem, quæ invenitur Carm. XI. Lib. III. Post ea, quæ supra jam laudavimus, sequuntur hæcce :

- « Audiat Lyde scelus atque notas
- » Virginum poenas, et inane lymphæ
- » Dolium fundo pereuntis imo,
- » Seraque fata,
  
- « Quæ manent culpas etiam sub Orco :
- » Impiæ, (nam quid potuere majus?),
- » Impiæ sponso potuere duro
- » Perdere ferro.
  
- « Una de multis, face nuptiali
- » Digna, perjurum fuit in parentem.
- » Splendide mendax, et in omne virgo
- » Nobilis ævum.
  
- « Surge, quæ dixit juveni marito,
- » Surge, ne longus tibi somnus, unde
- » Non times, detur; socerum et scelestas
- » Falle sorores;
  
- « Quæ, velut nactæ vitulos lænæ,
- » Singulos, cheu! lacerant. Ego illis
- » Mollior, nec te feriam, neque intra
- » Claustra tenebo. »

- « Me pater sævis oneret catenis,  
 » Quod viro clemens misero peperci;  
 » Me vel extremos Numidarum in agros  
 » Classe releget : »
- « I, pedes quo te rapiunt et auræ,  
 » Dum favet nox et Venus : i secundo  
 » Omine , et nostri memorem sepulcro  
 » Scalpe querelam ».

Egregium etiam non minus est carmen XIII Lib. II, ad phantasiam ejus declarandam, qua oda Horatius, pæne arboris ictu interfectus, primum diris in eum, qui arborem hancce severat, invehitur, deinde secum reputat, quam incerta sit hora mortis, quam jam jam occubisset :

- « Quam pæne fufvæ regna Proserpinæ,  
 » Et judicantem vidimus Aeacum,  
 » Sedesque discretas piorum et  
 » Æoliis fidibus querentem
- « Sappho puellis de popularibus ;  
 » Et te sonantem plenius aureo,  
 » Alcæe, plectro dura navis,  
 » Dura fugæ mala, dura belli.
- « Utrumque sacro digna silentio  
 » Mirantur umbræ dicere; sed magis  
 » Pugnas et exactos tyrannos  
 » Densum humeris bibit aure vulgus.
- « Quid mirum, ubi illis carminibus stupens  
 » Demittit atras bellua centiceps  
 » Aures, et intorti capillis  
 » Eumenidum recreantur angues!
- « Quia et Prometheus et Pelopis parens  
 » Dulci laborum decipitur sono;  
 » Nec curat Orion leones  
 » Aut timidos agitare lyncas.

Quid in laudem Alcei et Sapphus aut fingi sublimius, aut pingi præclarius potuit? Elegans quoque ejus est fictio de Archyta (1) de Lalage, (2) etc. ut summam omnino Flacco laudem, quod ad phantasiam attinet, concedere debeamus. Est hoc quoque eidem proprium, ut e rebus parvis egregia carmina effingat, magis quam Sarbievius, de cujus phantasia nunc nobis disserendum est.

Cum satis constat phantasiam arcte cum sublimitate coherere, qua valde excellit Sarbievius, non mirum est Sarbievium phantasia quoque ita præstare, ut dubium sit, cuinam palma sit deferenda. Sive enim Urbani laudes canturus nimbos tranet, et sacrum carmen effundat, quod a toto mundo auditur (3), sive ipse e rebus excedat humanis, in coelum ascendat, ibique rerum humanarum inconstantiam et fortunam canat incertam (4), sive Polonarum de Osmano victoriam celebret, Galesum agricolam Dacicum canentem inducens (5); vel D. Virginem matrem carmine honoret (6), vel honorem ipsum efferat (7); sive permulta alia ejus carmina legamus, fingendi ejus facultas et phantasia ubivis conspicuæ sunt, nobisque admirationem injiciunt. Audiamus speciminis causa nonnulla ex carmine ejus ad Urbanum (8); quem fingit in coelum evectum in terras despiciere; totam porro terram una cum montibus et fluviis ei laudem et honorem tribuere canit, ita pergens :

- « Auditis? an me ludit amabilis
- » Imago pompæ? jam videor pios
- » Audire plausus, et frementes
- » Cæruleum per inane turmas.

---

(1) L. I, C. XXVIII.

(2) L. I, C. XXII.

(3) C. X, Lib. I.

(4) L. II, C. V.

(5) L. IV, C. IV. Cui non succurrit egregium Lennepii carmen, *de herder op het slagveld bij Cannæ?* quod cum Sarbievii Oda conferre neminem pigebit.

(6) II, 11.

(7) III, 14.

(8) I, 3.

- « Hinc et tepenti vectus ab Africo  
» Apum sonoro exercitus agmine,  
» Leni ter Urbanum susurro,  
» Ter resonis fremuere pennis.
- « Ter vecta terris ac pelago super  
» Respondit Echo; ter lituis procul,  
» Sparsæ ter Urbanum Camœnæ  
» Pindaricis cecinere plectris ».
- « Audivit ingens pontus, et insulas  
» Erexit omnes. Ilicet Africæ  
» Plausere, et Europes, et una  
» Americæ Asiæque regna.
- « Lætæque tandem, currite sæcula,  
» Dixere Musæ : currite candidis  
» Horæ quadrigis; ite, magni  
» Sæcula deproperate Menses.
- « Dixere Musæ : protinus aurea  
» Risere longum sæcula; sæcula  
» Auro laborata, et recuso  
» In pretium emicuere vultu ».

Ita quoque carmen ad *Franciscum Barberinum* phantasiæ Sarbievii luculentissimus testis est (1).

- « Te Vaticanæ sidus adorea,  
» Francisce, dicam. Te niveis super  
» Cunis ligustrorum reclinem  
» Pulcher honos, croceoque Phœbus
- « Perfudit imbri. Te roseus Pudor,  
» Virtusque primum non pueriliter  
» Risere nascentem, et supinis  
» Lilia supposuere membris.

---

(1) Lib. III, C. I.

- « Tunc et jocosum murmure garrulus  
 » Arguta primis verba leporibus,  
 » Dulceisque vagitus ab ipsis  
 » Crederis edidicisse Musis.
- « Tunc et caducis ningere liliis  
 » Molleis pruinas, et violaria, et  
 » Nubem rosetorum protervo  
 » In puerum cecidisse nimbo.
- « Nec non severi flumina Liberi  
 » Manasse credunt, mellaque Dardanoos  
 » Errasse per vicos, et urbem  
 » Uberibus secuisse rivis :
- « Lævumque venæ munere copiae  
 » Risisse Tibrin, et virides procul  
 » Stravisse per ripam tapetas,  
 » Oenotrios Aniene fonteis
- « Gratum allocuto, lene cadentibus  
 » In verba lymphis. etc. »

Vel equidem vehementer fallor, vel hæc unicuique palmaria videri debent, cum magna in iis sublimitas dominatur fervidaque phantasia, et omnia splendida, quamvis hic illic sub obscura dictione sunt enuntiata. Quis vero talia Horatii et Sarbievii legens tanquam ex tripode adfirmare audeat, uter alterum superet? Me saltem hoc temeritatis et arrogantiae merito reum faciat.

### §. 6. *Comparationes.*

Restat, ut antequam ad alterum caput accedamus, paucis videamus de comparationibus, quibus uterque noster poeta usus est. Addunt enim comparationes rite adhibitæ singularem carmini gratiam ac vim; nimis vero sæpe vel inapte usurpatæ, molestiam creant. Egregie porro conveniunt cum ipsa poseos natura. Poeta enim *ἰνδοειδίζων* res, quas canit, auditoribus et lectoribus magis explicare et clariores reddere studet; vel potius sponte sua effundit comparationes, quas quo-

dammodo interpretationes eorum, quæ ante vel post dicta sunt, dicere possis. Quam maxime igitur operæ pretium duximus, Horatii et Sarbievii dotes hac in re brevi inter se conferre: quorum ille lubenter comparationibus indulgere solet, sive sublimis studio ducitur, seu vitæ præcepta dat vel amorem aut vinum celebrat. Cui enim ignota est celeberrima illa comparatio Drusi juvenili vigore præditi cum aquila et leone (1), vel Augusti Cleopatram urgentis cum accipitre columbam vel venatore leporem persequente? vel poëtæ, Bacchico furore abrepti, inque ignotos specus acti, qui attonitus circumspicit, cum Mænade, quæ e somno, cui furibunda tandem succubuerat, experrecta, oculos circumflectit, et loca, in quæ ruisset, contemplari incipit? (2). Neque quisquam est, qui non summopere admiretur pulcherrimam illam imaginem Romanorum, eodem Augustum desiderio expectantium, quo mater filium, quem invidi venti longius anno a dulci domo distinuerunt; ut de præcipuis tantum dicamus.

Sarbievius vero, quod mirum sane videre debet, raro comparationibus delectatus est; sæpius in pictura versatur. — Magnam præterea partem ejus comparationum ex Horatio expressæ sunt, v. c. Lib. II Od. 17, quæ tota est paraphrasis Horatii Carmin. Lib. I. 23.

- « Vitas sollicitæ me similis capræ,
- » Quam vel nimbisoni sibilus Africi,
- » Vel motum subitis murmur Etesiis  
» Vano corripit impetu.
- « Nam seu prima metum bruma trementibus
- » Incussit foliis, sive Diespiter
- » Elisit resonis tela Cerauniis,  
» Incerta trepidat fuga.
- « Atqui non ego te quærere desinam,
- » Clamatura retro, Christe, Revertere
- » Rursus, cum rapido fugeris impetu,  
» Clamatura, Revertere ».

---

(1) L. IV, C. VI.

(2) L. III, C. XXV, vs. 8 sq.



Ita etiam in carmine de Davidis poësi imitatus est pulcherrimum Horatii locum, quo Pindarum comparat cum flumine, extra ripas egresso suas et a monte ruente. In Carmine Lib. III, XXVIII ad *Abrahamum Bzovium* ante oculos habuit Horatii comparisonem Drusi cum aquila, de qua supra vidimus, ne plura excitem. Interdum tamen comparisonibus utitur, quas ex suo ipse ingenio hausit, v. c. in initio L. II Od. XVIII ad *Stephanum Menochium*, qui libros de principum institutione in lucem ediderat :

- « Qualis ubi Phrygia Jovis armiger educatus Ida,  
 » Audax huius fulminis satelles,  
 » Vere novo teneras Aquilonibus experitur alas,  
 » Terrasque nescit, immemorque nidi,  
 » Magna patris relegit vestigia, fulminumque late  
 » Circumtonanteis visit officinas,  
 » Evincitque Notos, et inertibus evenit pruinis,  
 » Cæloque tensos navigat per imbreis :  
 » Talis inassueto circumvagus ingenii volatu,  
 » Doctus paternæ strenuusque pennæ,  
 » Celsa super Proccrum palatia, despiciasque terras  
 » Summasque rerum pervagaris arceis.  
 » Quaque pater dubiis populos super immoratus alis,  
 » Leges superbis dividit Tyrannis :  
 » Hac neque consilii neque degener ingenii secutus  
 » Æquis adurges nisibus volantem.

Hæcce comparatio mihi præclara et ad rem designandam aptissima videtur. Ita etiam libro I. Carm. XXII et aliis omnino locis comparationes inveniuntur, quæ nisi Sarbievium Horatio parem at saltem in ea quoque re admodum felicem esse demonstrant.

Atque ita de præcipuis saltem poëtarum nostrorum dotibus paucis universe vidimus; nunc autem, ut magis etiam eorum virtutes cognoscamus, nonnulla eorum carmina inter se conferemus.

## CAPUT II.

## COMPARATIO NONNULLORUM HORATII ET SARBIEVII CARMINUM LYRICORUM.

Cum superiori capite de singulis Horatii et Sarbievii dotibus vidimus, et nobilissimus literarum humaniorum ordo peculiarem etiam nonnullorum utriusque poetæ carminum comparisonem rogavit, lubet nunc primum inter se conferre Horatii Odam V, Lib. IV et Sarbievii Odam I Libri I Horatius igitur, hoc carmine Augusto tunc temporis absentis desiderio quo Roma absentiae ejus causa tenebatur, patefacto, fidelem exhibet imperii sub ejus regno conditionis imaginem hisce versibus :

- « Divis orte bonis, optime Romulæ
- » Custos gentis, abes jam nimium diu :
- » Maturum reditum pollicitus patrum
  - » Saucto consilio, redi.
- « Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ :
- » Instar veris enim vultus ubi tuis
- » Affulsit populo, gratior it dies,
  - » Et soles melius nitent.
- « Ut mater juvenem, quem Notus invido (1).
- « Flatu Carpathii trans maris æquora
- » Cunctantem spatio longius annuo
  - » Dulci distinet a domo,

(1) Imitatus est Horatium Janus Secundus. Ode 6.

- « Jam jam sepultæ fletibus et nigro
- » Luctu, serena est reddita patriæ
  - » Vultu tuo lux, et videntur
  - » Ire dies meliore sole.
- « Inplumis ut cum turba relinquitur,
- » Deserta uido, mater ubi est procul,
  - » Escamque natis fida quærit,
  - » Longius et solito moratur,

- « *Votis ominibusque et precibus vocat,*
  - » *Curvo nec faciem litore demovet;*
  - » *Sic desideriiis icta fidelibus*
    - » *Quærit patria Cæsarem.*
  
  - « *Tutus bos etenim rura perambulat;*
  - » *Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;*
  - » *Pacatum volitant per mare navitæ :*
    - » *Culpari metuit Fides.*
  
  - « *Nullis polluitur casta domus stupris :*
  - » *Mos et lex maculosum edomuit nefas :*
  - » *Laudantur simili prole puerperæ,*
    - » *Culpam pœna premit comes.*
  
  - « *Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?*
  - » *Quis Germania quos horrida parturit*
  - » *Fetus, incolumi Cæsare? qui feræ*
    - » *Bellum curet Iberiæ?*
- 

- « *Exspectat usque et usque, quaerens, quaerens,*
- » *Intenta servans lumina perpetim*
- » *Circumjacentes aut in agro*
- » *Ant latera in spatiosa sylvæ.*

Eundem locum Sarbievius expressit *Carm. IX, lib. I, vs. 5 sq.*

- « *Ceu quem velivolis præpes Etesiis*
- » *Navis divitibus distinct iousulis,*
- » *Dilectum juvenem, quem modo barbara*
  - » *Auri corripuit fames,*
  
- « *Mater sollicito spectat ab æquore,*
- » *Et lentum pelagi damnat Oriooa*
- » *Et ventos gemitu duplicat, et pigro*
  - » *Affundit lacrymas mari;*
  
- « *Si fors edomito fletibus Æolo,*
- » *Indo sole niger filius advolet,*
- » *Et longi memores exilii notas*
  - » *Caris deleat oculis ».*

Cf. *Oppianus Hal. IV, vs. 336 sqq.*

- « Condit quisque diem collibus in suis,  
» Et vitem viduas ducit ad arbores :  
» Hinc ad vina redit lætus, et alteris  
    » Te mensis adhibet Deum.
- « Te multa prece, te prosequitur mero  
» Defuso pateris : et Laribus tuum  
» Miscet numen, ut Græcia Castoris  
    » Et magni memor Herculis.
- « Longas o utinam, Dux bone, ferias  
» Præstas Hesperia! dicimus integro  
» Sicci mane die, dicimus uvidi,  
    » Cum sol Oceano subest ».

Sarbievius, cum infestæ Thracum copiæ Pannonia excessissent hancce odam ad Urbanum VIII scripsit (1) :

- « Jam minæ sacri cecidere belli :  
» Jam profanatis male pulsa terris  
» Et Salus et Pax niveis revisit  
    » Oppida bigis.
- « Jam Fides et Fas et amœna præter  
» Faustitas læto volat arva curru :  
» Jam fluunt passim pretiosa largis  
    » Sæcula rivis.
- « Candidi soles veterisque venæ  
» Fontibus nati revocantur Anni :  
» Grandinat gemmis, riguoque cœlum  
    » Depluit auro.
- « Meque veraci cecinisse plectro  
» Inter Octobreis, tua festa, pompas,  
» Prisca Saturni rediisse secla  
    » Approbat Orbis.

---

(1) Cum hocce carmine inprimis comparetur Carm. XII, lib. II, quod in eodem fere argumento versatur.

- « Aurei patrum niveique mores ,  
» Exsul et sera procul usque Thule  
» Candor , et pulcro remeare virtus  
» Audet Olympo.
- « Lactis et fusi per aprica mellis  
» Garruli campos secuere rivi :  
» Et superfuso tumuere plenæ  
» Nectare ripæ.
- « Lætior vulgo seges inquietis  
» Fluctuat culmis , titubantque frugum  
» Uberes campi , nec avara sulcis  
» Invidet æstas.
- « Pastor erranteis comitatus hædos  
» Provocat raucas calamo cicadas :  
» Mugiant colles , et anhelat fessis  
» Silva juvenis.
- « Pace subsultant juga , pace rident  
» Tetricæ rupes ; leve separatos  
» Otium colleis amat , et sequestri  
» Gaudia pagi (1).

---

(1) In Carmine Sarbievii quod supra laudavimus, non minus egregia occurrit pacis descriptio.

- « Pax ubi clausas moderatur urbeis ,  
» Illa vittatis operatur aris ;  
» Illa vicinis studet æmulari  
» Sidera templis :  
« Quaque pubenteis graditur per herbas ;  
» Hinc et hinc Divam comitatus albo  
» Messium fluctu Cerealis undat  
» Merges aristæ ».  
« Longus herbosis spatiaur arvis  
» Orde Virtutum ; niveæque juncta  
» Faustitas Paci legit otiosis  
» Lilia campis ».

« Te Ceres flavis redimita culmis,  
» Magne pacati Moderator orbis,  
» Te suis Æstas opulenta circum-  
» fundit aristis.

« Supplici myrtus tibi servit umbra,  
» Serviunt lauri; tibi celsa longe  
» Quercus adsurgit, tremuloque pinus  
» Vertice nutat.

« Siderum Præses dominusque terræ,  
» Lucida Romam speculatus arce,  
» Regna tranquillet, cupidoque Patrem  
» Te velit orbi.

« Laurus annosum tibi signet ævum;  
» Fata te norint, properentque Parcae  
» Nescium carpi tibi destinatos  
» Stamen in annos.

---

« Ite Rhætis sociæ triumphis,  
» Ite, delectos religate flores,  
» Ite, virtutes, iterate nexis  
» Serta trophæis.

« Te Ceresfla vis redimita culmis,  
» Magne pacati Moderator orbis,  
» Te Jovis quercus, et Apollinaris  
» Umbra corymbi,

« Te volunt lauri, tibi se Latini  
» Arbor Alcidæ probat, et supinis  
» Annuit ramis, et amica circum  
» Tempora serpit.

« Quo velis crinem cohibere serto  
» Mitte cunctari; tibi colla circum  
» Herculis ritu fluat usitata  
» Populus umbra ».

- « Quæque formosos sedet inter igeois ,  
 » Sedulam pro te miserata Romam  
 » Virgo, quam circum glomerantur albis  
   » Astra choreis,  
 » Curet effusas Latii querelas,  
 » Virginum castas juvenumque voces  
 » Curet, et votis procerum reclinem  
   » Accommodet aurem ».

Horatii carmen Augusto gratissimum accidere debuit, quia poeta non tantum egregie Romæ desiderium exposuit, verum causas etiam hujusce desiderii memoravit. Romani enim optime sentiebant, quantas Augusto gratias agere deberent, quippe qui præsentis felicissimæ regni conditionis unicus auctor esset. Roma igitur multa Diis pro salute ejus vota facit, Augustum inter Deorum numerum ponit, eique per totam diem meritos tribuit honores. Admiranda profecto sunt mira poetæ ars et totum carminis consilium. Si autem singulas hujusce carminis virtutes attendamus, admiratio inde nostra non leviter augeatur necesse est. Comparat enim Augustum cum luce, quæ veris instar fulgens omnem Romanorum tristitiam depellit, eosque hilares reddit; Romanos, inquit, qui eum quærent, ut mater filium quærit, qui in peregrinis terris degens, ab invidis ventis longo tempore a domo distinetur, pro quo igitur vota, omina et preces facit, neque faciem a litore demovet. Suavissima sane comparatio ad rem augendam et Augusto quam honorificentissima! Neque immerito, pergit poëta, Roma te, Auguste! materno amore prosequitur; omnis enim ejus felicitatis et lætæ præsentis regni conditionis auctor es; te enim regnante, in patriam redierunt securitas, fertilitas, fides, castitas, conjugiorum sanctitas et legum auctoritas. Vide quam egregie poëta hæc omnia adumbraverit, et poetice exposuerit! Pro securitate ponit bovem, tuto per agros ambulantem, quæ res placidam statim lectoribus affert imaginem, et navitas, quos per pacatum mare navigare tibi videris; pro fertilitate ponit ipsam Cererem et Faustitatem arva nutrientem; ad justitiam denique designandam brevi sed efficacissimo utitur effato

« Culpam poena premit comes ».

*Premittit cum dilectu; poena enim culpam non adsequitur, sed statim ac peccatum commissum est, comes eam arripit.*

Animadvertenda etiam sunt epitheta, quæ populis Romanis infestis addit, ut Augusti fortitudinis notio augeatur :

« Quis Germania quos *horrida* parturit

» *Fetus*, incolumi Cæsare; quis *feræ*

» Bellum curet Iberiæ? »

Sequitur tandem lætissima conditionis civium Romanorum pictura, qua quisque in agro suo diem transigere fingitur, vini cultui deditus; et a vini cultu ad vinum bibendum redire, summa erga salutis suæ auctorem pietate adfectus; cui igitur, tanquam Deo Tutelari, (Augusto enim a senatu jam U. C. DCCXXIV tam publicæ quam privatæ libationes decretæ fuerant) inter precandum vina libat; eumque intes Deos patrios ponit. Nos igitur, per totam diem precamur: Utinam diu Romanis eadem hac, qua nunc fruuntur, vitæ securitate et tranquillitate sub tuo imperio frui liceat! — Tale autem carmen cui non præclaro consilio, præclara inventione, pictura, dictione, elegantibus et dulcissimis adeo comparationibus, præstantissimum videtur?

Sarbievius, cum, uti jam monuimus, infestæ Thracum copiæ Pannoniam reliquissent, carmine celebravit Urbanum VIII, felicitis hujus rei auctorem, et antiquos mores et felicitatem in istis regionibus rediisse cecinit. Tandem Deum precatur, ut Urbano longam concedat vitam et gloriosam, et sanctam Virginem, ut Latii querelas et virginum juvenumque vota exaudiat. Præstantissima autem habenda est ejus morum et felicitatis reducum pictura. Fingit igitur Fidem et Faus-titatem læto curru arva pervolare, et homines ita divitiis abundare, ut secula adeo pretiosa largis rivis fluant, cœlumque gemmis grandinet, et riguo auro depluat (quamquam hæc metaphora, si vera proferre liceat, mihi tumida videatur, quippe quæ neque sublimem nec gratam, sed confusam potius lectoribus imaginem offerat). Totus omnino orbis me Urbane! auream ætatem rediisse canentem, adprobat. Antiqui redierunt mores, et candor, qui in ultimas exsul erat terras, et virtus. Lætissimus est agrorum status, cum rursus mel garrulis rivis per cam-



pos fluat, et flumina nectaris copia crescant; cum frugum ubertas ubivis conspiciatur, et rursus avitæ conditionis beatitas in eo perspicua sit, quod dum pastor, errantibus gregibus, arundine carmen meditetur et in collibus sylvisque innumeræ greges cernantur, omnia lætissimi pacis effectus exemplum præbent, et pagi incolæ hilaritati sese dant et otio.

Attendenda imprimis est præclara dictio, quæ in hisce versibus cernitur; cum *seges inquietis culmis fluctuare*, uberes frugum campi *titubare*, et alma ætas sulcis *non invidere* dicitur, et poeta colles *mugire*, sylvam fessis juvencis *anhellare*, juga pace *subsultare* et *tetricas* rupes ridere canit. Sequitur tandem elegantissima pictura Cereris, quæ flavis culmis redimita, Urbano hujusce rei honorem dat, ut etiam ætatis, quæ cum aristis circumfundit, et myrtus, quercus et pinus, quæ eum suo quæque modo colunt. — Nec minus præclare astra circa sauctam Virginem albis choreis glomerari finguntur. Totius omnino carminis laus maxime in *dictione, phantasia et pictura* cernitur, quibus Horatianam odam tantum non æquiparat, cui tamen cedere debet, quod ad comparationes attinet et præclarum poetæ consilium.

Melius tamen quam ex hocce carmine vera Sarbieviæ poeseos notatio confici mihi posse videtur ex Oda, quam *ad Honorem* scripsit (1), quamque igitur comparare cum Horatii carmine *ad fortunam* (2) nobis non abs re visum est. Cum autem Sarbievii carmen longius est præcipua tantum ex eo huc adferemus.

Horatius igitur, qua occasione Augustus contra Britannos expeditionem moliebatur, ad fortunam ita canit :

- « O diva, gratum quæ regis Antium,
- » Præsens vel imo tollere de gradu
- » Mortale corpus, vel superbos
- » Vertere funcribus triumphos :

---

(1) L. III, C. 14.

(2) L. I, C. XXXV.

- « Te pauper ambit sollicita prece ,  
 » Ruris colonus ; te dominam æquoris ,  
 » Quicumque Bithyna læcessit  
 » Carpathium pelagus carina.
- « Te Dacus asper , te profugi Scythæ ,  
 « Urbesque gentesque et Latium ferox ,  
 » Regumque matres barbarorum et  
 » Purpurei metuunt tyranni ,
- « Injurioso ne pede proruas  
 » Stantem columnam , neu populus frequens  
 » Ad arma cessantes , ad arma  
 » Concitet , imperiumque frangat.
- « Te semper anteit særa Necessitas ,  
 » Clavos trabales et cuneos manu  
 » Gestans aliena , nec severus  
 » Uncus abest , liquidumque plumbum.
- « Te Spes et albo rara Fides colit  
 » Velata panno ; nec comitem abnegat ,  
 » Utcunque mutata potentes  
 » Veste domos inimica linquis.
- « At volgus infidum et meretrix retro  
 » Perjura cedit ; diffugiunt cadis  
 » Cum fæce siccatis amici ,  
 » Ferre jugum pariter dolosi (1).

Quantis dotibus hi versus præstant , unusquisque statim videt. Initio , quasi ut ejus favorem sibi conciliet , memorat Antium , quam urbem ceteris præposuisse Fortunam dicunt ; cujus summam deinde laudat potentiam , cum statim mortales possit ex infimo ad summum gradum extollere , et splendoras vic-

---

(1) Ea tantum hic attulimus , quæ ad Fortunam pertinent , omissis iis , quæ ad Augusti referenda sunt expeditionem.

torias in tristes clades vertere. Te igitur, inquit poëta, quæ tanta prædita es potestate, pauperes agricolæ solliciti precantur; te, dominam æquoris, mercatores, quorum naves fluctibus jactantur.

Te feroces metuunt populi, qui continuis bellis delectantur, omnes omnino homines; præsertim vero matres regum, quæ de filiorum incolumitate vel maxime sollicitæ sunt; et ipsi reges, timentes ne præsentem regni conditionem mutes, neve populi turba eos, qui statim arma adripere nolunt, ad arma volare cogat, et ita imperium disturbet.

Breviter itaque et eleganter poëta fortunæ depinxit *potentiam*; sequitur nunc descriptio ejus *necessitatis*, quam satis admirari nequimus.

Vide quam exornaverit simplicem poëta sententiam; tuæ potentiæ omnia cedere debent. Fingit enim, Necessitatem sævam eam semper præire, ænea manu clavos gestantem trabales (1), cuneos (2), uncum (3), et liquidum plumbum (4).

Hisce igitur omnibus instrumentis cum horrore quodam animum percutiant nostrum, eleganter admodum indomitam fortunæ vim designari, quis est, qui non videat? Sequitur nunc præclara antithesis eorum, qui fortunam constanter colunt, et, qui prosperam adorant, adversam fugiunt: Te colit Spes (Ἐλπὶς γὰρ τύχης ἰταίραι) et Fides, quæ animi præ se fert candorem, quæque raro hac in terra invenitur; ambo autem te sequentur, etiam si adversa potentum domos relinquas. At vulgus contra infidum et meretrix, quæ toties amatori juravit, se eum semper amaturam fore, retro cedunt; omnibus opibus devoratis diffugiunt amici, nimis dolosi, quam ut, cum quo fortuna usi sunt prospera, cum eodem quoque adversam ferant. Quam egregie hæcce omnia cecinit poëta! Quanta

(1) His ad ædium trabes firmissime copulandas olim utebantur. Cum ejusmodi clavo trabali sistitur Fortuna in Causei Museo. Rom. T. 1, p. 72, Tab. XXVIII et apud Spenser. Tab. XXIII, n. 5, p. 151. Vid. *Jani* et *Doeringh* ad hl.

(2) Ad magis etiam compingendum et firmiter coagmentandum.

(3) Uncus, hamus ferreus fuit, quo utebantur in lapidibus firmiter jungendis.

(4) Adfundebatur liquefactum plumbum, ne uncus dissolvi posset.

ejus cernitur in *pictura*, *dictione*, *phantasia*, ars et in aliqua simpliciore sententia exornanda!

Sarbievius, cum Franciscus Barberinus sacra purpura ab Urbano VIII ornaretur, hocce carmine Honorem celebravit :

- « Te clara Divum progenies, Honor,
- » Marsæ canemus carmine tibæ :
- » Te meta votorum et laboris
- » Dulce lucrum, volucrisque vitæ
  
- « Formosa merces. Te decorum patrem,
- « Inter serenæ fulgura Gloriæ,
- » Lunæque stellarumque cunas
- » Imbre super radiorum et auri,
  
- « Virtus marito conscia Numini
- » Effudit illustrem; et genialibus
- » Toris coronarum reclinem
- » Siderea religasse zona, et
  
- « Non indecoræ sidere purpuræ,
- » Grataque risu lucis, et osculis
- » Mirois anhelantem nitores
- » Celsa super posuisse sceptræ,
  
- « Et molle fertur fascibus et mitris
- » Aptasse fulcrum; quas stipulæ modo
- » Prensasse per ludum, et procaci
- » Diceris arripuisse dextra.
  
- « Te prorogati filia Temporis
- » Germana Recti conscia Veritas
- » Non erubescendis adurit
- » Ignibus; ingenuoque parvus
  
- « Lucas honesto, fervidus ardua
- » Curare rerum. Te patriæ parens
- » Tranquilla Libertas, Fidesque,
- » Et duplicis studiosa mundi,

- « Illiterato quæ præcul otio  
 » Fecunda veri tempora dividit,  
 » Arcemque Causarum et corusci  
 » Prævehitur vaga regna Phœbi;
- « Te, quæ propinqua clade superior  
 » Gaudet cruentis Diva periculis,  
 » Lassare Fortunam duello, et  
 » Per medias docet ire morteis.
- « Illam impotentum exercitus imbrium  
 » Insana aquarum rumpere prælia,  
 » Undas refringenteinque flammæ  
 » Attoniti pavet ira mundi.
- « At non et æquo fœdere Comitas  
 » Non temperato pectore conserit  
 » Cultusque, tranquillamque inorum  
 » Temperiem, similemque vultum;
- « Sive æstuosus gurgis inhorruit  
 » Civilis undæ, cum popularium  
 » Æstu procellarum, et dolosa  
 » Carbasa diripiuntur unda;
- « Seu rauca vulgi murmura lenibus  
 » Sedere ventis, cum placidum sibi  
 » Consensit æquor ».

Canit porro poëta Nobilitatem Honori comitem adstare, nec deesse Martis opes vel aquilas, nec etiam fascès et lauros; cum *fremetum turba titulorum retro inaneis exerceat aureis*. Fingit deinde Honorem curru nubes prætervehi, stupentibus hominibus, et tota eum adorante civitate; unde oppida, mare et attonitas speculari possit urbes, ita pergens :

- « Tu regna ventorum et pelagi gravem  
 » Compescis iram, tu vaga siderum  
 » Crystalla frænas. Tu frementeis  
 » Lucis equos, vigilesque mundi

- « Metaris igneis; te penes Æquitas,
  - » Et septa Thuscis jura securibus
  - » Stipantur; annosæque leges
  - » Et niveum sine cæde Justum.
- 
- « Tecum supellex aurea, et asperi
  - » Gemmis tiaræ: te radiantium
  - » Nexus coronarum, sereni
  - » Regum apices, lituique circum
- 
- « Et regiarum sidera frontium,
  - » Mitræque fulgent, et diademata
  - » Ad usque formosam diei
  - » Invidiam, opprobriumque solis.
- 
- « At retro flavum lambere pulverem
  - » Livor rotarum, et degeneri solum
  - » Mento cecidisse, et procacem
  - » Mœret humi posuisse vultum.
- 
- « Plenoque nusquam Divitiæ sinu
  - » Gazæque, et omnis turba Pecuniæ,
  - » Et grando gemmarum, et refusi
  - » Per populos vagus imber auri.
- 
- « Tu lene Tormentum ingenio admoves,
  - » Mentisque dulcis nectare Gloriæ
  - » Plerumque mulces; te feracem
  - » Consilii, facilemque vendi
- 
- « Emissæ doctus circuit Ambitus,
  - » Fucoque et albis vestibibus unice
  - » Formosus, agnosci que duplex
  - » Et placidæ sine nube rugæ,
- 
- « Risu serenæ frontis idoneus
  - » Mire sagacem fallere curiam,
  - » Discrimen obscurum dolosis
  - » Artibus, ingenioque morum.

- \* Spes mille circum nubibus insident ,
- \* Plenaque regni pectore turbidum
- \* Bacchantur; at turpes Repulsa
- \* Et volucris fuga ridet auræ.

Hæc, quamvis longiora sint, ideo adscripsimus, quia, ut jam monui, ex iis Sarbievianæ poeseos notatio optime confici potest. Quem enim lyrica horum versuum sublimitas non capit? quem non phantasia? præsertim in initio, ubi Honoris ortus describit? quis non mirifice delectatus est desiderio, quo Honorem ab omnibus mortalibus adpeti fingit? Quis est, qui neget poëtam præclare Honorem in cælum collocavisse, a terris adoratum, indeque mortales speculantem? Eximie porro canit æquitatem, annosas leges, et niveum eum comitari Justum. Eleganter depingit attributa, quæ dicuntur, Honoris, præclare etiam livor fingitur *flavum lambere pulverem rotarum*, et *mento solum mordere*; quod quam vim in legentium animos habeat, dici vix potest. Eisdem laudibus præstare mihi visa sunt cetera, quæ de *ambitu de spe et de repulsa* cecinit; ita ut nullus dubitem, hoc carmen Horatianum æquiparare quod ad *picturam* attinet, ei vero anteponeere quod ad *sublimitatem* attinet, *inventionem et phantasiam*. Dictio Sarbievii, quamvis Horatii dictioni longe cedere debeat, et intellectu difficillima sit, poetaque gemmarum grandine et auri imbribus mirifice delectetur, nonnullis tamen in locis præclara est habenda.

Elegantissima et sublimia utriusque nostri poëtæ carmina exstant, quibus Pindari et Davidis poetarum laudes celebrantur, quæ igitur etiam inter se conferenda sunt.

Horatius a Julo Antonio rogatus, ut felicem Augusti e bello Germanico reditum Pindarico carmine celebraret, huic rei se ineptum esse præ se fert, aptum vero luce clarius hocce carmine ostendit :

- \* Pindarum quisquis studet æmulari,
- \* Jule, cerasis ope Dædalea
- \* Nititur pennis, vitreo daturus
- \* Nomina ponto.

« Monte decurrens velut amnis, imbres  
 » Quem super notas aluere ripas,  
 » Fervet immensusque ruit profundo  
 » Pindarus, ore.

« Laurea donandus Apollinari,  
 » Seu per audaces nova dithyrambos  
 » Verba devolvit, numerisque fertur  
 » Lege solutis :

« Seu Deos regesve canit, Deorum  
 » Sanguinem, per quos cecidere justa  
 » Morte Centauri, cecidit tremendæ  
 » Flamma Chimæreæ.

Sive, quos El ea domum reducit  
 » Palma cœlestes, pugilemve equumve  
 » Dicit, et centum potiore signis  
 » Munere donat.

« Flebili sponsæ juvenemve raptum  
 » Plorat, et vires animumque moresque  
 » Aureos educit in astra, nigroque  
 » Invidet Orco.

« Multa Dircaëm levat aura cycnum,  
 » Tendit, Antoni, quoties in altos  
 » Nubium tractus : ego, apis Matinæ  
 » More modoque,

« Grata carpentis thyma per laborem  
 » Plurimum, circa nemus uvidique  
 » Tiburis ripas, operosa parvus  
 » Carmina fingo ».

A nemine credo Pindarum tam egregie laudatum esse quam ab Horatio. Quam egregie dixit poëta Pindarum, quidquid canat, sive Deos et heroas vel victorem in ludis Græcorum celebret, sive denique suaviores animi adfectus depingens juvenem ploret, quem aut invida mors sponsæ rapuit, aut auream ætatem,



aureosque mores in cœlum evehat, æstuarè et immensum profundo ore prorumpere, veluti flumen extra ripas egressum et monte ruens! Quam mira suavitate singuli versus præstant! quam poëtice singula memoravit Pindari carminum argumenta! quam elegantissima denique et aptissima imagine Pindari sublimitatem cum cycno, in albos nubium tractus se levante, suum vero, quod in levioribus argumentis posuit, pœseos studium, ꝑcum sedula apis, thyma carpentis, opera comparat! Quis est omnino, qui in hisce versibus non admiretur poëtæ dictionem, picturam, comparationes, et vero sublimitatem?

Sarbievius in carmine ad Cæsarem Pausilippum Davidis poesi Latinam non esse parem ita cecinit :

- « Jessæa quisquis reddere carmina
- » Audet Latini pectine barbiti,
- » Audet redordiri superbæ
- » Turrigeras Babylonis arceis.
- « Quantus Poloni e vertice Carpathi
- » Ruptis inuudat Vistula fontibus :
- » Se fert, inexhaustusque tanto
- » Isacius ruit ore Vates.
- « Utcumque Pastor duxit in avias
- » Armenta valleis, aut gelido super
- » Jordane, museosæque Bethles
- » Aut liquidis Acaronis undis;
- « Dulci renarrat carmine melleis
- » Manasse retro secla liquoribus,
- V i nique rivos, et vetustas
- » Lacte novo trepidasse ripas :
- « Seu forte miles belligeras lyra
- » Transumit hastas, et superum pio
- » Scutumque loricamque Regi
- » Induitur, femorique magnum
- « Appendit ense, qui male pallida
- » Urat minaci sidera fulgure,
- » Urbesque Regesque, et tremendo
- Regna metat, populosque ferro :

« Seu Christianis grande nepotibus  
» Evolvit ævum, sive adamantinis  
» Decreta cœli fixa valvis;  
» Sive hominum superumque Patrem,

« Stellante mundi sistit in atrio,  
» Cum torvus alti nube supercili  
» Dijudicandorum supremus  
» Consilio stetit in Deorum.

« Illi et propinquus Terror in auro,  
» Et Fas et Æqui srenua veritas,  
» Et Candor assidere scamno,  
» Et liquidæ sine nube Leges.

« Quis ducat æquo pectine sutilem  
» E luce pallam? quis sub hyantini  
» Tentorio cœli sedentem,  
» Quis rutilis diadema dicat

« Crinale stellis? quis memoret Deum  
» Late trahentem syrma per aureum  
» Mundi pavementum, sequaci  
» Sidera conglomerare limbo?

« At quantus inter Nilias chelyn  
» Intendit undas, cum reducem Pharo  
» Mosen, Erythræisque ducit  
» Isacidum pia castra lymphis?

« Hinc ruptus atque hinc artificii lyra  
» Pontus rigenti dissiliit freto, et  
» Circum pependerunt euntes  
» Marmoreis maria alta muris.

« Videre stratis te Deus æquora  
» Videre tonsis, et liquido pede  
» Fugere: perrectas in altum  
» Ipse timor glaciavit undas,

- « Et stare jussit. Non humili sono  
 » Terrasque et ictos increpuit polos  
   » Armatus æther. Hinc rubenti  
     » Fulgura dissilvere rima ;
- « Interque crebræ verbera grandinis ,  
 » Undasque flammisque et trepidantium  
   » Duella ventorum , superbi  
     » Frænigeras Pharaonis alas ,
- « Currusque et hastas , sanguineum mare  
 » Jam non inani nomine proruit  
 » Late superfusum ; cruentos  
   » Servat adhuc memor unda sulcos.
- « Tum vero victor quadrijugas super  
 » Sublimis auras se Deus extulit ,  
 » Longeque frænatis tetendit  
 » Sacra Notis Zephyrisque lora.
- « At læta circum flumina vitreis  
 » Plausero palmis , et velut arietes  
   » Succussa certatim supinis  
     » Culmina subsiliere silvis.
- « Hæc nos nec olim Sarmatica rudes  
 » Ausi Camœna ; nec modo Dardanas  
   » Culti per arteis , fortiore  
     » Pausilippi , recinemus oestro.
- « Satis daturi , si Salomoniam  
 » Utcumque lenes tendere barbata  
   » Castam Sunamitum et pudicos  
     » Carmine sollicitamus ignes. »

Quamquam octo prioribus versibus Horatium ante oculos procul dubio habuit noster , eum tamen Pindari laudatorem egregie admodum imitatum esse , quis est qui non videat ? In enumerandis autem singulis Davidis poeseos argumentis quis

non miratur Sarbievii pingendi artem? Quem non cepit sublimis quo Deum pingit modus? Ejus autem descriptione Israëlitarum per mare rubrum tendentium quid præclarior excogitari potest? Videmus aquas Dei jussu fugientes; videmus æthera sulfure armatum, fulmine et tonitru totum mundum concutientem; et inter verbera grandinis, et undarum, inter flammam et bella ventorum totas Pharaonis copias insanis aquis obrutas. -- Fingit porro poëta Deum victorem se sublimem super auras efferre, et ventis silentium imponere; ita ut statim læta omnia spirent. Tali autem tamque sublimi pictura quis non extra se rapitur, et poëtam divinum admiratur? Non est igitur, quod vereamur, ne non omnes nobis adsentiantur, palam profitentibus, nos hocce Sarbievii carmen Horatiano præferre, quod ad *sublimitatem* attinet et *phantasiam*, comparare pictura, dictione contra et elegantissimis comparationibus longe postponere.

Hæc autem sufficiant, ut ostendamus Sarbievium Horatium in rebus majoribus canendis interdum vincere, quod ad sublimitatem attinet, et iuventionem; Horatium vero eum antecellere omnibus iis, quæ ad dictionem attinent et elegantiam. Qua in re probe attendendum est, Horatium lyricam Romanæ linguæ dictionem informasse, ut etiam egregiam illam rythmi concinnitatem, ita autem informasse, ut perfectissimum hac in re totius fere antiquitatis exemplum sit habendum. -- De dictione satis vidimus, et etiam videbimus. De metris hoc unum monemus. Semper fere diversis utitur metris, pro diversis, quæ canit, argumentis. Ita, v. c. mirifice strophæ delectatus est Alcaica, quæ miram alacritatem cum dignitate mixtam præ se fert, et, quoniam qua proportione incipit, eadem finitur, lyricæ poësi aptissima videtur. Omnium autem maxime Sapphica usus est strophæ, propter melos ejus, et quia gratiæ plena summis animi sensibus et motibus maxime adcommodata est. Asclepiadeum usurpat metrum, quando in rebus humanis contemplandis versatur, quippe quod, nulli alii generi mixtum efficit, ut carmen tranquille incedat et sedate. Sin autem in perstringendo, admonendo et solemnibus Odis versatur, post duos Asclepiadeos Pherecratius sequitur, et Glyconius Stropham claudit.

Quoniam enim Asclepiadeis, per se nimis tranquille incedentibus, in vehementioribus animi affectibus lyricum sensum haud potest exprimere poëta,

Pherecratius additur, et Glyconius stropham claudit, quo majorem alacritatem accipiat et vigorem. (1)

Sarbievius vero pro argumento diverso eodem utitur metro; vel, ubi diversitatem illam metri observavit, Horatium tantum imitatus est, ita ut non magna inde laus in eum redundare possit. Interdum etiam Horatius (ut ad argumentum redeamus nostrum) mihi ad commovendum gravius, cum majore omnino vi et dignitate cecinisse videtur quam Sarbievius, v. c. in oda illa qua Romanos a bello detertere studet civili, ita canens: (2)

« Quo, quo, scelesti, ruitis? aut cur dexteris

» Aptantur enses conditi?

» Parumne campis atque Neptuno super

» Fusum est Latii sanguinis?

» Non, ut superbas invidæ Carthaginis

» Romanus arces ureret,

» Intactus aut Britannus ut descenderet

» Sacra catenatus via;

» Sed ut, secundum vota Parthorum, sua

» Urbs hac periret dextera.

» Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,

» Nunquam, nisi in dispar, feris.

» Furoræ cæcus, an rapit vis acrior?

» An culpa? responsum date.

» Tacent: et ora pallor albus inficit,

» Mentisque percussæ stupent.

» Sic est: acerba fata Romanos agunt,

» Scelusque fraternæ necis;

» Ut inmerentis fluxit in terram Remi

» Sacer nepotibus cruor ».

Hoc carmen, quamvis brevissimum, mihi tamen multa complecti videtur.

(1) Cf. omnino hac de re cl. Dorn Seiffen. Prosod. p. 90, sqq.

(2) Epodon Carm. VII.

Poeta Romanos a bello deterrere studens civili, primum mala et damna, quae bella civilia jam attulerunt, iis ob oculos ponit, deinde caecum eorum furorē ostendit, quo non contra exterum hostem, sed, quod ne feræ quidem facere solent, contra semetipsos furant; denique fatalium poenarum, quae eorum scelera maneat, praesagitione eos percellit. Summum rursus poetae consilium in hocce carmine admirandum est. Initium statim grave est, quo poeta censoris quasi personam agens, sibi auctoritatem quamdam arrogat, praepopularibus suis. Cum vi autem et irrisione quadam eos rogat, an non satis jam sanguinis terra marique sit effusum, ad malam rem peragendam? non ut invidiam et invisam diruerent Carthaginem, aut intactum triumphantes ante currum agerent Britannum, sed ut, secundum vota infestissimorum adco Romano imperio populum, urbs sua ipsa culpa rueret, et cives belluis ferociores mutuo ferro sese occiderent. Ipsos deinde Romanos rogat, quænam hujusce rei culpa sit? Tacent, pallent, stupent. Sic est, canit poeta; scelus, quod Romulus fratris sui cæde commissit, eos urget et premit, postquam parricidium illud nepotibus expiandum perpetravit. Quis hæc non ea efficacitate dicta putat, qua omnium animi quam maxime commoveri deberent?

Audiamus nunc Sarbievium, ita ad Germaniam, quæ bello civili ardebat, camentem: (1)

- « Quid juvat densis glomerata turmis
- » Bella civili tonuisse clade?
- » Quid juvat late maduisse pingues
- » Sanguinæ campos?
- « Tela Threissis potiora pugnīs
- » Tela Germani cohibete, tela;
- » Tela molitur nova pervicacem
- » Cæsar in hostem ».
- « Parcus irarum, modicusque ferri
- » Lenis in cives, sine cæde fusos
- » Thracas et victos sine clade Cæsar
- » Sternet Alanos.

---

(1) L. II. C. XXI.

« *Pone crudelis simulacra leti,*  
 » *Deme loricas, pharetrasque Rhæte,*  
 » *Mollibus flectit sua regna Ferdi-*  
 » *Naudus habenis.*

« *Servit extremi tibi poter Istri,*  
 » *Cæsar irati moderator orbis;*  
 » *Te repercussis agilis Sicamber*  
 » *Concrepat armis.*

« *Condito mitis placidusque ferro*  
 » *Orbis, ingentes senii ruinas*  
 » *Firmat, et prono fugitiva ducit*  
 » *Otia mundo.*

« *Martis oblitus, calidæque rixæ*  
 » *Findit obliquo juga vomer unco;*  
 » *Et minax olim, modo justus agrum*  
 » *Demetit easis.*

« *Cassis instratis resupina cristis,*  
 » *Alitum vernis resonat querelis,*  
 » *Fœta nidorum; sociant maritas*  
 » *Scuta columbas.*

« *Te vagum solis comitata currum*  
 » *Fama, per latas spatiosa terras,*  
 » *Narret Eois, doceatque seros*  
 » *Nomen Iberos.*

« *Audiet Dacos acuisse tela,*  
 » *Tela Germanis inimica telis;*  
 » *Audiet contos et iniqua pilis*  
 » *Pila rotari.*

« *At simul leni rapiente curru*  
 » *Sparget insonti fera corda succo;*  
 » *Demet et contos, et iniqua pilis*  
 » *Pila recondet ».*

Sarbieviani carminis spiritus non tam est ardens et impetuusus quam Horatiani; quod tamen in hujusmodi generis carmine necessario requiri mihi videtur. Hora-

tius Romanis scelus, quod bellis civilibus perpetrant; ante oculos ponit, Sarbievius vero belli civilis stultitiam denotat, cum Ferdinandus sit princeps lenis adque pacem proclivis; Rhætibusque affirmat, si bello abstineant, famam præclara eorum facinora per omnes terras vecturam. — Equidem hocce carmen Horatii Odæ inprimis quod ad spiritum et dictionem attinet, longe postponam.

Hactenus de sublimioribus carminibus vidimus. Cum autem multa, inprimis Horatii, carmina exstant levioris, ut ita dicam, argumenti, quibus Sarbievius interdum etiam delectatus est, juvat ultimo loco unum alterumve hujusce generis carmen utriusque nostri poetæ inter se conferre. Quam ob rem primum videamus de illo genere, quod in philosophiis vitæ præceptis dandis versatur, et Horatii Carmen XIV. Lib. II. cum Sarbievii Oda II. Lib. II. conferamus.

Horatius igitur Postumum hortatur, ut, vitæ brevitate memor, bona, quæ ipsi contigerint, cum amicis sapienter percipiat, neque sinat, ut heres, quibus ipse pepercit, bona dilapidet. Id autem facit ho modo :

- « Eheu fugaces, Postume, Postume,
- » Labuntur anni : nec Pietas moram
- » Rugis et instanti Senectæ
- » Adferet, indomitæque Morti,
- » Non si trecentis, quotquot eunt dies,
- » Amice, places inlacrimabilem
- » Plutona tauris; qui ter amplum
- » Geryonem Tityonque tristi
- » Compescit unda, scilicet omnibus,
- » Quicumque terræ munere vescimur,
- » Enaviganda, sive reges
- » Sive inopes erimus coloni (1).

(1) Flaccum imitatus est Sarbievius L. IV, C. III ad finem.

- « Semel advehemur,
- » Quam navigamus semper in insulam;
- » Seu lata magnis stravimus æquora
- » Reges carinis; seu Quirites
- » Exigua vehimur phaselo ».



- « Frustra cruento Marte carebimus,
- » Fractisque rauci fluctibus Hadriæ ;
- » Frustra per autumnos nocentem
  - » Corporibus metnemus Austrum :
- « Visendus ater flumine languido
- » Cocytus errans, et Danaï genus
- » Infame, damnatusque longi
  - » Sisyphus Æolides laboris.
- « Linqnenda tellus, et domus, et placens
- » Uxor : neque harum, quas colis arborum,
- » Te, præter invisus cupressus,
  - » Ulla brevem dominum sequetur.
- « Absumet hæres Cæcuba dignior
- » Servata centum clavibus : et mero
- » Tinget pavementum superbum,
  - » Pontificum potiore cœnis ».

Sarbievius carmen hocce ad Memmium scripsit, quo docet vitæ brevitatem benefactis extendendam esse.

- « Quæ tegat canas modo bruma vallis,
- » Sole vicinos jaculante monteis,
- » Deteget rursum. Tibi cum nivosæ
  - » Bruma senectæ,
- « In caput seris cecidit pruinis
- » Decidet nunquam. Cita fugit Æstas,
- » Fugit Autumnus, fugient propinqui
  - » Tempora veris :
- « At tibi frigus, capitique cani
- » Semper hærebunt, neque multa nardus
- » Nec parum gratum repetita dement
  - » Serta colorem ».
- « Una quem nobis dederat juventus,
- » Una te nobis rapiet Senectus :
- » Sed potes, Publi, geminare magna
  - » Sæcula fama.

- « Quem sui raptum gemuere cives,  
 » Hic diu vixit. Sibi quisque Paniam  
 » Scribat heredem; rapiunt avaræ  
 » Cetera Lunæ ».

Cuinam poetarum hisce carminibus palma sit deferenda, non adeo dictu difficile mihi videtur. In altero enim carmine cernis poetam, ita ut philosophus vix, aut ne vix quidem adpareat, et tamen omnia inserviunt, ad præcepta ejus confirmanda; lyricum prorsus poetam, qui brevibus item digressionibus indulget; in altero vero philosophum, qui sententias in breve carmen multas ita effundit, ut quot strophæ, tot fere sint sententiæ, quamvis minime pedestri ratione expositæ. Manifeste igitur ejus consilium adparet, ut doceat magis quam placeat. In Horatii carmine nescias profecto, quid magis admireris, utrum perfectam dictionem, et picturam, an miram poetæ artem, qua præcepta sua ita omni, quam poesis spirat, elegantia ornavit, ut philosophum obliviscamur, poetam unice cernamus, admiremur. Atque hoc unum carmen multorum hujusce generis instar est.

Ubivis enim ita Horatius et Sarbievius in eo versari solent, ut alterum alteri multum præferendum ducamus, præterquam in carmine XIV, Lib. I. quo Sarbievius ad Horatium proxime accedit.

Ceterum non multa hujusce generis Sarbievii carmina exstant, qui aliud etiam argumentum, quod Horatius sæpenumero amplexus est, amorem et vinum, ne attigit quidem. Rarius etiam apud Sarbievium veris vel mollium omnino affectuum picturæ occurrunt, quibus tantopere Flaccus excelluit. In Epodon tamen Carmine III. Palinodiam continenti ad secundum Epodon carmen Horatii, vitæ rusticæ occurrit descriptio, quam hic una cum Horatii pictura non adferre non possumus.

Fœnerator Alphius igitur beatum illum prædicans, qui negotiis expeditus, vitæ rusticæ, se dare potest, agri et vini cultui intentus, hancce hujusce vitæ exhibet picturam :

- « Libet jacere, modo sub antiqua ilice,  
 » Modo iu tenaci gramine.

- » Labuntur altis interim ripis aquæ;
- » Queruntur in silvis aves;
- » Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
- » Somnos quod invitet leves.
- » At quum Tonaotis annus hiernus Jovis
- » Imbres nivesque comparat :
- » Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
- » Apros in obstantes plagas,
- » Aut amite levi rara tendit retia,
- » Turdis edacibus dolos;
- » Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
- » Jucunda captat præmia.
- » Quis non malorum, quas amor curas habet,
- » Hæc inter obliviscitur?
- » Quod si pudica mulier in partem juvet
- » Domum, atque dulces liberos,
- » Sabina qualis, aut perusta solibus
- » Pernicis uxor Appuli;
- » Sacrum vetustis exstruat lignis focum
- » Lassi sub adventum viri;
- » Claudensque textis cratibus lætum pecus,
- » Distenta siccet ubera;
- » Et horna dulci vina promens dolio,
- » Dapes inemptas apparet :
- » Non me Lucrina juverint conchyliâ
- » Magisve rhombus, aut scari,
- » Si quos Eois intonata fluctibus
- » Hiems ad hoc vertat mare:
- » Non Afra avis descendat in ventrem meum,
- » Non attagen Ionius
- » Jucundior, quam lecta de pinguissimis
- » Oliva ramis arborum
- » Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
- » Malvæ salubres corpori,
- » Vel agna festis cæsa Terminalibus,
- » Vel hædus ereptus lupo.
- » Has inter epulas ut juvat pastas oves

- « Videre properantes domum ;
- « Videre fessos vomerem inversum boves
- « Collo trahentes languido ;
- « Positosque , vernas ditis examen domus ,
- « Circum renidentes Lares !

Qui aliqua nativam poeseos venustatem sentiendi facultate conspicuus est , hic omnino suavissima hacce vitæ rusticæ pictura delectari et elegantissima dictione , quæ in singulis versibus adparet , capi debet.

Sarbievius , laudem otii canens religiosi hisce versibus vitam pingit rusticam , et cœnam agrestem nobis ob oculos ponit.

- « Jam tunc sub ipsum limen , aut domestica
- » Lenis sub umbra populi ,
- » Exspectat omnis hospitem suum penus ,
- » Et concha sinceri salis ,
- » Pressique meta lactis , et purus calix ,
- » Et hospitalis amphora ,
- » Et fraga , raris verna quæ dumis legit ,
- » Jucunda panis præmia.
- » Non me scari tunc , non Lucrinorum gravis
- » Sagina mulorum juvet :
- » Sed cereus palumbus , aut turtur niger ,
- » Aut anser amnis accola ,
- » Et cruditam quæ fugit gulam faba
- » Lætunque , nec simplex olus ,
- » Et quæ suprema colligetur , ac gravi
- » Patella nil debet foro.
- » Post hæc vel inter læta quercetis juga ,
- » Vel inter amneis juverit
- » Vitare tristeis post meridiem Notos
- » Sub æsculo vel ilice ;
- » Nigrumve littus , aut opaca lubricis
- » Tranare stagna lintribus ,
- » Jactaque fruge ludibundum ducere
- » Tremente piscem linea.

- « Remugit ingens interim tauris nemus,  
 » Umbrosa balant flumina;  
 » Et aut in antris garrunt acanthides  
 » Aut in rubis lusciniæ.  
 » Hinc per rubeta pastor errantes capras  
 » Vocante cogit fistula;  
 » Illinc herili messor e campo redux  
 » Alterna plaudit carmina,  
 » Et pressa sectos planstra per sulcos gemunt  
 » Ruptura ruris horrea.  
 » At nec tacemus pone considendum  
 » Dulcis manus sodalium;  
 » Nec inficeta sermo differtur mora,  
 » Sed ianocentibus jocos,  
 » Multoque tinctus, sed verecundo sale,  
 » Innoxium trahit diem .»

Quis non hæc ita composita esse statuatur, ut Sarbievium, si hoc argumentum tentaret, in eo felicissimum fuisse manifesto prodant? Ita etiam ex aliis carminibus v. c. ex Horatii Oda XIII. Lib. III. qua fontem celebravit Bandusiam, et Sarbievii Epod. II. quo Roma in patriam redux, fontem allocutus est Sonam, patebit, Sarbievium, in levissimis adeo argumentis canendis interdum Horatium esse adsecutum.

---

Hæc autem sunt iudices Clarissimi! quæ cum de neglectæ Neo-Latinæ pœseos causis, deque ejus justo sive immerito contemptu, tum de Horatii et Sarbievii poëtica facultate, in medium proferenda duximus. Qua quidem in re ita versati sumus ut utraque pagina vestra indigeamus benevolentia, vestra abusi simus patientia. Cum autem singulis tantum carminibus, et singulis, quæ ad verum poëtam efficiendum imprimis valent, dotibus, nostrum de utroque poëta iudicium addidimus, jure requiri videatur, subjicere brevi huc, quid universe de Horatio et Sarbievio iudicemus. Iudicium igitur nostrum huc redit. Sublimitate,

et inventione (quod ad sublimitatem attinet dubiam ei sæpissime palmam faciat Horatius), vel equidem fallor, vel Sarbievium magis excelluisse manifesto vidimus. Pictura uterque præprimis conspicuus est; quatenus autem ea cum sublimitate conjuncta est et phantasia, mihi Sarbievio magis, quatenus vero cum dictione, magis Horatio propria fuisse videtur. Dictione vero, et elegantia, et cultu, versuumque suavitate, quantopere Horatius Sarbievium superaverit, dictu difficile est. Idem in carminibus, quæ non ita sublimis sunt argumenti, in quibus igitur perfecta ejus dictio, elegantissima pictura, egregiæ sententiæ, quaque nihil supra potest, versuum suavitas eminent, longe æmulum antecellit suum. Non hæc dicta sunt, ut Horatio sublimitatem, Sarbievio elegantiam et cultum omnino denegemus; verum ut Horatio veram illam lyricam sublimitatem, et Sarbievio Atticam illam elegantiam et incredibilem urbanitatem, egregiamque dictionem in carminibus non ita multis propriam fuisse contendamus. Ita quoque quamvis Horatio universe non magna inventionis laus tribui possit, cum plurima carmina ei propria sunt, tum lyricam Romanorum dictionem, et rythmicam Odarum rationem ipse informavit.

Sin autem utrumque nostrum poëtam ita inter se conferamus, ut Sarbievium in sublimioribus modo carminibus, et Horatium in iis, quæ ad amicos scripsit, in suo igitur quemque genere, spectemus, tum omnino, inventionis laude excepta, quæ Sarbievio debetur, ceteris fere omnibus magis excellit Horatius, quippe qui in illis carminibus, in quibus non illa, quam in Pindaro et Sarbievio admiramur, sublimitas et phantasia requiritur, ita excellat, ut nemo magis.

Verum, prouti in judicio de clarissimis viris ferendo, imprimis attendenda sunt tempora, quibus vixerunt, ita reputandum etiam est, Horatium fuisse Romanum, qui aurea artium literarum Romanorum ætate viveret, qui inde a prima ætate optimis artibus eruditus, Græciæ poëseos monimenta quotidie ita evolveret, ut ad intimam eorum medullam penetraret, postea in cultissimorum quorumque hominum, Augusti adeo et Mæcenatis familiaritatem perveniret, et clarissimorum hominum consuetudine sic uteretur, ut multum temporibus debuisse videatur. — Sarbievius contra sæculo non vixit barbaro, nec cultissimo tamen; cui multum deerat, ut aureum dici posset; amicitiam quidem

cum principibus ejus temporis viris, Barberino imprimis et Urbano coluit, Romamque petiit, sed multum aberat, ut hæc omnia eandem in eum habere vim possent, quam in Horatium habuerant Augusti et Mæcenatis amicitia, et Roma, tunc temporis artium doctrinarumque sedes, et vero humanitatis. Accedit, quod lingua peregrina Sarbievius argumenta cecinit, quæ sæpius Romanis prorsus incognita essent, ut adeo jure quodam nostro contendere possimus, Horatium, si Sarbievii vixisset tempore, non illum evasurum fuisse poëtam, quem nunc admiramur, Sarbievium vero, si Augusti ætate florisset, talem fuisse evasurum, qualem perfectum fere lyricum poëtam nobis informare solemus.

TANTUM.





DISSERTATIO

DE

METASTASIBUS.

D I S S E R T A T I O

OF

M E T A S T A S I S

LEOPOLDI GODIN,

HUENSIS,

CLINICÆ INTERNÆ PRÆPOSITI,

DISSERTATIO MEDICA DE METASTASIBUS,

PRÆMIO ORNATA,

DIE VI<sup>ta</sup> OCTOBRIS ANNI MDCCCXXIII,

*Ad quæstionem a Medicorum ordine Universitatis Leodiensis propositam :*

*Detur accurata metastaseos descriptio , exponaturque , experientia duce , quibusnam in morbis frequentius metastases observentur , proponatur denique rationalis earum theoria.*

LEOPOLDI GODIN

HAWAII

OPINIONUM COMMENTA DELET DIES, NATURÆ JUDICIA CONFIRMAT.


Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

CICERO, *de natura Deorum.*

OPINIONUM COMMENTA DELET DIES, NATURÆ JUDICIA CONFIRMAT.

OPINIONUM COMMENTA DELET DIES, NATURÆ JUDICIA CONFIRMAT.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through or a second page's content.



## PROOEMIUM.

---

### §. 1.

Ex omnibus quæ in singulorum morborum decursu notantur conversionibus, nulla, absque dubio, tanti momenti est ac metastases, quarum exacta cognitione, non minus quam crisiûm utili ac necessaria, medicus modo mutationem, in morbo per se ipsum levi, lethiferam providet, modo, quum jamjam contigit metastasis, ad illam impugnandam ac vincendam remedia obtinet, modo denique certis in casibus, præsertim in affectibus chronicis, morbos pridem ad incurabiles amandatos veluti arte magica sanat ac omnino exsolvit.

Quæ mala vero genuit metastaseon vel negligentia vel ignorantia! Quoties cura intempestiva metastases nocivas, quandoque lethales, produxit! Quoties de miserando ægro medicis imperitis, agyrtarum laud absimilibus, commisso, ista divini vatis dictitare heu! potuissemus: ægrescitque medendo! (*Æneid. lib. 12*).

### §. 2.

Ista autem metastaseon doctrina, tam gravis, tam vero medico, qui hoc nomine non indignus esse studet, necessaria, perardua, cernitur, multisque premitur difficultatibus.

Victu difficiles, provisu difficiliores, quoad theoriam omnibus iis, qui eas explicare conati sunt, responsare et quasi insultare videntur metastases.

Quas mihi difficultates non dissimulavi, itaque, illustrissimi ornatissimique Professores, istud opusculum, vires sane exsuperans, vobis tremens modestè offero.

Si campus omnibus pateret, cum iis qui experientia diuturniori, ac doctrina, longa observatione innixa, juveni tam superiores eminent, certaminis fortunam certe non tentassem; attamen quoniam contra rivales juniores, qui mihi in experientia vix antecellunt, pugnem, in arenam descendere aggredior, confisus *laborem improbum* lacunas dotum ac doctrinæ expleturum, *omniaque victurum*.

## §. 3.

Non inutile erit, puto, quædam primum dicere de ratione qua quæstionem propositam et intellexim et tractaverim. *Detur*, poscit hæc quæstio, *accurata metastaseos descriptio exponaturque, experientia duce, quibusnam in morbis frequentius metastases observentur; proponatur denique rationalis earum theoria*.

Exinde manifeste patet meam dissertationem in tres partes dividendam esse: in prima metastaseos descriptionem; in secunda historiam cuique peculiarem; in tertia denique earam theoriam exponere conabor.

## §. 4.

Quam censeo optimam metastaseos definitionem, eam prima parte statuo; dein ejusdem divisiones, causas, diagnosin, prognosin, et curandi rationem aggredior, quæ omnia contineri mihi videntur in verbi *descriptione*, cujus tamen verbi et significatio et latitudo sat arbitrariæ hic evadunt.

## §. 5.

In secunda dissertationis parte non satis erat, certe, nomina citare morborum in quibus metastases observantur, variasque metastases tangere quas hi morbi producere valent. Istud simplex ac breve enunciatum, nullius plane utilitatis fuisset, quum res omnibus notas, quas ne tirones quidem nescire possunt, præbuisset.

Præterea hæc verba *experientia duce*, majora desiderari sat lucide ostendebant. Itaque historiam completam ac perfectam metastaseon, quæ sæpius in praxi occurrunt, scribere studui; singularum metastaseon observationes retuli

quæ mihi majori momento visæ fuerant, attentioneque medicorum digniores; neque nonnulla ex hisce consecraria vel quoad diagnosin, vel quoad curandi modum, silentio prætermisi.

Hanc commentationis partem historiam metastaseon quam noverim locupletissimam præbere ego, quem præcipua hac de re scripta sane non fugiunt, dicere non dubito.

#### §. 6.

Ilic non possum non dolere quanta cum indiligentia observationes e libris excerptas referant nonnulli omissione consulto facta, modo callida mutatione materiei tractandæ, historiam vere illi nullo modo congruentem, accommodant (1).

Ob quod incommodum vitandum, historias a me allatas ex observatoribus ipsis, quantum licuit, collegi, et quum haud vetuit longitudo, per partes singulas diligenter eas transcripsi (2).

#### §. 7.

Mihi forsitan vitio vertetur nimia observationum farrago, e quibus tam paucæ a me scriptæ fuerunt. Ad priorem objectionem nil respondebo; laus potius quam censura. Quod ad posteriorem attinet, dicam hoc vitium in opere juvenis non posse vitari, qui omni fere observatione destitutus, ad aliorum observationem necessario confugere debet.

Aliam censuram, quam de innumeris auctorum testimoniis a me citatis proferre potuissent, adhuc infirmare debeo: quæ objectatio sane vana non foret, si eruditionem tam inanem quam ridiculam, quum nullam utilitatem affert,

(1) Istius indiligentiæ, vel si mavis, istius fraudis viginti exempla præbere possem.

(2) Eadem lingua, qua scriptæ fuerunt, quum eam linguam generaliter notam arbitror, observationes retuli. Quod nullo modo art. 143 statutorum nostrorum adversatur, qui nequam in excerptis linguam latinam exigere voluit; præterea, cæteræ dissertationes annis proxime elapsis, in alias hujus regni Universitates missæ, excerptis gallica, batava, germanica lingua scriptis redundant.

ostentare in animo fuisset; sed longe aliter res sese habuit. Assertionum vim ac veritatem probare studui, viam confirmationis lectori expeditiorem faciendo: insuper, iis, qui in eandem materiam incumbunt, temporis pretiosi jacturæ occurrere volui, fontes ex quibus haurire possint, accurate indicando.

Cæterum, addam hanc inter me et nonnullos, quos indigitare possem, differentiam extare, quod ego scripta ex quibus excerpo candide citem, dum illi tacita furta faciant.

### §. 8.

In tertia denique dissertationis parte, postquam oculis subjecero præcipuas de metastasibus opiniones, ad expositionem transibo theoriæ, quæ magis mihi probatur.

Tandem in fine hujus opusculi *indicem* posui non tantum operum citatorum, cum accurata indicatione editionis, et loci meæ thesis, quo ea citaverim, sed etiam nonnullorum aliorum de metastasibus consulendorum, quæ, vel quia in manibus non essent, vel alia quavis causa non notaverim.

### §. 9.

Antequam huic præfationi finem imponam, duo in contentionem ponere lubet: scopumne attingi? cuivisne utilis ero?

Vestrum, Amplissimi Professores, vestrum est ad priorem quæstionem respondere. Posterioresolvere ingenue tentabo.

Novas hic ne quærite ideas, non frequentes invenientur, quod tamen forsitan in medico opere juvenili commodum est.

Qui de metastasibus justas cupit notiones, meam non sine fructu leget elucubrationem.

Qui discere volet, quæ de hisce morborum conversionibus experientia docuerit, magnam observationum selectarum copiam inveniet.

Qui denique eandem materiam tractabit, gravem molestiam temporisque jacturam certissime a se amovebit, opus ipsum ac indicem, quæ spero, non mediocri utilitate illi erunt, consulendo et in auxilium invocando.

Nunc ipsam dissertationem aggrediar.



## PARS PRIMA.

## METASTASEOS DESCRIPTIO.

Vis ejus rei quam definitis sic exprimi debet,  
ut neque absit quicquam, neque supersit.

CICERO.

---

§. 10.

Duplici modo, dixit præstantissimus Pathologista, clarissimus Chomel (1), omnis definitio statui potest : scilicet vel natura rei intima exacte enuntiatur, vel ejus characteres essentielles enarrantur, ita ut, nullis neglectis, objectum definitum dilucide ac facile ab affinibus dinguatur.

Methodus prior, quum veram rerum essentiam patefaciat, longe sane anteponenda, heu! a medicis perraro admitti potest. Felices, si ope methodi posterioris justam metastaseos ideam tradimus.

§. 11.

Varias definitiones metastaseon ab auctoribus, cum veteribus tum recentioribus allatas, hic exponere minime lubet : omnes fere in theoriis, brevi post eversis, innixas cum iis in oblivionem non immerito venisse tantummodo dicam. Sic antiqui omnia morborum phænomena humoribus tribuentes, in metastasibus humores a parte aliqua ad aliam transferri contendebant : doctrina autem humorum nostris temporibus explosa, theoria ac definitio metastaseon ruunt. Recentiores metastasin, irritationis e loco quodam in alium transmirationem

---

(1) Elémens de pathologie générale, pag. 13.

definierunt; sed quum doctrina vitalitatis, uti doctrina humorum, negligatur, eorum definitio etiam obsolescit.

§. 12.

Pares errores mihi vitandos censui, et metastasin, ex sincera phænomenorum expositione, quin ad theoriã peculiarem recurrerem, definire tentavi.

Sic egerunt Blancardi (1), Reydellet (2), professor Sauveur (3), etc. quorum tamen definitio vel incompleta est, vel inutilia refert.

En nostram definitionem qua, ni fallor, justa metastaseos idea concipitur :

(1) Metastasis, inquit Blancardi (Lexicon, art. metastasis), « est morbi demigratio ab una parte in aliam. » Doctor Reydellet (Dict. des sc. méd. t. 33, pag. 19) pro auctoris nomine titulum operis, nemini sane ignoti, accepit dicens : « cette opinion n'est pas celle de tous les auteurs. Beaucoup et parmi eux *Lexicon Blancardi* etc. » Risum teneatis!

(2) Sequens est definitio cl. Reydellet : « On entendra pas métastase le déplacement d'une maladie et son transport subit ou plus ou moins prompt sur une autre partie plus ou moins éloignée, de quelque nature que soit la cause, qu'elle dépende d'un fluide ou d'un principe totalement inconnu, lequel transport sera suivi de l'entière disparition, ou d'une diminution marquée de symptômes de la maladie primitive, et de la présence de nouveaux accidens plus ou moins graves sur un autre point. » (Dict. des sc. méd. t. 33, p. 20.)

(3) Laudatus professor definitionem sequentem tradit in prælectionibus de pathologia generali : « Metastasis est morbi in sede sua mutatio, qua universalis in localem transit, aut morbus de organo primario affecto ad aliud transfertur. » Quamvis hæc definitio, quæ cum definitione a cl. Sprengel in institutionibus pathologiæ generalis prolata, maximam affinitatem habet, optima mihi videatur, attamen quasdam modificationes admittere potest : 1<sup>o</sup> Vocabulum *transfertur* primum morbum cessasse revera indicat; sed casum, in quo iste morbus tantum imminutus est, quod tamen metastasin adhuc sistit, non involvit. 2<sup>o</sup> Phrasin subsequentem ut inutilem rejiciendam puto : « qua universalis morbus in localem transit; » etenim morbus qui, totam œconomiam occupans, ad partem determinatam corporis circumscribitur, sane suam sedem deserit, nec ideo mentione peculiari indiget; insuper in eo adhuc peccat, quod ideam morbi universalis a schola hodierna forte immerito rejectam, præbeat. 3<sup>o</sup> Denique, aliquid majoris momenti, ut mox videbimus, scilicet evacuationum suppressio in hac definitione silentio prætermittitur.

*metastasis* (1) est *cujusdem morbi vel extinctio vel insignis imminutio, seu evacuationis consuetæ ac notabilis suppressio, apparentibus, in alia corporis parte, diversis symptomatibus morbidis.*

In hac definitione aliquid de suppressione evacuationum habitualium dicendum credidi, quod antea semper neglexerunt pathologistæ. Reipsa enim manifesta existit contradictio, dum in definitione metastaseos de morbi transmigratione unice enarretur, et dein affectus ex suppressione catameniorum vel sudorum habitualium etc., quibus nomen morbi dari sane non potest, ut metastases considerentur.

§. 13.

Huic verbo *metastasis* non semper eadem subjecta fuit significatio. Sic, v. g., clarissimus Lorry, ut infra probabitur, eam mire restrinxit. Sic illustrissimus Goursault (2) metastases in morbis ab humore determinato pendentibus unice admittit, unde eas definit translationem humoris morbiferi ab una parte ad aliam (3). Alii contra, inter quos clarissimus Chomel (4), longe latius sensum vocabuli metastaseos provexerunt, *qualemcumque enim morbi transformationem* sub ista voce comprehendunt.

§. 14.

Idea metastaseos exacte stabilita, forsitan nunc utile erit aliquot verborum

---

(1) A verbo græco *μετίστημι*, sedem muto, non autem, ut voluit Reydellet (op. cit. pag. 16) a verbis *μείνημι* et *μετατίθημι*.

(2) Conf. Prix de l'Acad. de Chirurg. t. 3, p. 2.

(3) Definitionem a Blancardi allatam repudiat auctor, quia sæpius observatur humores sedem mutare quin primus morbus cesset. Hæc autem vana objectio metastasiu incompletam tunc adesse tantum probat. Cæterum, in nonnullis aliis erroribus, quos hic enumerare non nostrum est, versatur et. Goursault.

(4) Elémens de pathol. génér. pag. 334.

in eodem vel fere simili sensu quandoque falso usurpatorum, significationem apprime statuere; uti metaschematismi, metabolelogiæ, metaptosis, etc.

Quidquid in decursu morborum mutatur *metaschematismum* (1) appellant Germani medici; eandem significationem vocabulo *metabolelogiæ* (2) tribuunt alii pathologistæ, unde clare apparet metabolelogiam et metastasin inter se existere, ut genus et species.

Metaptosis (3) est morbi eandem sedem occupantis mutatio. Sic v. g.; erysipelatis in phlegmonem, pleuritis in empyema conversio veram metaptosin sistunt.

Epigenesis (4) est morbus morbo succrescens, quin prior vel evanescat, vel quidem minuat. Inter epigenesin et deuteropathiam (5) differentias nimium subtiles statuerant, ut admitti possint. Diversas varietates offert epigenesis et tunc epiphænomena et epiginomena constituit.

Epiphænomenon (6) est symptoma morbo jam existenti superveniens et ex eo defluens, uti diarrhæa apud phthisicos, ascitis, hepatis infarctus apud eos qui cordis aneurismate laborant, etc.

Epiginomenon (7) dicitur symptoma morbo additum, si non ex isto sed casu fortuito dependet: Sic prava diætæ ratio gastritidem, vigente pneumonia, gignit quæ gastritis, non a morbo primitivo sed ab ægri imprudentia producta, minime metastasin constituit, quum morbus primitivus quin minuat, inde quidem augeatur.

### §. 15.

Etiamsi hæc vocabula in usum raro veniant, attamen eorum significatio a

(1) Μετασχηματισμός (transformatio) ex μετα, quo mutatio quæcunque iudicatur et εξ σχῆμα, forma.

(2) Ex μεταβολή, mutatio, et λόγος, sermo.

(3) Μετάπτωσης, mutatio, et μεταπίπτω transformare.

(4) Ab ἐπί, supra, et γίνομαι nasci.

(5) Δεύτερος, secundus, πᾶθος, dolor, morbus.

(6) A verbis ἐπί supra, φαινόμενον, phænomenon.

(7) A verbis ἐπί, supra, γίνομαι, gignor.

variis auctoribus tam vario sensu usurpata est, unde sæpius obscuritas, ut eam enodare placuerit.

Etenim alii verbi sensum amplificant, alii restringunt, alii plane commutant.

Sic, ex. gr., sequens metaptoseos definitio a cl. Lorry (1) prolata est : « Metaptosis... morbi quamlibet mutationem designat, qua posita, forma morbi atque ipsius symptomata novam accipiunt indolem, nova oculis phænomena subiiciunt, ita tamen ut novus morbus a præcedenti pendeat et alter in alterum translatus videatur ». Ex hac definitione constat Lorry maximam vocabulo metaptoseos extensionem tribuisse, nam metaptosin proprie dictam involvit, ut et metastasin (2). Istius autem metastaseos significatio ab eodem auctore, ut ex sequentibus patebit, valde restringitur : « metastasis, inquit (3) est morbi mutatio a naturæ contra causam lædentem decertantis viribus concitata, et ad salutem corporis instituta ». Exinde sequitur metastasin nil aliud esse quam diadoxin (4) veterum, id est metastasin faustam (5).

Ab aliis istorum verborum significatio tota pervertitur : metaptosin enim cum diadoxi confundunt, dum metastasin unice admittunt cum morbus perniciose sedem mutat (6).

Denique, ex his contrariis opinionibus supra recensitis, et nonnullis aliis silentio obvolutis, quanti esset momenti has definitiones, forsân lectori ingratas, recte enodatas hic diligenter exponere, satis superque patet.

(1) De præcip. morb. mutat. p. 186.

(2) In eundem errorem venit cl. Nysten metaptosin sic definiens : « Changement d'une maladie en une autre soit en pis soit en mieux » (Dict. de méd., art. metaptose.)

(3) Opus citatum, p. 314.

(4) A verbo græco *διαδοχη*, successio.

(5) Amplissimus professor Sauveur (prælect. de pathol. gener.) Diadoxin definit morbi in morbum characteris alterius conversionem. Quamvis hæc definitio vocabuli etymologiæ forsân aptius quadret, attamen priorem minus insolentem. servandam putavi.

(6) Sic metastasin definit Nysten : « changement d'une maladie en une autre plus dangereuse, que certains médecins attribuent au transport de la matière morbifique dans un lieu différent de celui qu'elle a occupé primitivement ». (Dict. de méd. art. métastase.)

## §. 16.

Metastases in completas et in incompletas, in acutas et in chronicas, in faustas et in infaustas, in metastases per naturam et in metastases per artem, distributæ sunt. Etiamsi parvi pretii sint hæ divisiones, attamen de eis aliquantisper disserendum.

*Completa* dicitur cum morbus princeps, metastasi peracta, plane evanescit; si tantum sublevatur, tunc metastasis *incompleta* nuncupatur. Erysipelate omnino evanescente, exoritur pleuritis; hæc est primæ speciei metastasis. Ani fistula solitas evacuationes minore quantitate præbet, unde nascitur pectoris quælibet affectio, brevi evanida si fistulæ suppuratio augetur, hæc est secundæ speciei metastasis.

Ista incompleta metastasis debilitatem vitalitatis sæpius nunciens, ideo magis infausta quam completa videtur. Attamen certis in casibus benignior evadit, cum ab organo minus nobili ad nobilius fit transpositio. Si, v. g., arthritis pedes afficiens ad ventriculum transmigrat, minus sane erit periculum, si dolor haud plane evanescit, nam inde concludendum est morbi principium, quidquid sit, primam sedem non omnino reliquisse et majori facilitate illuc revocatum iri.

Metastasis *acuta* dicitur cum subito vel exiguo temporis tractu efficitur; pro exemplo sit angina subito evanescens, cui eodem momento peracuta pleuritis succedit. Lento autem gradu procedunt metastases *chronicæ*.

Sic, v. g., herpes retrocedit, quin primum sanitas afficiatur, sed sensim sensimque dyspnæam et tandem hydrothoracem, asthma, etc. gignit.

Inter duo hæc extrema casus dubii reperiuntur, a chronicis et acutis metastasibus alieni, sed istud leve vitium arbitrariis divisionibus semper adnectitur.

Morbi acuti ut erysipelas, scarlatina, rheumatismus acutus, etc., metastases acutas plerumque gignunt, dum chronicæ affectiones chronicis metastasibus locum dant.

Divisio metastaseon in faustas et in infaustas aliis, ex mea sententia, sane anteponenda, adeo evidens est, ut explanatione minime indigeat. In universum, quæ ab exterioribus ad interna transmigrant infaustæ, quæ ab internis ad exteriora faustæ habentur. Hæ *criticæ* nuncupantur, non autem cum legitimis crisisibus confundendæ. A crisisibus enim in eo secernuntur metastases criticæ, quod semper in melius morbum mutant, dum crises modo felices, modo infelices evadunt (1). Præterea hæ emunctoriis naturalibus, uti urina, sudoribus etc., crebro fiunt, ac morbo sæpissime finem imponunt, dum illæ semper novum morbum, etsi leviolem, priori substituunt, v. g. phlegmonem, crysipelas, etc.

### DE METASTASEON CAUSIS.

---

#### §. 17.

Metastasis a metastasi adeo differt ut earum causas generatim apprime indicare perdifficile sit: attamen illas plerisque communes, lectorem revocando ad peculiaria capita, in quibus diversæ metastases sigillatim expenduntur ut earum causæ peculiare evolvantur, hic enarrabo.

#### §. 18.

*Causæ prædisponentes generales.* Inter circumfusa, sese offerunt acriminosus, putrescentium corporum vel stagnorum vicinitas, habitatio in carceribus, nosocomiis, castris, oppidis oppugnatis, quo adeo debilitatur œconomia ut reactionis incapax evadat, unde sæpius metastases funestæ.

Fluidi electrici in atmosphæra vagantis virtus ad metastases excitandas non adhuc experientiis constat.

---

(1) Ea morbi mutatio, qua illius exitus determinatur *crisis* vocatur medicis, atque pro vario quem inducit eventu, vel bona vel mala. (Sauveur Prælect. de patholog. general.)

At, ut mox videbitur, cum eximia susceptibilitas nervosa ad metastases mire prædisponat, hac sensibilitate electricitatis atmosphericae ope aucta, istam prædispositionem adaugeri facile intelligitur.

§. 19.

*Causæ prædisponentes individuales.* Uti jam diximus, temperamentum magna mobilitate nervosa donatum eximiam ad metastases prædispositionem sistit, ut et hereditas morbosa. Homo, v. g., a parentibus phthisicis originem trahens; vulnere, ulcere, fistula, etc., affectus, si suppuratio repente cessat vel admodum minuitur, quod in alio nullum forsitan incommodum inferet, in illo metastasin funestam in thoracem producet, ex eo quod pulmones peculiarem habent prædispositionem hæreditariam, unde sæpissime lethalis eventus.

Etiamsi metastases ætatem pro causa sane non agnoscant, attamen locum in quem vergere debent saltem sæpius determinant. In pueris apud quos vires vitales ac humores ad caput tendunt, ad caput etiam tendunt metastases. In adulto hæc vitalis exasperatio ad pectus vergit, vergunt eo quoque metastases. Denique iu provectori ætate viscera abdominalia aliis irritabiliora evadunt ac sæpius a metastasibus afficiuntur, ut et cerebrum, nam istud organon tunc, uti in puero, diversis morbis valde obnoxium fit. Sic, ut exemplo utar, herpes retrocedens in puero metastases ad encephalum gignet unde hydrocephalum, meningitis etc., in adulto ad pectus, unde hæmoptisis, phthisis, hydrothorax, in sene ad abdomen, unde viscerum abdominalium inflammationes, etc., vel ad cerebrum unde apoplexia, mania etc., orientur.

A sexu raro pendent metastases, mulieres tamen, ob exquisitiorem nervorum mobilitatem, iis sæpius subjici videntur: revera fluxus menstrui aberrationes, eas peculiariter ad metastases adhuc prædisponunt; nihilominus retropulsio arthritidis et hæmorrhoidum, in homine certe frequentiorum, æquilibrium stabilire potest. Organon morbose affectum, crebrius metastasin ad se allicit. Ideo, cum æger morbis pectoris vexatur, si podagra laboret, tunc summis cautionibus opus est ne affectio arthritica in pulmones perniciose retrocurrat.

Inter causas prædisponentes notabilior sane ex antecedentibus metastasibus



eruitur. Quum enim morbus qualiscumque metastasi organum jam affecit, huc singulariter allectantur novæ metastases, ex eo quod sive causa determinans adhuc eadem remanet, sive assueta natura ad eundem locum morbi principium compellit.

§. 20.

*Causæ excitantes* non minori cum attentione ac præcedentes perpendi merentur.

Inter circumfusa athmosphæræ frigiditas numerari debet, præsertim in phlegmasiis cutaneis acutis, in quibus sæpius sufficit ut ad interiora repellantur.

Si quis varios morbos oriundos e topicis frigidis, astringentibus, repercutientibus ad phlegmasias cutaneas sive acutas sive chronicas abigendas, ad dolores arthriticos sopiendos, ad hæmorrhagias præsertim periodicas vel ad sudores habituales sistendos, etc., adhibitis consideraverit, causas metastaseon innumeras inter *applicata* adesse certe fatebitur. Ab *ingestis* plurimæ etiam metastaseon causæ proveniunt. Sic, nimia ciborum quantitas deglutita, stimulantia medicamenta intempestive propinata, sæpissime funestas metastases non solum ad ventriculum, sed etiam, ut infra probabitur, ad pectus et ad cerebrum, procrearunt. Quoad *excreta*, jam demonstratum est nonnisi ingenti cum periculo topicorum ope cohiberi posse. Hic tantummodo addam illas evacuationes sive naturales, sive artificiales sed ex consuetudine necessarias, quocumque modo seu externo, seu interno haud supprimendas esse, ut earum retrocessiones sedulo avertantur. In *perceptorum* classe, metastaseon causæ sane non desiderantur; illas enim sæpius gignunt omnia vehementiora animi pathemata ad hilaritatem præsertim autem ad tristitiam vergentia. Ex venæ sectionibus intempestivis quandoque nascuntur metastases. Verumtamen, quamvis negari non possit in morbis acutis, eruptivis, præsertim instante crisi, a venæ sectione, natura officiente, metastasin perniciosam nonnumquam excitatam esse, isti venæ sectioni sæpe sæpius metastases, quæ nullo modo ex hac causa pendebant, assignatas fuisse fatendum est.

Denique metastaseon causæ in universum spectatæ in tres distinctas classes dividi possunt : scilicet in prima, causæ totam œconomiam concutientes uti eximia susceptibilitas nervosa, tristitia animi pathemata; in secunda, omnia quæ in morbo primario agunt, uti repercuentiâ medicamina, etc.; in tertia denique, causæ organon ipsum ad quod tendit metastasis afficientes, ut irritantia, etc., apprime collocabuntur.

## METASTASEON DIAGNOSIS.

---

### §. 21.

In acutis metastasibus sat facile plerumque eruitur diagnosis : dum morbo primario evanescente, statim apparet secundarius, signa metastaseos sane dilucida ac sufficientia existunt; sed alio prorsus modo res sese habet in chronicis morbis : veritatem medico non exponunt ægrî, morbum primarium tacent, quod sanatum credunt, etsi tamen istius principium adhuc in œconomia quandoque latet. Sic observatum est a scabie subito evanida maniam, omnino remediis repugnantem, provenisse : casu interdum mania causam medicus didicit, ac brevi impetigo inoculata sanitatem diu desperatam quasi miraculo procreabat. Ideo medicus an morbus aliquis morbum existentem præcesserit, quinam fuerit exitus, quænam medendi ratio, etc., sedulo inquirere debet.

## METASTASEON PROGNOSIS.

---

### § 22.

Ex metastaseon divisione in faustas et in infaustas prognosis sat bene determinatur. Etenim cum metastasis ab exterioribus ad interiora vergit, præsertim cum morbus evanidus revocari nequit, semper infausti ominis est; in casibus

contrariis fausta evadet prognosis. In universum, cum organi nobilitate periculum crescit.

### METASTASEON CURA.

---

#### §. 23.

Antequam metastases curandi modum exponam, ea quibus prævideri possint delineare placet.

Metastases futuras cognoscere sane perutile esset; sed fatendum est fere semper diagnosi metastaseon quum jam peractæ sunt possibilem fieri.

Quidam pulsu *metastatico* metastases prævideri posse contenderunt. Quin autem prognosin in morbis pulsus exacta exploratione patefieri negem, existentiam pulsus *metastatici*, cujus descriptio nullibi reperitur, in dubium vocare queo.

In hoc unico casu futuræ metastases judicari possunt, quum æger morbo, natura facile divagante afficitur, ut arthritide, et simul organi cujusdam irritatione vel inflammatione laborat, quum præsertim arthritidis jam antea idem organon invisit, tunc sane timenda est metastasis, et remediis continenda arthritidis in sede naturali. Casus autem isti rarissime occurrunt.

Nunc ad ipsam curam transeo.

#### §. 24.

Cura generalis, cunctis metastasibus accommodata, minime existit. Pro causarum ac morborum diversitate sæpius differt.

Cum crisin constituit metastasis, naturæ permittenda, eique sedulo favendum est. In hoc casu novæ metastasi, ex qua primitivus morbus de novo germinaret, præsertim obsistendum.

Contra cum ab exterioribus ad interiora vergit, tunc methodis requisitis debellanda.

Ad hunc scopum attingendum duo generalia indicantur, scilicet: præsentem

morbum impugnare, ac evanidum revocare. Hanc vel illam indicationem, prout casus postulat, alteri anteponimus; etsi sæpius utramque in auxilium vocemus. Quum morbum gravem et peracutum producit metastasis, illi morbo imprimis luctari oportet: si, v. g., ab herpete retropulso enascitur meningitis acuta, primum venæ sectiones, hirudines, omniaque autiphlogistica remedia adhibenda sunt: hæc est præcipua indicatio. Deinceps rubefacientia ad sedem ab herpete derelictam applicare possumus, quæ methodus etiamsi præstantissima, hic tantum secundaria evadit. Quum vero morbus e metastasi oriundus mitior est, tunc primum morbum revocare sæpius sufficit; si, ex. g., herpes retrocedens, non meningitidem sed solummodo vel vertigines vel cephalalgiam producat, in pristina impetiginis sede, ut illuc revocetur, vesicatorium applicare satis habeamus.

Prout morbus secundarius est causa seu affectus metastaseos, unam aliamve methodum sibi vindicabit medicus. Gastritis superveniens fluxum menstruum suppressit, tunc inflammationi, amenorrhæam producenti imprimis occurrendum. Ex amenorrhæa nascitur gastritis, tunc contra ad fluxum restituendum incumbere oportet. Sed tamen, uti jam dictum est, utraque indicatio in omnibus fere casibus locum habet, altera alteri pro diversa ratione anteponenda.

#### §. 25.

In metastaseon cura medici neglexerunt, quod tamen perpendi sane mereretur, remedii affectionem primitivam revocando idonei electionem. Sic, ut rem exemplo illustrem, phlegmasiis cutaneis evanescentibus, cutis irritatio excitanda unice indicatur; sed cuncta excitantia, sine dubio, non eadem cum efficacitate ad scopum tendunt; a diversis diversi etiam effectus nascuntur.

Fructus experientiæ hac de re spectando, tantum dicam irritationes primæ irritationi simillimas ad cutim provocare maxime proficuum esse; in herpete madido metastasin producente, vesicans usque ad suppurationem, vel potius herpetis, si possibilis est, inoculatio; in scabie, scabiei restitutio; in erysipelate, sinapismus, novum erysipelas artificiale, ut ita dicam, producens, etc., etc., aliis irritantibus majori forsitan energia donatis præferri debent. Unde in metas-

tasibus podagræ quæ, cum erysipelate tantam similitudinem præbet, sinapismi, ad pristinam affectionem revocandam, a plerisque medicis, longo usu exercitatis, vesicantibus anteponuntur.

Deficiente propria experientia, has ideas circumspicius communicabam, cum casu, eximium tractatum Doct. Montègre de deviatione perlegi, in quo eadem doctrina laudatur (1): « Probablement, inquit, il existe des rapports spécifiques, pour produire des déviations, entre l'action de certains moyens et la nature de quelques modes de vitalité: on ne doit pas croire que, sous ce rapport, l'application des ventouses agisse comme celle de la poix de Bourgogne; celle-ci, comme celle du vésicatoire; que ces moyens puissent toujours être substitués avec avantage à l'emploi d'un bain local très-chaud, soit d'eau simple, soit d'eau chargée d'un principe irritant, âcre, acide ou spiritueux; à l'usage long-tems continué d'une application chaude, à la fois émolliente, aromatique et alcoolique. Si on explique la différence des résultats obtenus par celle des modifications produites, du moins on peut constater que ces résultats ne sont pas toujours très-exactement proportionnés à l'intensité de l'action apparente, en sorte qu'il faudrait peut-être supposer, dans ces cas, quelque chose de spécifique. Ce que je dis ici des moyens extérieurs, pourrait peut-être, avec autant de raison, s'appliquer aux remèdes internes; mais il suffit, je pense, de laisser entrevoir de tels aperçus. »

#### §. 26.

In hæmorrhagiis suppressis, hæmorrhagia restituenda est, ope remediorum in locum ipsum unde promanabat sanguis.

Ideo in casu amenorrhææ hirudines ad interna laborum potius quam ad externa, minime autem, ut vulgo fit ad femora (2). In epistaxi ad nasi mucosam libentius quam ad externas alas applicarem (3).

(1) Vide Dict. des sc. médicales, t. 9, p. 91.

(2) Etiamsi applicatio hirudinum ad laborum interiora non directe agant in sede hæmorrhagiæ; attamen propter continuitatem mucosæ ex qua menstrua proflunt hæc applicatio magis proficua redditur.

(3) Ista medendi ratio ab amplissimo professore Sauveur multum laudatur.

His in casibus quum fluxionem versus organom determinare satagamus, rationi et experientiæ consonum est hirudinum numerum ampliare, et majori tamen sanguinis effluxui resistere: cucurbitulæ enim effectus suctu imitantur sanguisugæ, quod fluxionem requisitam apprime operari potest. Quum autem hirudines cutem miserunt, sanguis ex vulnere ope sôtuum emollientium effluens passivam hæmorrhagiam, desideratis contrariam constituit.

Si contra partem inflammatam sanguine orbare vellemus, methodus adversa anteponenda esset.

Denique, rursus dico, hæc omnia modo perpensa utiliora ac maximi momenti mihi videntur, neque practicorum attentione sane indigna.

## PARS SECUNDA.

## DE METASTASIBUS SIGILLATIM CONSIDERATIS.

Ars tota in observationibus.

BAGLIVI.

## §. 27.

His de metastasi in genere præmissis, ex natura operis historiam peculiarem metastaseon in diversis morbis prosequi nunc debemus.

Ad arbitrium ordo, quo hæ metastases collocandæ erant, institui poterat : sequentem autem elegimus ne inter se nimis pugnancia sociaremus. Disserui de metastasibus 1°. arthritidis; 2°. rheumatismi; 3°. phlegmasiarum cutanearum acutam in genere, et erysipelatis in specie; 4°. phlegmasiarum cutanearum chronicarum, scabiei; 5°. plicæ polonicæ; 6°. tineæ et achorum; 7°. herpetum 8°. quæ post ulcerum, fistularum, cauteriorum antiquorum suppressionem oriuntur; 9°. de metastasibus purulentis; 10°. criticis; 11°. post magnas chirurgicas operationes; 12°. de metastasibus lacteis; 13°. de metastasibus post vomitus aut diarrhææ habitualium suppressionem; 14°. de metastasibus leucorrhææ; 15°. blennorrhagiæ; 16°. sudorum; 17°. hydropum; 18°. hæmorrhagiarum; 19°. hæmorrhoidum; 20°. epistaxeos; 21°. denique diversarum aliarum hæmorrhagiarum.

## §. 28.

Inscriptio huic dissertationis secundæ parti affixa, quid velim satis declarat. Selectas observationes, sincere relatas longe antepono immensis voluminibus, opiniones ac auctorum placita tradentibus, ex quibus sæpe futilia, falsa et interdum nocua creantur.

Frequentiores et notabiliores metastases tantum indicavi; numerus in immensum excresceret, si omnes casus in quibus locum habere possunt transcribere vellem: in omnibus enim phlegmasiis, v. g., possibles sane evadunt metastases sæpiusque observantur. Pneumoniam aut pleuritidem ex angina evanescente ortam quis non vidit? Quis millies non observavit inflammationem a ventriculo ad pulmones, a pulmonibus ad ventriculum transferri? etc. etc. Hæc autem omnia exponendo fusiusque explanando, manifeste a proposito aberrassem; ideo modo enarrata sufficientia mihi videntur.

In hac commentationis parte, solummodo metastaseon observationes traditurus, omnia ad theoriam spectantia sedulo recusavi, eaque ad tertiam partem, ubi speciatim de iis disserendum est amandavi.

## DE METASTASIBUS ARTHRITICIS.

Nullus vero ex morborum classe est qui tam expeditè, promptè ac facile stationem suam deserit..... quam arthritis.

HOFFMAN. *De commutata morborum sede.*

---

### §. 29.

Ab investigatione morbi, cujus frequentes ac variæ conversiones in metastaseon inquisitione magui momenti sunt, scilicet arthritidis, incipimus.

Iste Arthritidis character ambulatilis haud veteribus ignotus erat.

Aretæus, de hoc morbo dicens, his verbis utitur (1): « Quibusnam in omnem corporis ambitum vagatur et deinceps transitus quoque in dorsi thoracisque musculos fit: incredibile est quam late malum serpat: vertebræ dorsi cervicisque dolent, et in summo sacri ossis dolor inhærescit et paulo post cum renibus et vesica communicatur ».

---

(1) De causis et signis morborum diuturnorum, lib. 2, cap. 12. †



Haud minus dilucide loquitur Demetrius Pepagomenus, inter Græcos recentiores præstantissimus medicus : « non tantum, inquit (1) in manus, pedes, omnes articulos tales fieri fluxiones, verum etiam in cerebrum, jecur, atque adeo in ipsum cor, easque teterrimas esse, liberatuque difficillimas ».

Galenus quoque ad Hippocratis librum de natura hominis (Comment. 2) diserte scribit : « Aspeximus sæpe in his, qui articulari morbo aut podagræ obnoxii erant, quod repulsis ab artubus humoribus eo delatis, illi in principem aliquam partem tendentes, homini iuteritum attulerunt, cui ea sola relinquebatur spes salutis, si iterum possent ad artus reverti ».

Haud absimilia dicit Ætius (2) : « Qui vero extreme ab hac affectione (arthritica) deprehenduntur, his et spinæ vertebræ et costarum juncturæ, et genæ dolent, aliquibus autem, et guttur, neque est aliqua ossium connexio, quæ ab affectione sit immunis ».

Sed præsertim recentiores, Sydenhamus, Musgravius, Cullenius, Barthez, et nonnulli alii arthriticarum metastaseon historiam longe magis explicatam reddiderunt.

### §. 30.

Hanc metastaseon classem tractando, magnam illam controversiam de humoribus aut solidis, morbum producentibus, non movebimus : quæ naturæ observatio detexit exponere solummodo nobis proposuimus. Principium arthriticum pro nobis erit causa arthritidis, quæcumque sit, sive in acri materia peculiari, sive in solidorum irritatione posita, etc.

### §. 31.

Antequam de metastasibus arthriticis seorsum disseramus, quædam de arthritide in universum spectata, necnon de metastaseon arthriticarum causis et cura dicere haud inutile nobis videtur.

(1) De Podagra, cap. 5. pag. 21.

(2) Sermo 12, cap. 6, pag. 308.

Sedes genuina morbi, de quo hic agitur, sane est in extremitatibus præsertim inferioribus. Hac in parte collocata, omni periculo expers, arthritis dicitur *regularis*. Si, contra, ad truncum vel ad caput morbus transferatur, ibique mala more suo machinetur, arthritis dicitur *anomala*, *retrogressa*, etc.: ad hanc anomalam speciem fere omnes arthriticæ metastases pertinent.

Utrum hi morbi, a metastasibus arthriticis orti, ab iisdem morbis, aliis ex causis productis, non differant, vel utrum aliquid arthriticum retineant, valde disputatum est: quidquid autem sit de his omnibus, solum ad theoreticam pertinentibus, expugnando morbo et revocandæ podagræ operam ponere præscribit observatio.

### §. 32.

Metastaseon arthriticarum præcipuæ causæ hic paucis enumerandæ sunt. *Causæ prædisponentes*. Inter has causas numerantur causæ quæ ad metastases generatim consideratas prædisponunt.

*Causæ excitantes*. Circumsusa cœli temperies humida et frigida nonnunquam retrocessionis podagræ causa est.

*Applicata*. Hoc in capite numerosiores metastaseon arthriticarum causas reperimus: scilicet topica astringentia, repellentia, narcotica. Illud jam notaverat Fr. Hoffmannus, dicens (1): « Ante omnia cavendum est ne repellentia, maxime in principio morbi (podagræ) adhibeantur, hæc enim, dum naturæ motum, qui est versus exteriora turbant, et materiam vitiosam ad interiora repellunt, gravissima mala excitant ». Eundem affectum produciunt applicata frigida, necnon, quod notandum est, nimis calida: ex observatione enim constat pediluvium calidissimum podagræ retrocessionem excitasse. Ex sententia Musgraviæ, Fr. Hoffmanni, Cullenii et fere omnium auctorum, ab applicatis camphoratis topicis ad interna metastasis arthritica sæpe oritur. Eadem dicemus de venæ intempestiva sectione.

*Ingesta*. Purgantia drastica, vomitorium, vel aliud medicamen irritans, al-

---

(1) De erroribus vulgar. v. op. omnia tom. 6, pag. 328r

cololicorum vel ciborum nimia ingurgitatio, narcotica, ad sopiendos podagræ crudeles dolores adhibita, retrogressæ podagræ causæ satis frequentes fuerunt. Ad eandem classem pertinent prava ciborum concoctio, in ventriculo vel intestinis saburras producens: non illud Musgravium fugerat; dicit enim in arthritide anomala (1): « Nonnunquam crudum, acidum, biliosum, aliudve aliquod ineptum et vitiosum in ventriculo coacervatum, miasma (arthriticum) illuc allectat ».

*Excreta.* Nonne ad excreta referre possemus has concretiones, pedes ægrorum inveterata podagra laborantium invadentes, podagræ solitæ evolutioni obsistentes, sicque istius retrogressionem producentes?

*Percepta.* Ex diversis animi pathematibus, præcipue tristibus ac violentis, sæpissime retrocessionem podagræ nascuntur.

### §. 33.

Causis metastaseon arthriticarum breviter indicatis, de illarum cura pauca mihi dicenda sunt.

Si metastasis arthritica ab exterioribus ad interiora curanda est, tunc, ut jam diximus, de metastaseon cura generali disserentes, ad revocandam ad exteriora arthritidem, necnon ad curandum morbum, ex metastasi ortum, incumbere debemus. Hæc methodus, media inter methodos Sydenhami et Musgravii, fusius explanatur in eximio et præstantissimo opere Cl. Barthez: De morbis arthriticis. Ad revocandam podagram, irritantia, ad partes inferiores applicata, ab omnibus laudantur, præcipue sinapi semen, quod vesicatoriis sæpissime anteponitur (2). Cura morbi interni parum differt a cura ejusdem morbi ab alia causa nascentis. Si contra ab internis ad externa fit metastasis, et ad pedes transfertur, tunc illius podagræ evolutioni sedulo favere debemus. Cæterum, cum se dabit occasio, nonnulla alia ad therapeuticen pertinentia, silentio non prætermitemus.

(1) De ventriculi affectibus arthriticis pag. 10.

(2) Vid. nostram dissertationem, cap. 25.

## §. 34.

Nunc ad metastases arthriticas singulatim examinandas transimus. Ne confuse materia immensa ac perardua tractetur, ordine nosologico innumera harum metastaseon exempla collocare volui. Inter systemata nosologica mihi, præ aliis, placuit systema a venerando professore nostro Sauveur in prælectionibus de pathologia speciali adscitum, scilicet ordo in nosographia philosophica illustrissimi Pinel expositus, excepta febrium classe, quæ in intermittentes et continuas dividuntur. Cæterum de morbis non solum a metastasi arthritica ortis, sed etiam apparente podagra sanatis, hic agetur.

## §. 35.

*Febres intermittentes.* Non desunt exempla febrium intermittantium ex retropulsione podagrica ortarum. Senac (de recondita febrium natura) causis febris tertianæ, Storck autem quartanæ podagram retrogressam adnumerant. Has febres, cum podagra regulari alternantes, aut, hac apparente omnino evanescentes sæpe observaverunt. Musgravinus (de arthritide febris succedanea) (1), duas observationes febris quartanæ a podagra solutæ refert. Swietenius (2), sequentia dicit: « Vidi in homine robusto, aliquot jam podagræ accessus passo, tertianam vernam; post secundum paroxysmum pollex pedis acri dolore corripiebatur, nec rediit amplius febris. Notum autem est, tertianam, licet mitis fuerit, raro ante quintum paroxysmum, et plerumque septimo tantum finiri ». Stoll (3) febres intermittentes, neglectis evacuantibus gastricis, in arthritidem transmutari contendit.

Consensus et similitudo inter podagræ et febris intermittantis accessus eximie expenduntur in opere Tavares, medicinæ doctoris Olyssiponensis (4).

(1) Vide diss. de arthrit. sympt. pag. 62.

(2) Comment. in aphor. Boerh., aphor. 1262.

(3) Ratio medendi, tom. 5, pag. 444.

(4) Observations et réflexions sur l'usage salutaire du quinquina dans la goutte.

## §. 36.

*Febres continuæ.* Harum febrium raro causa est metastasis arthritica. Kleinius (1), arthritidem retrogradam varias febres parere asserit.

Febris biliosa, dicit Stoll (2), arthritidi superveniens et prudenter tractata, arthritidem sæpe solvit : si autem negligitur, eundem morbum gignit. Nonne ad febrem biliosam nervosam vel atactam dictam pertinere videtur affectio sequens a Lacoste relata (3) et a Swietenio (4) transcripta? « Miles dolentibus artubus applicuerat spiritum vini camphoratum, et retropulsa subito morbi materia invasit viscera abdominalia, unde miser convulsus, aplionus cum sudoribus frigidis, vix non pro desperato habebatur. Dato laudano liquido, et quidem audaci dosi, evomit copiam bilis viridescens et deinde sanguinis missione, ac vesicatoriis ad crura applicatis, ex ipsis orci faucibus ereptus fuit. »

Musgravius in capite de arthritide feбри succedanea (5) plura exempla febrium, feбри accessum podagræ vel præcedenti vel comitanti, plane dissimilium, ac podagra apparente solutarum, enarrat.

## §. 37.

*Phlegmasiæ cutaneæ.* Arthritis vaga vel pedibus affixa, in aliquam cutis partem translata, ibique erysipelas producens haud raro observatur : attamen podagra erysipelati succedens, illudque sanans sæpius videtur. Musgravius (6) ejusmodi erysipelatis mentionem facit : « Faciei porro erysipelas notavi, inquit, quod detractio sanguinis, factaque inde materiae in artus διαδοχῆ (conversione) quum in dolorem mutaretur isthuc arthriticum, naturam plane con-

(1) Interpres clinicus, pag. 29.

(2) Rat. medendi, tom 5, pag. 444.

(3) Lacoste, traité pratique de la goutte, pag. 98.

(4) Aphor. 1273.

(5) Vide diss. de arthritide anomala.

(6) Dissert. de arthritide anomala pag. 154.

fessus est arthriticam, ipsumque esse materiæ istius generis calidæ et evectæ, eo in loco *εξάνθημα* (exanthema). » De eodem morbo sic loquitur Stoll (1) : « Quibusdam erysipelas est assiduum, rebelle, ichorosum, aut faciei, aut partium etiam aliarum vagumque. Pars hoc erysipelate affecta non valde tumet. Subinde per menses, quin etiam per annos hac ægritudine tenentur. A materia arthritica id esse, ex eo constat, quod materia ad pedem delata, orta que podagra, rebelle hoc erysipelas dispareat. »

## §. 38.

Auctorum scripta diversarum cutis phlegmasiarum præsertim herpeticarum podagræ retrocessæ succedentium exemplis abundant. Vir quidam podagricus, glaciem circumposuerat dolenti pedi, unde quidem lenimen subitum doloris sequebatur; sed paulo post fœdus herpes totam faciem deturpavit, ipsasque palpebras occupans, maximam fecit molestiam, a qua difficulter liberari potuit æger, sequenti brevi post acri podagræ paroxysmo (2). Guilbert (3) herpes arthritidi articulari supervenientes, et locis, quæ arthritis occupabat sedentes, se multoties vidisse asseverat. » Novi, inquit Lorry (4), venerandum senem, quem sancta sobrietas, quem intacta morum castitas, et vita in scientiis peracta, ab arthritide hæreditaria immunem præstare non potuerat. Hic illico, silente arthritide, herpetibus vexatus est phagædenicis, quos per biennium integrum fluentes tabo et late serpentes cum pruritu enormi servavit; at, illis ex arte methodice temperatis atque compositis, omnino conticuit arthritis, nec in vegeto valenteque, sine ulla jam aut arthritidis, aut herpetum rediviva datur memoria. »

Celeberrimus Alibert (5) aliud ejusmodi metastaseos exemplum refert : « A

(1) Rat. medendi tom. 5, pag. 436.

(2) Swietenius comment. in Boerh. aph. 1273.

(3) Dictionnaire des sciences médicales art. goutte tom. 19, p. 117.

(4) De morbis cutaneis pag. 203.

(5) Diction. des sciences médicales tom. 8 pag. 56. art. Dartre.

l'époque de la révolution française, inquit, M<sup>r</sup>. D. . . . . était fort sujet à l'une et à l'autre de ces maladies, (scilicet arthritidi et rheumatismo) il perdit sa fortune et éprouva les plus vifs chagrins. Tout changea dès-lors dans son économie : la goutte et le rhumatisme disparurent ; mais, par une affreuse métastase, sa peau fut soudainement recouverte de larges exfoliations herpétiques, qui le faisaient cruellement souffrir. Il était dévoré par des démangeaisons brûlantes, qui avaient lieu principalement la nuit. Je commençai à lui faire subir un traitement, et j'observai que toutes les fois que les dartres diminuaient d'intensité, il survenait des douleurs intérieures dans les entrailles, qui ne lui permettaient aucun repos. Nous nous décidâmes à respecter désormais cette éruption. »

Gutta rosea et vari arthriticis cum affectionibus alternant, ex sententia Kleinij (1). Docteur Leveillé (2) in nobilissimo viro, herpetem brachii, cum arthritide alternantem vidit. Kleinius (3) arthritidem morbis cutaneis supervenire et (4) a scabie nonnunquam solvi contendit. Stoll (5) de diversis modis quibus maculatur corporis superficies, quum ad cutem defertur arthritidis loquitur : facies prærubra, genæ erysipelatosæ ; maculæ lenticulares, rubræ veluti petechiales, maculæ ampliores cærulæ, quemadmodum a sigillatione, maculæ veluti scorbuticorum ; maculæ flavæ, herpetes, ab arthritide pendentes ab illo notantur. Arthritidis ex suppressis exanthematibus exempla a Bischoff relata reperies in Hufelandii diario (6). Musgravius (7) de achoribus a materia arthritica (8) pendentibus, podagraque solutis loquitur. Idem (9) achorum aurium, apparente podagra, evanescentium exemplum refert.

---

(1) Interpres clinicus, pag. 259.

(2) Mémoires de la société méd. d'émulat. tom. 8. pag. 455.

(3) Op. cit. pag. 29.

(4) Op. cit. pag. 257.

(5) Rat. medendi tom. 5, pag. 442.

(6) Hufeland, journal der practischen heilkunde 1 B. 13, s. 2, pag. 124.

(7) Cum sententiam auctorum refero, eorundem verbis utor, quin hypotheses amplectar : itaque materia arthritica morbifica mihi erit solummodo causa proxima morbi.

(8) Dissert. de arthrit. anomala pag. 154.

(9) Diss. de arthrit. symptomata pag. 72.

*Phlegmasiæ membranarum mucosarum.* Ophthalmiam gignere potest retrogressa arthritis (Jourdan (1)). Stoll (2) de ophthalmiis arthriticis loquitur, dicens : « Est et chronica lippitudo, itemque ophthalmia arthritica, oculis prurientibus, dolentibus veluti ab insperso sabulo, aut siccis valde, aut plorantibus assiduo, vasis varicosis picta albuginea, margines palpebrarum rubri, idque a materia arthritica. » Ophthalmiam in podagram desinentem jam observavit Musgravius (3) : « Novi, inquit, arthritidis calidæ materiam, oculi tunicam adnatam invadentem, ophthalmiam inferre; quæ cum paulo post articulos inviseret, iisque paroxysmum aptum et laudabilem excitaret, eodemque tempore finem inflammationi poneret, eam omnino arthriticam esse manifestavit. » Ejusmodi affectionis exemplum refert Barthez (4) : « Une dame, inquit, fut attaquée d'une ophthalmie, qui résista pendant plusieurs mois aux remèdes qui semblaient être les plus appropriés. M<sup>r</sup>. Lorry, médecin dont la mémoire me sera toujours chère et respectable, jugea que cette ophthalmie avait une cause gouteuse, et il la guérit par des remèdes qui déterminèrent la formation de la goutte aux pieds. Cette dame a été depuis fréquemment sujette à diverses affections gouteuses et néphrétiques. » Morgagni in semet ipso observavit ophthalmiam apparente podagra sanata. : « Cum utriusque oculi inflammatione et jam propemodum chemosi conflictarer, inquit, (5) cæterisque incassum remediis usus, et sentirem ipse, et amici confirmarent, non esse amplius differendam sanguinis missionem, animum subiit experiri anteaquam mihi vena secaretur; neque enim unquam secta fuerat, ut neque ad hoc tempus quo unde-octogesimum annum ago, secta est; experiri, inquam, an pediluvium, cum lenibus pedum frictioni-

---

(1) Dict. des sciences méd. tom. 37, pag. 419, art. ophthalmic.

(2) Rat. medendi, tom. 5, pag. 153.

(3) Traité des maladies gouteuses tom. 2, pag. 162.

(4) De sedibus et causis morborum epist. 57, cap. 9.

(5) Rat. medendi tom. 5, pag. 436.



bus junctum, satis levaminis afferret. Quæ cum secunda fierent vespera, ecce dolor ad ipsam pollicis dexteri cum metatarso juncturam adventare podagram significat, quæ noctu leviter increscens, oculorum inflammationem statim minuit, et diebus insequentibus sustulit. Mitissima fuit illa arthritis, ut in homine qui nunquam antea, ut neque parentes, majoresque cæteri morbo hujusmodi obnoxius fuerat: nec postea, nisi quinto post anno, sed vel multo levius, in sinistro genu se prodidit. »

## §. 40.

Apud Stoll (1) reperitur exemplum coryzæ ab arthritide pendentis, quæ per integrum annum duravit.

Idem auctor (2) de angina a metastasi arthritica orta loquitur.

In dissertatione Musgravii, de arthritide anomala, anginæ podagra terminatæ nonnulla invenimus exempla, inter quæ numerari possunt, secunda, quarta, quinta, sexta et septima historia capituli de angina arthritica (3).

Catarrhus pulmonum etiam a retrogressa arthritide nasci potest (Stoll (4)). Hujus morbi a podagra retrocedenti producti, vel superveniente soluti, plures observationes in Musgravio (5) legendæ sunt.

## §. 41.

Quamvis ventriculi morbi ab arthritidis articularis retrocessione producti valde frequentes sint; nihilominus gastritides ab ista causa oriundæ, sat raro observantur: Hos enim morbos, *neuroses* dictos, haud ab inflammatione pendere, consentientibus celeberrimis medicis inter quos numerare volo præ-

(1) Ratio medendi, T. 5, p. 436.

(2) Diss. de arthritide. Vide diss. ad morbos chronicos tom. 1 pag. 129.

(3) Vide diss. de arthrit. anomala pag. 106.

(4) Diss. ad morbos chronicos tom. 1 pag. 124.

(5) Dissert. de arthrit. anomala, cap. 2, de catarrh., tuss. et peripneumon. arthritica.

tantissimos professores Sauveur et Comhaire, censeo. Attamen nonnullas affectiones quas veteres spasmos ventriculi, cardialgias etc., dicunt, nihil aliud esse quam genuinas ac veras gastritides, sæpius a medicaminibus excitantibus præpos-tere adhibitis exasperatas candide fateor.

Clarissimus F. Hoffmannus, in eximio et nostra admiratione digno tractatu de inflammatione ventriculi frequentissima (1), nonnullas gastritidum a metastasi podagrica ortarum historias enarrat, inter quas notatu digna est observatio viri, a multis annis podagra laborantis, apud quem dolores mitiores ope emplastri saturnini fiebant: « ille autem, subjicit auctor, vehementiori ira commotus, statim dolores podagricos emicare sensit, qui jam non amplius pedes et exteriora occupabant, sed ad interiora remeasse videbantur. Nec in obscuro erat ventriculum imprimis pati ac ad inflammationem esse pronum. Miræ igitur jam anxietates, febris cum pulsu parvo et inæquali nulloque somno, aderant; non multo post, singultus per quinque dies continuus, idem ardor faucium cum siti inextinguibili et anxietatibus, ab assumpto liquido auctis, consequebatur. Tandem pono ab invasione die e vita exiit. »

Apud eundem Hoffmannum (2) adhuc funestæ metastasis podagricæ ad ventriculum exemplum, quod tristes effectus opii hoc in morbo incaute adhibiti probat, invenio: « Vitriarius quidam, diu podagræ doloribus excruciat, opii essentiam assumpserat, sperans hac ratione fractam iri mali vehementiam; sed falso: paulo enim post podagra in corpore velut vinculo quodam retenta, summos procreavit dolores, qui infixi velut præcordiis circa cordis scrobiculum, maxima cum anxietate emicabant. Infirma mox incresebat valetudo, incresebant dolores et, accedente singultu, post gravissima tormenta ægrum conficiebant. » Idem auctor (3) aliud notat metastasis podagricæ exemplum, quod violentam irritationem gastro-intestinalem, sæpe redeuntem, et tandem genuinam gastro-enteritidem chronicam offerre mihi videtur: « Vir staturæ mediocris,

(1) Opera omnia tom. 6 pag. 228.

(2) Op. omni. eod.

(3) De dolore podagrico et arthritico vero, vide opera omnia tom. 2, pag. 352.

circiter septuagenarius, temperamenti sanguinei, habitus corporis spongiosioris (1) et robustioris, podagricis crebrius afflictus doloribus, aliquot abhinc mensibus ad sedandam cruciatuum atrociam, ipsa in paroxysmi accessione, partes dolentes; spiritu quodam a pharmacopeo sibi misso, inunxit, a cujus crebriori et continuato usu, omnis propemodum dolor evanuit. Exacto aliquot septimanarum spatio, sæva in abdomine tormenta passus est, juncta cum vomitu et alvo adstrictissima. Medicus in consilium accessit, ob metum iliacæ passionis, alvum clysteribus aperiri curavit, aliaque interna quæ inflammationi resistunt et dolorem levant, in usum vocavit. Inde non modo cessavit vomitus, alvusque soluta, sed et sedatus fuit abdominis dolor, ita prorsus, ut æger e lecto surgere et in publicum rursus prodire potnerit. Sed, paucis interjecto tempore, paroxysmus modo descriptus, quia hæc valetudinis spes non diu perseveraverit, rediit; nisi quod vomitus lenior fuerit: et iisdem iterum in usum vocatis medicaminibus, ad sanitatem perductus est. Duabus vero elapsis hebdomadibus, idem paroxysmus repetiit, et adhibitis denuo remediis paruit. At vero aliquoties reversus iterumque depulsus est: remansit tamen nonnullorum ciborum fastidium, corpusque in dies consumi cœpit. Interea nunquam rursus podagra affectus fuit, octiduoque nulla amplius persensit tormina: appetentia vero omnis periit, nec alvus nisi adjuncta respondit; urina rubicunda, et semper adfuit oris siccitas cum humidi desiderio, lectumque perpetuo custodire ægrotus debuit; qui, rebus ita constitutis, inter vivos esse tandem desiit. » Idem caput de dolore podagrico aliam historiam gastritidis notatu dignam continet: « Fœmina postquam nimium cum camphora remixtum pedibus podagra tentatis applicasset, hæc quidem siluit, ast non multo post cardialgici dolores, summa virium prostratio, vomitus, inquietudo cum æstu febrili, alvus renitens et leve delirium accedebant; quæ symptomata statim ab oblato cum emulsione ex seminibus quatuor frigidis pulvere præcipitante nitroso, cum tertia parte grani unius camphoræ permixto pro dosi, remiserunt, et materia podagrica ad exteriores partes reversa est. »

Gastritidis, e retropulsa arthritide oriundæ, exemplum reperitur, apud ve-

---

(1) Ille corporis habitus spongiosior, ex sententia Hoffmanni, metastaseon, præsertim arthriticarum, causa est prædisponens.

nerandum professorem Pincl (1) : « Une femme âgée de 67 ans, avait éprouvé deux hémiplegies, l'une à 25 ans l'autre à 30; les parties frappées devenaient le siège de douleurs vagues, dont les retours étaient irréguliers. Vers la 66<sup>e</sup> année, elle eut trois attaques d'apoplexie, et resta dans l'impossibilité de se servir du côté droit. Quelques mois après, les douleurs qui jusques alors avaient parcouru les diverses articulations, se fixent aux malléoles du pied gauche : elles sont lancinantes, avec rougeur et gonflement. Trois mois après, immersion du pied affecté dans l'eau très-chaude. Au même instant disparition de la douleur : deux heures après, pesanteur d'estomac, sentiment de constriction à la région épigastrique, oppression, crainte de suffoquer. Neuvième jour depuis la rétrocession de la goutte entrée à l'infirmerie. Symptômes augmentés ; langue brune ; aride, soif ; pouls petit, lent ; membres dans le relâchement, froid de leurs extrémités. Potion avec l'éther sulfurique. Sinapisme. *Dixième jour.* Rémission légère, toujours prostration des forces. *Quatorzième.* Pouls intermittent, à peine sensible ; tous les symptômes cessent après-midi. Le soir, nausées, vomissement ; mort. Autopsie cadaverique. Epiploon très-court, ses vaisseaux noirâtres ; tunique péritonéale du conduit alimentaire phlogosée. L'estomac offre trois retrécissemens très-marqués ; ses membranes étaient épaisses, surtout la muqueuse, qui, rougeâtre, sphacelée en plusieurs points, présentait des sillons profonds ; remplis d'un fluide épais, visqueux, brunâtre, etc. »

Musgravius (2) historiam retrocessionis podagræ gastro-enteritidem, ut opinor, producentis enarrat : « Homo adolescens doloribus podagricis intensissimis laborabat : ut æstum mitigaret, dolorem allevaret, aliaque, quæ se ipsum maxime urgébant, accidentia reprimeret, aqua frigida et salsa pedes immersit. Evanuit podagra : simul autem apparuere vomitus, dolores ventriculi et intestinorum ; iugta leviora statim ore rejiciebantur, mors tragœdiam tandem clausit. »

Barthez (3) podagram retrogressam et ventriculum invadentem, ibi non-

(1) Médecine clinique pag. 316.

(2) De ventriculi affectibus arthriticis. Vid. diss. de arthrit. anom. p. 21.

(3) Traité des maladies gouteuses tom. 2, pag. 259.

nunquam symptomata irritationis vel inflammationis producere contendit : quo in casu ab excitantibus medicaminibus sedulo abstinere venam contra secare vel hirudines applicare præscribit. Eadem dicit de podagra ad intestina retro-pulsa, enteritidemque gignente.

In actis societatis medicinæ Berolinensis (1) invenimus observationem sequentem a Gohlio scriptam et autopsia adornatam. « Baro quidam 49 annos natus, præmatura ante matrimonium initum podagra correptus, quæ postremis vitæ annis ob ægritudinem animi retrocedens, mense julio 1722 diarrhæam vomitusque causavit : his demum successerunt immanes borborygmi, sæpenumero sonoros in ructus erumpentes, idque ultra trimestre, nil opis ferentibus remediis. Tandem ructibus factis rarioribus difficilioribusque ventriculus intumescibat, cum alimentorum omnium vomitu, magnoque interno æstu. Status hic per duos aut tres menses, quoad æger decessit, mansit, nullis enematibus levandus, flatibus ad superiora semper contendentibus dum per anum erumpere non valerent. Mors in decembrem incidit. Dissectis abdominis enormiter tumentis integumentis musculosis, illico proruerant intestina inflammata, flatuque turgidissima, omento convoluto atque unam in massam complicato ad ventriculi fundum. Intestinum jejunum præ cæteris trium unciarum latitudine, qua terminatur, gangrenosum erat. In ventriculo et intestinis nil nisi liquida mucosa et alimentosa reperta, flatibus maximam illorum dimensionem facientibus. Ad intestinum rectum excrescentia quædam, pugnum magna, in parte ejus sinistra cum fundo vesicæ urinariæ coaluerat. Renibus, liene, jecore inculpatis, vesica fellea calculos 56, omnes unciam appendentes, continebat variæ figuræ et mollis, quorum alii fabas, alii cerasorum nucleos, plerique autem triangularem formam referebant. In cavo abdominis nihil aquæ stagnantis inventum, in thorace cor sanum, pinguedine obsitum, flaccidum, sine polypis; pulmones contra utrinque ad gangrænam usque inflammati, dexterque totus purulentus. »

Vomitus, diarrhæa; dein constipatio æstus internus, etc., et tandem cada-

---

(1) Decur. 2, vol. 3, sect. 5, n° 3, pag. 72.

veris autopsia hunc morbum modo descriptum nihil aliud esse quam enteritidem chronicam cum gastride probabiliter complicatam probant. Valde mirum est in observatione nulla verba de morbo pulmonum facta fuisse. An hæc lacuna auctoris negligentia vel e symptomatum obscuritate pendeat in medio relinquam.

Arthriticas metastases nonnullos morbos producentes, inter quos numeranda est gastro-enteritis, cernimus in sequenti historia e dictionnario scientiarum medicalium excerpta (1) : « Un homme de moyen âge, destiné aux premières fonctions ecclésiastiques, fils, frère de goutteux, et lui-même affecté de vives céphalalgies, du flux hémorrhoidal, de douleurs errantes sur diverses parties du système fibreux, de ces douleurs costales, rénales, et dont nous avons parlé, eut des chagrins profonds qu'il concentra, et fut soumis à un régime insalubre; consistant principalement en ce que, privé d'alimens une grande partie du jour, il prenait au soir, et pressé par la faim, un repas abondant. Alors outre ces céphalalgies et ces autres douleurs, il fut affecté d'une vive névralgie des nerfs maxillaires; une tumeur se manifesta subitement au palais et s'effaça aussi promptement. Le malade souffrait d'ailleurs d'une soif inextinguible, contre laquelle les boissons acides, en particulier, étaient impuissantes. Il s'y joignait un état d'oppression qui inclinait à la syncope. Des pédiluves sinapisés changèrent cet état; une tumeur rouge et douloureuse recouvrit une des mal-léoles, et des douleurs se firent ressentir dans la profondeur de la cuisse. Trop peu durables, elles furent remplacées par d'autres douleurs, qui occupèrent tantôt une partie, tantôt une autre. Pendant plusieurs jours le bas ventre fut seul douloureux avec la région des lombes; puis les accidens se cantonnèrent de nouveau sur la région précordiale. Toutefois l'estomac n'était point sensible au toucher. Des vésicatoires furent cependant appliqués sur cette partie; des saignées à l'anus furent répétées plusieurs fois; le malade fut mis à l'usage du lait; en même temps on s'appliquait à exciter les articulations de manière à y attirer la goutte; mais en vain, et la mort arriva, précédée d'expectorations et de vomissemens sanguinolens, et de vives douleurs qui traversaient le tronc

---

(1) Tom. 19, pag. 142, art. goutte, auct. Guilbert.

dans tous les sens. L'autopsie cadavérique montra l'inflammation de toute la membrane interne de l'estomac, du duodenum et d'une partie des intestins grêles; l'inflammation de la membrane interne des bronches et du poumon droit, au lieu où la bronche s'y insère; la phlogose partielle du feuillet interne du péricarde, et quelques adhérences faibles entre les deux lames de cette membrane. Les parois du ventricule gauche du cœur étaient un peu plus épaisses que dans l'état ordinaire. »

Undetrigesima Morgagni epistola continet inflammationis intestinorum gracillium necnon crassorum ab arthritide productæ historiam, quam silentio hic prætermittere nequeo (1) : « Bononiensis patricius, unum supra sexagesimum annum agens, cum multos jam annos modo hemierania, modo arthritide interdum vaga, alias fixa, modo renum calculis esset vexatus, novissime arthritide corripitur in manu dextera sine ullo tumore, dolore autem miti, et qui mox sentiendi vi hebetiore facta, vix percipitur. Sana omnino fit manus; sed interea ren dexter dolet. Hic quoque dolor, inani sæpius recurrente vomitione sedatur; at, cessante vomitu, arthritis dexterum pariter inferiorem artumprehendit, ægrumque ad suram, et ad cruris tarsique articulum valde torquet. Uno autem aut altero interjecto die, is totus extremus pes sentiendi, movendique facultate omnino privatur. Postridie tamen resolutopedi aliquis redit doloris sensus, ægro autem bonus et animus et pulsus, qui intermittens alias et inæqualis plerumque erat in brachio dextero. Tandem pridie quam moreretur, cibum rejicit aquosa materia permistum, levemque dolorem cum pulsatione atque ardore, ad stomachi regionem persentit. Paulo post humorem flavum bis evomit. Insecuta nocte parum dormit. Mane humili voce de tribus quæ a morbi initio assidue molesta fuerant, valde conqueritur, siti, pravo oris sapore, amisso appetitu : et febris quæ aliquoties sese ante ex pulsu tantummodo prodiderat, manifesta fit. Stomachi autem dolore et pulsatione perstantibus cum ingenti ad dorsum calore, pulsus, qui vespere jam erat languidus, ex multa

---

(1) Vide de sedibus et causis morb. epistola 29, caput 10.

sanguinis dejectione aboletur. Sanguini erat admista materia gravissime olens, et quæ liquatæ picis instar, immissum bacillum, si retraheres, sequebatur. Interea pes multum dolet; rei que sensus per crus ascendentis habetur, sensusque postmodum quasi ponderis in imo ventris. In brachio autem dextero [movendi vis sensim deficit, liventibus unguibus : idque brachium mox plane paralyticum redditur. Non paucis ante mortem horis, crebri ad præcordia tremores percipiuntur. Postremo sanguinis dejectione redeunte, ejusdemque materiæ vomitu fortasse imminente, ut nausea, et similis ex ore quasi fæcum graveolentia indicabant, æger suffocari se dicens, post sextam et trigesimam a stomachi dolore ineunte horam decedit. Abdomine deducto, omnis intestinorum substantia invenitur a ventriculo usque ad recti finem dira inflammatione occupata, ut ne minima quidem eorum pars illæsa relinqueretur. Intestinis autem materia sanguinolenta, dejectæ similis, continebatur. Ventriculus et renes sani erant. In thorace, posteriora pulmonum, sinistri præsertim leviter erant inflammata. In pericardio mediocris aquæ copia. In corde polyposæ concretiones nullæ. »

Denique ex sententia Joannis Petri Franck (1), Fr. Hoffmanni (2), Portal (3), Pinel (4) et nonnullorum aliorum auctorum, patet metastasin arthriticam in tubum intestinalem, sæpe inflammationes his in partibus producere. Mihi demum liceat sequentia Hoffmanni verba e dissertatione de commutata morborum sede (5) excerpta transcribere : « Sæpenumero dolor arthriticus et podagricus evanescens, graves et summe periculosas in ipso ventriculo seu valde nervosa parte, materia hostili ad ejus tunicas delata, concitat ægritudines; cujus generis sunt totalis appetentiæ prostratio, nausea, gravativus dolor, præcordiorum anxietas, inquietudo, vomitus quandoque cruentus, et conatus ad vomendum cum faciei pallore, cephalalgia, crebra et importuna eructatio. Quandoque vero

---

(1) De curand. homin. morb. tom. 2. pag. 242.

(2) De dolore podagrico, op. omn. tom. 2, pag. 349.

(3) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 192.

(4) Nosographie philos. tom. 2, pag. 302.

(5) Vide opera omnia, tom. 1, pag. 359.



ad intestinorum canalem valde nervosæ et sensibilis texturæ, arthriticus delabitur humor, immanis intestinorum dolor, qui in tenuibus iliacus, in crassis colicus appellatur, valde solennis est : nam ad nullam fere corporis interiorem partem tam pronum et expeditum seri arthritici subtilis causticæ indolis iter est, quam ad intestinorum tunicas, quibus si inhærescit paulo contumacius, non modo intolerabiles dolores, sed etiam interdum diarrhæa, imo cruentæ dejectiones cum summa virium prostratione, extremorum frigore, pulsu debili et languido, facie Hippocratica, contractura etiam quandoque manuum, sequuntur »

§. 42.

De diarrhæa arthritica Stoll (1), Klenius (2) et multi alii loquuntur : Musgravius ejusdem morbi non pauca exempla, in tractatu de arthritide anomala, refert.

Idem Musgravius (3) enarrat historiam dysenteriae a podagra retrocedente ortæ. Klenius (4) dysenteriam et arthritidem se mutuo pluries excipere contendit.

§. 43.

Nunc ad verendorum nec non vesicæ urinariæ inflammationem pervenimus. Cullen (5) de podagrica retrocessione, catarrhum vesicalem, cum stranguria et dolore ad collum vesicæ, producente loquitur. Inter causas cystitidis retrogressionem podagræ notant clarissimi Portal (6), Pinel (7), Renauldin (8), etc.

Fr. Hoffmannus (9) dicit, evanescentibus doloribus podagricis, mictus diffi-

(1) Dissert. ad morb. chron. tom. 1, pag. 116.

(2) Interpres clinicus, pag. 84.

(3) Diss. de arthr. anomal. pag. 57.

(4) Interpres clinicus, pag. 88.

(5) Elémens de médecine pratique, chap. de la gontte, tom. 1, pag. 469.

(6) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 407.

(7) Nosographie philosophique, tom. 2, pag. 345.

(8) Dictionn. des sc. méd. art. cystite, tom. 7, pag. 646.

(9) De gravi spasmo et dolore vesicæ. Vid. opera omn. tom. 2, pag. 309.

cultatem evenire, cessantem, quum arthritis rursus pedes molestat. Idem auctor (1) refert historiam militum præfecti, qui, disparente subito, ob iter sub cœli temperie humida et frigida susceptum, podagra, incidit in mingendi difficultatem, cum ardore et dolore circa pubem et radicem penis, virium dejectione et conatu ad vomendum, alvo obstipata, horrore artuum et æstu intercurrente interiori junctam. Intra septem dies, morbo per copiosorem sudorem soluto, sanitati restitutus fuit æger.

Clarissimus Clerk (2) enarrat historiam feminae ejusdam podagrae insultibus per aliquot annos laborantis, quos fugare solebat, pedibus gelidæ aquæ immisissis. Tandem poenam imprudentiæ suæ luit: spasmis aliisque incommodis ventriculi, accidente miti stranguria, fluori quoque albo etiam obnoxia fuit. In eodem opere (3) observatio sequens a celeberrimo Whytt scripta reperitur: « Femina innupta, olim e fluore modice detenta, pollicis pedis dolenti et tumentis spiritum vini infricuit, unde retrocessit arthritis in dorsum, et quum hocce inepte spiritu eodem oblineret, præter nauseam, vomitum et tormina, subsecuta est stranguria pertinax, repetitis vicibus cum reliquis dictis affligens, tandem sola superstes, resuscitata in genibus arthritide; nam ad pollices pedum descensus nulla arte promoveri potuit ».

Murray, in suo eximio opere: *de materia arthritica ad verenda aberrante*, nonnunquam arthritidem pedes vel alia exteriora derelinquentem, versus genitalia migrantem, ibi morbos nonnullos producere asserit: « Verendorum, inquit, (4) affectionum, de quibus hic sermo est (scilicet a causa arthritica pendentium) eadem est varietas et multitudo, qualem in viris alias impura venere inquinatis observamus, et id commune habent istæ cum vitiis hac causa contractis, quod quidam ægri gravius, alii mitius, quidam pluribus, alii paucioribus molestiis conflictentur. Qui levius ex hac translatione (arthritica) ægrotant,

(1) Ibid. pag. 313.

(2) Essays and obs. phys. and liter. tom. 3, pag. 429.

(3) Ibid. tom. 3, pag. 429.

(4) Diss. de materia arthritica ad verenda aberrante, pag. 8.

mingendi difficultatem modo experiuntur; aliquando tam mitem, ut tantum solito plus temporis mingendo consumant. Alios gravis dysuria male habet; vel gonorrhæa spuria erumpit, qua scilicet circa glandis coronam smegma fæ-tens flavo-viride transmittitur, subinde haud sine molestissimo pruritu, dolore et excoriatione glandis et præputii cum utriusque partis intumescencia et phymoseos metu. Sunt quibus catarrhus quidam ex urethra enascitur, sed absque ardore vel remora sub mictu. Et hoc quidem mucii profluvium, in aliis copiosius, in aliis parcius est, et per intervalla recurrens, ut tamen et aliquando simul dolor in inguine alterutro vel teste ejusdem lateris, sentiatur. Non tam perpetuum est quod in colem ipsum vis morbi urgeat; aliquando vicinas tantum partes petit; ut testes, qui inde dolent et intumescunt, vel scrotum, quod molestissimo pruritu tentatur. Nonnulli vero longe gravius afficiuntur, ita ut fere nullum in gonorrhæa venerca, rectius omnino leucorrhæa seu blennorrhæa venerca, verendorum dicenda, molestum symptoma incidat, quod non et huc referri potest.»

Drawitzius, germanicus medicinæ doctor, refert observationem lanionis qui, quum nunquam antea ex calculo laborasset, subito atroces in pedibus persensit dolores, qui hinc depulsi, urethram invaserunt cum intenso ardore et difficultate guttatim vix mingendi; applicatis tamen discutientibus, cessarunt quidem, sed ad pedes redierunt, consequente eorum tumore.

#### §. 44.

Innumera exempla probant podagram solvi crisi metastatica, per lotium, mucosam, lacteam, cretaceam, sabulosamque materiam secedentia. (1)

Baglivi (2) refert exemplum arthritici, qui postquam urinam crassam, copiosam, paullo post in spissitudinem gelatinæ densatam, eminxerat, valetudinem suam recuperavit.

---

(1) Murray de mater. arthr. ad verend. aberr. pag. 29.

(2) Opera omnia, pag. 117.

Joannes Andræas Murray observationes haud absimiles in opusculis medicis (1) scripsit.

§. 44. *bis.*

Stoll (2) vidit fluorem album cum artuum doloribus alternantem, apparatu antisymphilitico, mercurialibus nempe et decoctis purificantibus, pejorem et pertinaciorē evadentem, et antiarthriticis, scilicet purgantibus tonicis admistis, curatum.

Blennorrhagia, Blennorrhæa, etc., per podagram solutæ haud raro observantur : harum affectionum plura exempla reperiuntur in opere Murray modo citato. Apud Kaempsum (3) legitur historia viri cujusdam, secundo vel tertio quoque anno blennorrhagia laborantis, quam semper solvebat podagra regularis : blennorrhagici fluxus materia dessiccatione cretæ in pulverem redactæ formam induebat.

Kleinus (4) arthritidem gonorrhææ succedere contendit. Storch (5) commemorat observationem feminae post partum leucorrhæa, quam sequebatur podagræ accessus, tentatæ; adhibitis aliquot remediis, fluor albus, per plures annos cum cephalgia et odontalgia alternans, rursus apparuit. Forsan haud inutile erit, de quadam testium affectione hic pauca dicere. Whytt (6) refert in tribus ægris dolorem acutum testium ex arthritica causa enatum esse, juncta in horum uno intumescencia testium insigni; arthritide autem in pedes translata utrumque incommodum cessavisse.

(1) Vol. 1, pag. 201, 209.

(2) Rat. medendi, tom. 5, pag. 441.

(3) Abhandlung von einer neuen methode, die hartnæckigsten krankheiten, die ihren sitz in unterleibe haben, sicher und gruendlich zu heilen, pag. 240.

(4) Interpres clinicus, pag. 29.

(5) Vide Dictionnaire des sc. méd. art. gontte, tom. 19, pag. 120.

(6) Essays and observ. phys. and liter, vol. 3, pag. 468.

Phlegmasiæ membranarum serosarum.

Arachnitis, ab arthritica retrocessione pendentis mentio a veteribus facta non est. Attamen diversos morbos, capitis dolores, cephalæas ab illis dictos, nonnunquam membranæ arachnoideæ inflammationem genuinam constituere facile patet.

Morbus, de quo hic agitur, haud fugit Musgravium, dicentem in tractatu de arthritide anomala (1): « Cogitare licet causam proximam arthritidis dolorem capitis nonnunquam excitare, membranas nobiles, tam *intra* quam *extra* calvariam irritando vexandoque ». Eodem capite subjicit illum dolorem usque ad delirium protrahi, et aliquando accedere tinnitum aurium, spirandi gravitatem, pulsum magnum, artuum dolores vagos, faciei colorem saturatiorem, aliaque ejusmodi manifesta sanguinis *εργαζομινου* (perexcitati) indicia.

Inter causas phrenitidem producentes podagræ retrocessionem subitam adnumerant clarissimi Pinel (2), Lorry (3), Monfalcon (4) etc.

## §. 46.

Pleuritis a retropulsa arthritide orta haud raro observatur (5).

Apud Swietenium (6) hujus morbi exemplum legitur. « Vir quidam divitiis affluens, quotidiana fere crapula sibi podagram contraxerat dolentissimam; ab agyrta emplastrum fuit applicatum in initio paroxysmi, unde satis subitum levamen habuit et prudenti medico insultans quam pessime, tota die enarrabat encomia divini emplastris, simulque agyrtam cumulabat muneribus: vaser ille se subduxit post aliquot dies; mensis spatio vix elapso incidit in pleuritidem acutissimam, quæ dum prudenter efficaci medela tractabatur, et jam in vado esse om-

(1) Cap. de dolore capitis et vertigine, pag. 117.

(2) Nosographie philosophique, tom. 2, pag. 397.

(3) De præcipuis morborum mutationibus, pag. 279.

(4) Dictionnaire des sc. méd. tom. 41, pag. 550, art. phrénésie.

(5) Pinel nosogr. philos. tom. 2, pag. 408 et alii.

(6) Comment. in aphor. 1273.

nibus videbatur, successit paroxysmus podagræ, quo diuturniorem et acriorem nunquam passus fuerat, tali cum effectu, ut pedum usu postea caruit tota vita, quam tamen, post hunc morbum, per triginta annos protraxit, sed miserrimam.» Apud eundem aliud reperitur exemplum pleuritidis in podagram desinentis. « Memini, inquit, (1) me curandum habuisse olim veteranum podagricum, qui solis æstivis mensibus a dolore liber erat: lætabatur summopere, quod per integrum annum inducias habuisset: verum inopinato incepit omnia ingesta vomere, et post paucas horas sæva pleuritide correptus fuit, qua fere suffocabatur. Post binas sanguinis missiones minuebatur ingens discrimen; dumque simul pedes perpetuo irritarentur epispasticis; inceperunt dolere; pectus magis magisque liberabatur, et tandem evasit. Regulares autem paroxysmi non redierunt, et dum subinde manus pedesque afficerentur, dolores lenes erant, brevique evanidi. Unde in tertiam vicem usque talis pleuritis rediit intra decem mensium spatium, sicque omnibus incassum tentatis, periit.» Samuel Ledel (2) pleuritidis etiam in podagram desinentis historiam scripsit.

#### §. 47.

Pericardii inflammationis, hujus membranæ ulcerationem producentis a retrogressa podagra ortæ; mentionem agit celeberrimus Portal (3). Professor Pinel (4) nec non clarissimus Godefroid (5) asserunt metastasin arthriticam pericarditis causam esse; cujus affectionis exemplum cernitur in dictionario scientiarum medicalium (6).

Sub nomine dolorum colicorum arthriticorum nonnulla apud veteres peritonitidis exempla reperienda sunt.

(1) Ibid.

(2) *Miscell. acad. natur. curios.* dec. 3, ann. 3, aon. 3, 1695 et 1696, pag. 18.

(3) *Anatomie médicale*, tom. 3, pag. 22.

(4) *Nosogr. philos.* tom. 2, pag. 426.

(5) *Actes de la société de médecine de Bruxelles*, tom. 3 pag. 64.

(6) Tom. 19, pag. 121, art. goutte.

Inflammationes telæ cellularis et organorum parenchymatosorum.

Inflammatiō telæ cellularis a metastasi arthritica producta perraro observatur : nonne tamen ad hanc affectionem pertinere videtur observatio sequens a clarissimo Portal (1) facta? « On a vu la goutte, répercutée dans les régions abdominales, terminer par produire des suppurations avec un épanchement de pus considérable entre le péritoine et les muscles abdominaux. »

Peripneumonia e podagra retrocedenti oriunda, sat sæpe observatur (Pinel et Bicheteau) (2), (Portal (3)) et alii. Sydenhamus in tractatu suo de podagra (4) de hujusmodi peripneumonia loquitur, dicens: « Est et aliud symptoma non perinde crebrum, quod tamen aliquoties ipse vidi, metastasis scilicet materiæ peccantis in pulmonum lobos; quoties nempe tussis brumalis a frigore tempore paroxysmi suscepto, materiam sensim in pulmones allicit, artubus interim, ob translationem materiæ morbificæ in aliam regionem, vel omnino vel tantum non, tam a dolore quam a tumore liberatis. Uno hoc in casu intentio curativa non ad ipsam podagram dirigenda est, at vero hoc symptoma pari modo tractandum est, quo peripneumonia absoluta; venæ sectione scilicet repetita, cum diæta, etc. »

Musgravius (5) de peripneumonia arthritica fere integrum caput scripsit, in quo modum curandi a Sydenhamo præscriptum perpendit ac explodit. Barthez (6) etiam de eodem morbo et præsertim de ejusdem cura, præcepta, quæ

(1) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 132.

(2) Dictionn. des sciences méd. art. pneumonie, tom. 42, pag. 397.

(3) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 72.

(4) Opera omnia, tom. 1, pag. 328.

(5) Diss. de arthritide anomala, pag. 94.

(6) Maladies gouteuses, tom. 2, pag. 349.

in ipso opere legenda sunt, præbet. Haud sine fructu de eadem materia consulere possumus opera celeberrimorum Lacoste (1) et Ponsart (2).

§. 50.

Haud deficiunt exempla hepatitis a metastasi podagrica productæ (Portal (3), et alii).

Pancreatis inflammationis a retrogressionem podagræ probabiliter pendentis observationem reperimus apud Portal (4) : « J'ai trouvé, inquit, le pancréas en suppuration complète dans le corps d'un homme mort après avoir éprouvé de violens accès de goutte aux pieds; on le croyait guéri, lorsqu'il eut deux ou trois vomissemens suivis d'une syncope dont il périt. On l'ouvrit, et on trouva le pancréas plongé dans du pus. »

Metritidis arthriticæ, de qua veteres sub nomine arthritidis uterinæ locuti sunt, genuinum exemplum nullibi invenire potui. Nonne tamen cernimus hanc affectionem chronicam factam, ac in podagram metastatice abeuntem, in sequenti observatione a clarissimo Stoll allata? « Fixum in utero dolorem, inquit (3), eumque annosum novi, cum aliquo in regione uteri tumore. Scirrhusum et cancrum jam arbitrabantur artis periti. Fuisse autem arthriticum ex migratione doloris in artuum inferiorum alterutrum, et ex ejus curatione constitit. »

§. 51.

De nephritide autem res longe aliter sese habet. Sydenhamus enim (5), Musgravius (6), Morgagni (7), Barthez (8), Portal (9), Montfalcon (10), Rey-

(1) Traité pratique de la goutte.

(2) Traité méthodique de la goutte.

(3) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 298.

(4) Opus citatum, tom. 5, pag. 352.

(5) Rat. medendi, tom. 5, pag. 442.

(6) De podagra, opera omnia, tom. 1, p. 328, ac de mictu sanguineo opera omnia, tom. 1, pag. 442.

(7) De calculo renum arthritico vid. diss. de arthrit. anom. pag. 74.

(8) De sedibus et causis morborum, epist. 40, cap. 3.

(9) Maladies goutteuses, tom. 2, pag. 312.

(10) Anatomie médicale, tom. 5, pag. 375.



dellet (1), Franck (2) et nonnulli alii auctores de hac affectione, a metastasi arthritica orta, scripserunt. Ejusdem morbi exemplum reperitur apud Hoffmannum (3): « Juvenis quidam dolores vagos pressorios, atque gravativos, mox pectus, mox scapulas obsidentes, et in malum denique ischiadicum desinentes, passus est. Interjectis aliquot annis, redierunt fluxiones rheumaticæ (quæ arthriticæ intelligendæ sunt), doloresque vagi, dorsum maxime et cervicem discruciantes, qui tandem in veram mutati podagram, pollicem utriusque pedis cumprimis atrociter affligerunt. Sequenti anno, idem dolor in pedes irruit. Longo temporis spatio elapso, podagra pedes deserens, retrocessa nephritidem calculosam cum excreto per urinam sabulo produxit. » Idem auctor, in dissertatione de doloribus et spasmis externarum partium rheumaticis et arthriticis (4), verbis utitur sequentibus: « Qui graviori præsertim inveterata arthritide laborant, ii, conquiescente hac, quam facile in nephritidem calculosam dilabuntur, et cessante hac, in arthritidem alternatim quasi recidunt. »

Nephritis in podagram veram mutata sæpe ab auctoribus observata est: » Vidi in homine obeso, inquit Swietenius (5), antea nephritidis doloribus obnoxio, post rudem in curru vectionem ortum dolorem circa renem dextrum cum nausea; urina erat tenuis, decolor, alvus stricta; dum in lecto jacebat, dolor augebatur, somnium impediens. Dum illa tentabantur quæ antea in eodem, ut credebatur, morbo profuerant, post aliquot dies subito dolor migravit ex lumbis in pollicem pedis dextri; et primum, sed acrem satis, podagræ paroxysmum fecit ».

Monachus quidam, post inducias podagræ per undecim annos concessas, subito urinæ suppressione corripiebatur, quam catheteris repetita applicatio

(1) Dict. des sc. méd. t. 33, pag. 79, art. métastase.

(2) De curandis hominum morbis, tom. 2, pag. 292.

(3) Opera omnia, tom. 4, cent. 2 et 3, sect. 4, cas. 168.

(4) Vide opera omnia, tom. 2, pag. 318.

(5) Comment. in aphor. 1273.

aliaque subsidia vincere non potuerunt, donec arthritis pedes manusque afficeret, redeunte pedetentim spontanea lotii excretione (1).

§. 52.

Phlegmasiæ systematis fibrosi, muscularis et synovialis.

Hocce caput metastaseon arthriticarum maximum numerum continet; etenim in systemate fibroso et synoviali sedem libentius ponere videtur arthritis. Observationibus podagræ retrogressæ, dolores producentis neuralgicos vel rheumaticos dictos, qui tamen sæpius nihil aliud sunt quam peculiarem systematis fibrosi irritationem, abundant auctorum celeberrimorum scripta. In periosteum, membrana fibrosa, sane sedem habent dolores erratici, qui exacte sequuntur circumductionem ossium, costarum verbi gratia, ut videre possumus apud De Haen (2), Guilbert (3), et alios. Aretæus de arthritide in pericranium, et præcipue in loca suturis respondentia translata dicens, ægrotum ignorantem indicare suturarum species, obliquam, rectam, transversam prius ac posterius, asserit.

Sæpe etiam retrocessa podagra capsulas fibrosas diversa organa obsidentes, albugineam, scleroticam, membranam renum fibrosam etc. invisit. Hoffmannus (4) dicit materiam podagræ nonnunquam ad pericranium, ad oculorum *tunicas* et periosteum maxillæ superioris retropelli. Arthritidis albugineam invadentis exemplum refert Guilbert (5): « nous avons observé chez un homme de moyen âge, qui s'était livré à des excès vénériens, et qui d'ailleurs était exempt d'affection syphilitique, une douleur très-vive du testicule gauche, sans tuméfaction notable de cette partie, sans lésion du cordon spermatique: cette douleur s'étendait à toute la surface de cet organe, et succédait à des attaques de goutte articulaire ».

Soubet (lettres sur la goutte pag. 38) de arthritide genitalia, et præcipue

(1) Petersen. diss. sistens casum ischuriæ e materia podagrica ad vesicam delata.

(2) Histor. podagr. cardin. a Sinzindorff.

(3) Dict. des sc. méd., tom. 19, pag. 97.

(4) De ophthalmia: opera omn. tom. 2, pag. 166.

(5) Dic. des sc. méd. tom., 19, pag. 100, art. goutte.

harum partium systema fibrosum, invadente loquitur : « les douleurs, inquit, se font sentir à la tunique propre de la verge, forte et tendineuse dans les corps caveneux et à la cloison de ces deux corps, au ligament suspensoir de vésale, jusqu'au pubis où est son attache, etc. »

Historia celeberrimi Thesnaui, a se ipso scripta (1) nobis præbet exemplum arthritidis alternis vicibus totam fere œconomiam et præsertim systema fibrosum invadentis.

Quamvis metastasis podagrica in musculos perraro observata sit, tamen hujuscæ affectionis exempla non desunt. Portal (2) diaphragmitidis, a podagra re-  
tropulsa oriundæ historiam his verbis enarrat : « Un homme, âgé d'environ quarante ans, qui souffrait depuis six à sept jours, d'une douleur de goutte au pied, en fut promptement guéri par l'application d'une éponge imbibée d'eau froide, acidulée de vinaigre sur la partie douloureuse. Il éprouva bientôt après un grand resserrement dans la partie inférieure de la poitrine, avec retraction des hypochondres dans l'intérieur, de la difficulté de respirer, avec une fièvre très-aiguë; il périt en très-peu de jours. A l'ouverture du corps, on trouva l'aile droite du diaphragme et une portion du centre tendineux très-rouge et gonflée, et les poumons étaient ramollis, comme dans un commencement de gangrène. Cet homme n'avait pas éprouvé le rire sardonien, et avait toujours conservé sa tête jusqu'au dernier moment de sa vie; presque toujours, quand le rire sardonien a lieu, la raison est troublée : ce qui peut faire croire et d'autres raisons encore, que le cerveau est alors plus ou moins affecté, soit idiopathiquement soit par sympathie ».

### §. 53.

*Hæmorrhagiæ.* Podagra retrocessa uterum nonnunquam aggreditur : tum in illo oritur sensus ponderis, doloris, major sanguinis affluxus propter continuam irritationem, hinc hæmorrhagia uterina, in utero vero gravido non raro abor-

(1) Observationum medicinalium libri quinque pag. 51.

(2) Anatomie médicale tom. 2, pag. 443.

tus (1). Jam inter mensium fluxum et podagram consensum notaverat Hippocrates dicens (2) : « γυνή ε' ποδαγρία, η' μη τὰ καταμήνια αυτήεκλιπη ». Mulier podagra non laborat nisi cum menstrua defecerint.

Musgravius etiam (3) de arthritide ex mensium suppressione orta disserit.

### §. 54.

De convenientia inter arthritidem et fluxum hæmorrhoidalem consentiunt omnes medici. Musgravius, Forestus, Grant, Hoffmannus, Stoll et inprimis Stahl, exempla hanc assertionem probantia retulerunt.

« Arthritici, nephritici affectus, hæmorrhoides, morbi sunt propinqui et inter se alternantes » scripsit Kleinius (4). Stoll (5) in capite de arthritide, sequentia dixit : « Raro arthritis diu corpus occupat, nisi simul quoque hæmorrhoides æger queratur cæcas internas, externas, fluentes et non fluentes. Plerumque cum aliquo levamine fluunt et sanguinem dant piceum mucosumque. Nonnunquam repente iterum evanescent, doloribus arthriticis obortis ».

Forestus (6) observationem præbet quinquagenarii, qui, cum hæmorrhoidibus affici soleret, ex iis occlusis in tertianam incidit et paulo post in podagram et chiragram, adeo vehementes ut per dies viginti lecto affligeretur. Cullenius (7) de metastasi podagrica, mox tumores hæmorrhoidales, mox in intestino recto dolores, qui, hoc in casu, nihil aliud sunt, ut arbitror, quam molimen quoddam hæmorrhoidale, producente, loquitur.

(1) Stoll. de arthritide. diss. ad morbos chronicos.

(2) Aphor. 29, sect. 6.

(3) Diss. de arthritide symptomatica.

(4) Interpres clinicus pag. 28.

(5) Rat. medendi tom. 5 pag. 441.

(6) Lib. 29, obs. 53.

(7) Éléments de médecine pratique chap. de la goutte tom. 1, p. 449.

*Neuroses.* Reusner (1) et Gerbezius (2) diversa auditus vitia cum podagra alternantia observaverunt.

Amaurosis haud raro a podagra retrocessa sobolescit. Stoll (3) vidit binos arthricos repentina unius oculi amaurosi correptos, ex metastasi arthriticæ materiæ, sanatum tamen utrumque. Kleinius (4) cæcitatem ex podagra emplastico opiato a nebulone agyrta repressa, cantharidibus hac feliciter renovata, depulsam iterum notavit. Portal (5) de gutta-serena cum podagræ accessibus alternante loquitur.

Ex observationibus Aëtii constat arthritidem ad oculum translata, in minori iridis circuitu dolorem producere. « J'ai vu, inquit Barthez (6) chez un gouteux, en qui cet accident cessait, quand il survenait des accidens de goutte, un phénomène singulier qui est relatif à l'observation d'Aëtius (quam modo retuli) : ce malade voyait une tache en anneau circulaire qui voltigeait devant son œil, tache qui était sensiblement produite par une affection du limbe ou bord intérieur de l'iris qui entoure l'ouverture de la pupille ». Hujus phænomeni causam sequentibus explicat auctor : « Sans doute c'était parce que ce limbe ayant reçu une expansion vicieuse par l'engorgement gouteux, était devenu, quoique imparfaitement, perméable aux rayons de lumière que l'ombre de ce limbe se dessinait très-souvent et non toujours sur la rétine, de sorte que son image était rapportée au dehors entre l'œil et la surface des objets extérieurs.

Ce qui confirmait particulièrement mon opinion, était que cette tache annulaire se montrait plus souvent, et surtout que son contour était terminé plus régulièrement, lorsque l'œil était tourné vers une lumière vive, que lorsqu'il

(1) *Ephemerides naturæ curiosorum.* Centur 5, obs. 8.

(2) *Ibid.* centur. 8, obs. 6.

(3) *Ratio medendi* tom 5, pag. 436.

(4) *Interpres clin.* pag. 262.

(5) *Anatomie médicale* tom. 4, pag. 431.

(6) *Traité des maladies goutt.* tom. 2, pag. 463.

était dirigé vers une surface obscure. Dans le premier cas, l'iris était élargi le plus possible par le resserrement nécessaire de la prunelle, de sorte que son limbe était d'autant plus atténué, et plus pénétrable à la lumière. Dans le second cas, ce limbe était comme plissé dans la dilatation de la prunelle, était inaccessible à la lumière, de même que le reste de l'iris, dont il n'était plus distingué, et il ne pouvait plus former sur la rétine une image circulaire ».

## §. 56.

Haud rara sunt exempla vertiginum ac cephalalgiarum a podagrica retrogressionem pendentium : Musgravius (1) necnon Barthez (2) de his affectionibus disertè scripserunt : « Quibusnam nullus dolor est, inquit Stoll (3) sed vertigo, quem originis arthriticæ esse ex eo collegi, quod æger dolores antea vere arthriticos passus, his evanescentibus, vertiginosus sit factus ». De cephalalgia peculiari, cum arthritide alternante locutus est idem scriptor (4) : « Hæc cephalæa vespertina, nocturnave tam dirissima, ut noctes agant insomnes inter ejulatus, et vix non in furorem rapiantur præ nimio dolore, qui constrictione capitis levatur, commorationem in lecto non patitur, hinc plures horas extra lectum agunt; tanta simul est sensuum intensio, ut lucem, strepitum, vocem altiolem, sine exacerbatione doloris non ferant, dolor de die mitissimus vel nullus, redit omni vespera, stata hora, cum vel sine frigore, subsequo calore, circa mediam noctem sudore largo remittit, vel intermittit, ut posset imponere pro febre intermittente larvata, quam tamen non esse docent 1°. Ejus alternatio cum arthritide 2°. Cortici peruviano non cedit. 3°. Antiarthriticis sanatur ». Dnæ aliæ cephalalgiarum e podagræ retrocessionem ortarum observationes in ephemeridibus naturæ curiosorum leguntur. Hoffmannus (5) enarrat historiam viri sexagenarii, hæmorrhoidarii, qui, cum dolores podagricos immanes ope opii allevaret, post

---

(1) Diss. de arthritide anomala. pag. 116 et seq.

(2) Traité des maladies gouteuses, tom. 2, pag. 417 et 422.

(3) Rat. medendi. tom. 5, pag. 435.

(4) Diss. de arthritide. Vide dissertationem ad morbos chronicos, tom. 1, pag. 130

(5) De dolore podagrico. Vid. oper. omnia, tom. 2, pag. 353.

aliquot tempus, febre cum totali virium suppressione, extremorum frigore, et perpetua somnolentia jugulatus est. Metastaseos podagricæ exemplum notatu valde dignum sub nomine hemicraniae arthriticae, inter historias a medicis Vratislaviensibus scriptas reperitur. Quamvis autem nonnullos libros ab illa celeberrima societate editos sedulo obvolverim, hæc observatio, cujus excerptioem a doctissimo Guilbert (1) factam hic relaturus sum, meis investigationibus sese pertinaciter subtraxit : « Un homme qui avait mené, dans sa jeunesse, une vie désordonnée, fut frappé, à l'âge viril, de douleurs atroces de colique et d'une hémiplégie dont il fut guéri par des frictions mercurielles. Il éprouva, quelque temps après, une vive attaque de podagre ; n'ayant pas le courage d'en supporter la douleur, il se baigna un grand nombre de fois, d'abord les pieds, ensuite tout le corps, dans de l'eau où on avait éteint de l'argent chauffé. Les douleurs articulaires disparurent, mais il survint des douleurs indicibles à la tête. Dans les accès de ces douleurs, qui étaient quelquefois subits, le mal commençait par un larmoyement abondant avec quelques mouvemens convulsifs dans les yeux, un bourdonnement dans les oreilles, un malaise dans l'estomac et des urines crues. La douleur attaquait plus ordinairement le côté gauche de la tête ; mais tantôt sur un point, tantôt sur un autre, elle s'étendait avec violence et rapidité aux parties environnantes, comme les mâchoires, les lèvres, les épaules et même jusqu'à la poitrine, dont elle entreprit le côté droit. La douleur était surtout cruelle lorsqu'elle occupait la racine de l'œil. De temps en temps, il se formait encore sur la nuque, une tumeur rouge, extrêmement sensible, et que l'on ne pouvait toucher sans occasionner des douleurs extrêmes. Ces accès duraient depuis 12 heures jusqu'à deux journées entières ; et pendant tout ce temps, le malade ne pouvait ni voir la lumière, ni ouvrir la bouche, ni respirer librement. La douleur élevée à son plus haut période, il survenait des vomissemens, et l'accès se terminait par des urines chargées et un sédiment abondant ; le malade restait extrêmement faible, et si sensible, qu'on n'osait le toucher ».

---

(1) Dictionnaire des sciences médicales art. goutte tom. 19, p. 108.

Vertiginem a podagra apparente solutam nonnunquam observaverunt : « Vidi, inquit Swietenius (1) hominem qui molestissimum hoc symptoma passus est per biennium : dum sederet tranquillus, nihil percipiebat mali, sed simul ac surgens erecto stabat corpore, mox vertigine corripiebatur et cadebat. A peritissimis medicis tentata sunt plurima, absque ullo successu. Subito podagræ paroxysmus corripit hominem, qui nunquam hoc morbo laboraverat, liber fuit omnino a molestissima vertigine. » Legitur apud Hoffmannum (2) historia viri cujusdam consuetis podagræ doloribus immunis, lethargo correpti ex quo convaluit quum dolor podagricus rediit. « Une suppression de goutte dans un homme sexagénaire, fort et robuste, inquit doctor Lorentz (3) fut suivie d'une telle propension au sommeil, que l'on craignit à tout moment de le voir frappé d'apoplexie : les saignées, les purgations répétées ne débarassèrent point la tête; les bains de jambe, les sinapismes, les vésicatoires ne rappelèrent point la goutte : la somnolence dura pendant plusieurs mois, et ce n'est que lorsque je fis doucher la tête avec de l'eau froide, et que je la fis envelopper de compresses trempées dans la même eau (les jambes étant dans le bain chaud) que la goutte reparut enfin aux pieds, et qu'au même instant le malade eut la tête dégagée ».

## §. 58.

Apoplexiam a metastasi arthritica ad cerebrum crebram esse ex observatione sane constat (Klenius (4)), (Cullenius (5)), (Lorry (6)), (Portal (7)), (Wepfer (8)), (Morgani (9)), etc.

(1) Comment. in Boerhaviï aphor. 1262.

(2) De affectibus soporosis. vid. opera omnia- t. 3, p. 218.

(3) Journal de médecine militaire, par Dehorne, tom. 5, pag. 504.

(4) Interpres clinicus pag. 29.

(5) Elémens de médecine prat. chap. de la goutte tom. 1, p. 468.

(6) De præcip. morb. mutat. pag. 279.

(7) Anatomie médicale tom. 4, pag. 77 et 88.

(8) Observ. anatomicæ in cadaveribus eorum quos sustulit apoplexia.

(9) De sedibus et causis morborum epist. 2, 3.



Musgravius (1) hujus funestæ affectionis plura exempla refert. Swietenius de eodem morbo loquitur in commentario in Boerhaavii aphorismum 1273 : « Si ergo, inquit, in cerebrum deponatur podagræ materia, omnes morbi cerebri sequi poterunt, apoplexia cito lethalis, quam aliquoties sic natam dolens vidi, dum consueto paroxysmi tempore leves tantum dolores in artubus percipiebantur, et cito evanidi; mox sequente vertigine, tremore, apoplexia, et quidem tam subito ut nulla efficaci medelæ opportunitas relinqueretur. »

« Novimus, inquit Hoffmannus (2) a perperam tractata podagra, atroces capitis dolores, vertiginem, apoplexiam sanguineam, serosam, hemiplegiam, paralytim, memoriæ abolitionem, etc. »

Loubet (3), narrat historiam feminae podagricæ, quæ cum iracundia effervisset, apoplexia, metastasi arthritica a pedibus ad caput facta, absumpta est.

Reperitur in consultationibus Hoffmanni (4) exemplum apoplexiæ ex causa arthritica orinndæ, quam secuta est hemiplegia. Apud eundem (5) legitur aliud exemplum apoplexiæ notatu dignum. « Vir quidam podagricus, in empirici manus irruit; adhibito medicamine haud cognito, omnes dolores podagrici conquieverunt. At vero altero die, in gravissimas incidit cardialgicas anxietates, cum inquietudine, ventris tormentis, alvi pertinacissima adstrictione, animique intercurrente deliquio comitatas : insuper, nec corpus erectum detinere poterat : quæ symptomata brevi post, cum insultu apoplecticus exciperet, corpore mirum in modum inflato, capite in immensam molem turgescente, sanguineoque sero ex ore et faucibus effluente, nimia confidentiæ pœnas morte miserrima luere debuit ».

Barthez (6) etiam de apoplexia arthritica specialiter tractavit, hujusque morbi curam exacte exposuit.

Historia singularis apoplexiæ arthriticæ sic dictæ, reperitur in Dictionario

(1) Dissert. de arthritide anomala pag. 129.

(2) De commutata morborum sede. Vide opera omnia tom. 1, pag. 359.

(3) Lettres sur la maladie de la goutte.

(4) Opera omnia tom. 4, pag. 35.

(5) De dolore podagrico. Vide opera omnia tom. 2, pag. 350.

(6) Traité des maladies gouteuses tom. 2, pag. 424.

scientiarum medicinalium (1) : « M<sup>d</sup>. de F. J....., affectée, depuis longues années d'une goutte, fibreuse ordinairement, quelquefois viscerale est frappée pour la deuxième fois, l'hiver dernier, d'apoplexie avec hémiplégie. Nous fûmes appelés, et conseillâmes les moyens que l'expérience a consacrés. De retour le lendemain auprès de la malade, il n'y avait plus de traces d'apoplexie ni d'hémiplégie : à la place, était un paroxysme de fièvre ataxique, du délire, une agitation violente, etc. Ces phénomènes s'effacent, et les premiers accidens reparaisent, puis se modifient d'une manière étrange ; le bras, d'abord privé de sentiment et de mouvement, devient affecté de douleurs tellement violentes, que le plus faible contact, faisait jeter à la malade des cris aigus ; toutefois, le bras restait sans pouvoir exécuter le plus léger mouvement. Nous avons revu ces phénomènes bizarres dans un autre cas d'apoplexie gouteuse ».

Musgravius, Barthez, Guilbert, etc. ; de apoplexia arthritica periodica mentionem moverunt ; nullam autem periodicitatem, in exemplis ab istis auctoribus allatis, me reperisse fateor.

### §. 59.

De metastasi quadam podagrica, repentinam mortem afferente, quam Musgravius ac Stoll jam memoraverunt, quædam dicere haud alienum mihi videtur.

Hujus necis causa, quæ, sæpissime, ut opinio mea fert, nihil aliud est quam vera apoplexia, aliter explicata est a celeberrimo Barthez : « Je crois, inquit, (2) que la solution de ce problème, tient à un principe semblable à celui par lequel j'ai expliqué l'effet promptement funeste, qui a lieu lorsqu'on charge l'estomac d'alimens solides pendant la suppuration des plaies qui suivent les amputations ou d'autres plaies qui sont fort étendues (3).

Dans ce dernier cas une mort prompte est causée par l'effet de la distraction violente que souffrent les forces des principaux organes qui sont nécessaires à

(1) Tom. 19, pag. 109, art. goutte, auct. Guilbert.

(2) Traité des maladies gouteuses tom. 2, pag. 176.

(3) Vide Nouveaux élémens de la science de l'homme, par Barthez, pag. 258.

la vie : le cœur, le poumon, et le cerveau. En effet, ces organes exercent alors dans un même temps de grands efforts qui ne sont point harmoniques, d'autant qu'ils doivent soutenir par leur synergie, ou concours d'actions, et le travail d'une digestion très-pénible, et celui d'une grande suppuration. Cette distraction des forces dans les organes principaux peut être portée au point de faire cesser leurs fonctions vitales, et de causer une mort subite.

Sans doute c'est d'une manière analogue qu'une mort prompte peut être causée dans une répercussion violente et soudaine de la goutte des articulations, qui est suivie de l'affection goutteuse d'une partie interne et spécialement de l'estomac.

Cette mort paraît être alors l'effet d'une distraction en divers sens, des forces des organes nécessaires à la vie, qui, tandis qu'elles doivent conserver les fonctions propres de ces organes, font en même temps deux efforts contraires, l'un relatif à la fluxion très-vive qui porte la goutte sur un viscère, l'autre qui tend à soutenir le mouvement de la goutte sur les articulations, qui subsiste encore avec plus ou moins de force ».

#### §. 60.

Sat sæpe epilepsia a podagrica retrocessione sobolescens, sæpius autem podagra epilepsiæ succedens, eamque sanans, observata est. Welchius (1) insinuat historiam viri, cui, disparente podagra, tam atrox epilepsia supervenit, ut intra dieci spatium plus quam triginta paroxysmis correptus, vitam cum morte commutaverit. Lanzoni refert, in ephemeridibus naturæ curiosorum, historiam feminæ, quæ viginti quinque abhinc annis epilepsia detenta, invadente podagræ paroxysmo sanitati restituta fuit. Acta ejusdem societatis (2) continent observationem, a Gutermanno scriptam, epilepsiæ post athritidem sanantem nascentis. « Observavi, inquit Swietenius (3), et aliquoties in praxi, materiam podagricam, nondum ad inferiorum artuum articulos depulsam, epilepsiam vehementem fecisse, sana-

(1) Hecatosth. 2., obs. 15.

(2) V. 8, pag. 330.

(3) Comment. in Boerhav. aphor. 1075.

tam primo podagræ paroxismo, nec tota vita postea redeuntem ». Hujus affectionis exemplum his verbis enarrat idem auctor : (1) « Curandum habui hominem, qui dolore valido abdominis corripiebatur cum delirio et tremore valido totius corporis; postea cadit epilepticus, et postquam mensis spatio tres insultus epilepticos passus fuerat, acerrimus dolor podagricus pollicem pedis invasit; sed omnino ab epilepsia immunis mansit, postquam podagricorum cætui adscriptus fuerat; postea bis in anno regulari podagra laborans ».

## §. 61.

Morbus, a metastasi arthritica crebro ortus, sane est hypochondria (2). Itaque germanus medicinae doctor, celeberrimus Tode (3), hypochondriam sæpenu-mero ab arthritide anomala produci contendit.

Hæc sententia parum differt a sententia clarissimi Stoll : sic enim loquitur in ratione medendi (4) : « Morbus hypochondriacus cum materia, seu bilis atra veterum, cum morbo arthritico ita convenit, ut utramque materiam cognatam existimen; forte eadem est, sed solum diversa ratione adplicata ».

Contra, idem morbus, metastasi arthritica ad pedes facta, solvitur ac plane sanatur (5). Musgravius de hac affectione eximie scripsit in dissertatione de arthritide symptomata : his in casibus purgantia leniora ad hanc felicem metastasin producendam, ex ipsius judicio, optime valebant.

## §. 62.

Melancholiam, maniam, ac insaniam a retropulsa arthritide gigni asserunt Klenius (6), Lorry (7), Esquirol (8) et alii.

(1) Ibid. aphor. 1262.

(2) Louyer-Willermay, Dict. des sc. méd. art. hypochondrie t. 23, p. 110—Barthez et alii.

(3) Vid. ejus opus de hypochondria, cui titulus : Noethiger unterricht für hypochondristen.

(4) Tom. 5, pag. 439.

(5) Klenius interpres clinicus pag. 29 -- Barthez, traité des maladies gouteuses t. 1, pag. 262.

(6) Interpres clinicus pag. 29.

(7) De præcip. morb. mutat. et conv. p. 280.

(8) Dict. des sc. méd. art. manie, tom. 30, pag. 444 -- ibid. art. folie t. 16, p. 194.

Guilbert (1) melancholiam, cum sui ipsius occisionis desiderio junctam, atque cum podagra alternantem, se vidisse asserit.

Memoriæ amissionem, testante Hoffmanno (2), podagrica metastasis produxit.

Melancholiam et maniam, suborta arthritide curatam memorant Musgravius (3), Stoll (4), etc.

Paulmier (5) maniae singularis cum podagricis insultibus alternantis exemplum sequens præbet : vir quidam, Cereri et Baccho valde deditus, longo a tempore podagra laborabat, cum, metastasi ad cerebrum facta, in maniam incidit cujus symptomata his verbis narrat auctor : « Ce magistrat avait des visions ridicules qu'il croyait certaines quoiqu'éveillé, il s'imaginait voir quelqu'un à qui il parlait, comme s'il avait été présent. Tantôt il croyait voir des cavaliers, tantôt des carrosses etc. . . . . Aussitôt qu'on appliquait des épispastiques aux pieds, toutes les illusions se dissipèrent en peu d'heures; mais ce repos ne durait guère que pendant 8 à 10 jours, après quoi la goutte revenait occuper son ancien domicile aux pieds. Peu de temps après, la goutte remontait au cerveau; nouvelles visions, nouveaux fantômes; nouveaux épispastiques et nouvelle cessation des visions. » Hæc mania ope potentialis cauterii utriusque cruri applicati sanata est.

Lorry (6) vidit melancholiam per decem annos perdurantem, per unicum, sed violentum, arthritidis ad pedes delatæ paroxysmum evanescentem.

### §. 63.

Haud desunt exempla neuralgiarum e metastasi arthritica ortarum. (Barthez (7)), (Pinel (8)).

(1) Dict. des sc. méd. art. goutte tom. 19, pag. 112.

(2) De dolore podagrico. Vide opera omnia tom. 2, pag. 349.

(3) De arthritide melancholica. Vid. diss. de arthrit. sympt.

(4) Diss. de arthritide. Vide diss. ad morb. chronic. tom. 1, pag. 119.

(5) Traité méthodique et dogmatique de la goutte.

(6) De præcip. morb. mutat. et conv. pag. 280.

(7) Traité des maladies gouteuses tom. 2, pag. 459.

(8) Nosographie phil. tom. 3, pag. 168.

Stoll (1), Hoffmannus (2) et Mérat (3) odontalgiam ab ista causa nonnunquam produci contendunt.

## §. 64.

Ex locupletissimorum auctorum observatione constat tetanum non semel a metastasi arthritica productum esse. Hujus metastasis exemplum reperitur in ægro Cornacis (4), cujus historiam refert Tinhā (5). Platerus (6) trismum hinc ortum observavit. Sauvages et Weickard memorant eandem affectionem, in qua narcotica et præsertim opium, valde proficiebant. Ackermann (7) mentionem facit trismi cujusdam peculiaris, a retrogressa arthritide pendentis, quem ope opii cum ammoniaca liquida juncti sanabat. Stoll (8) de opistotono arthritico loquitur.

## §. 65.

Convulsiones sat sæpe podagrica retro pulsio gignit, (Kleinius (9)), (Barthez (10)), (Stoll etc. Nonnulla ejusdem affectionis exempla in Hoffmanni operibus reperiri possunt.

Stoll (11) dicit arthritidem larvatam (et hoc nomine etiam arthritidem retro pulsam designat Stoll) nonnunquam producere choream sancti Viti cujus symptomata graphice descripsit Sydenhamus, quibus tamen sequentia addit symptomata,

(1) Ratio medendi tom. 5, pag. 437.

(2) De commutata morborum sede. Vid. opera omn. tom. 1, p. 359.

(3) Dict. des sc. méd. art. odontalgie tom. 37, pag. 3.

(4) Enchiridion medicæ consultationis lib. 2, tom. 28.

(5) Comment. de tetano, pag. 128.

(6) Observ. medic. lib. 1, pag. 132.

(7) De trismo commentatio medica.

(8) Diss. de arthritide. Vid. diss. ad morb. chron. tom. 1, pag. 133.

(9) Interpres clinicus pag. 29.

(10) Maladies goutteuses tom. 2, pag. 453.

(11) Diss. de arthrit. vide diss. ad morb. chron. tom. 1, pag. 132.

aphoniam per vices redeuntem, vel continuam, non minorem mentis ac corporis mobilitatem, ut subito sine causa mox in cachinnos, mox in fletus erumpant.

Barthez etiam de hoc morbo loquitur (1). Guilbert (2) historiam sequentem enarrat : « Un homme affecté d'une goutte topheuse, et qui avait éprouvé de grands revers de fortune. . . . fut pris tout-à-coup, au lieu de l'attaque ordinaire, d'une chorée qui l'agita continuellement pendant plusieurs jours. Au milieu de cette danse affreuse et du rire convulsif qui l'accompagnait; il ne cessait par une opposition qui déchirait le cœur, de faire connaître combien étaient cuisans les chagrins dont il était tourmenté; quelques articulations devinrent légèrement douloureuses, mais on ne put obtenir une détermination entière de la goutte sur ces parties. »

### §. 66.

Diversas paralyses productas esse a retropulsa arthritide ex crebra observatione constat.

Suetonius (3) et Plinius (4) paralyisin membrorum inferiorum, ex applicatione medicaminis cujusdam ignoti in pedes podagra crudeli detentos, se vidisse testantur. Musgravius paralyseon nonnulla refert exempla, inter quæ notanda est historia sexta capituli de paralyysi arthritica (5).

Hagendornius (6) narrat observationem mercatoris, ex dolore et tumore scorbutico (hic de podagra scorbutica agitur) laborantis, qui, applicato epithemate ex aquis distillatis cum ccerussa, et camphora, doloribus sedatis, loquelam amisit, nec brachium movere potuit.

(1) Malad. goutt. tom. 2, pag. 456.

(2) Dict. des sc. méd. art. goutte, tom. 19, pag. 113.

(3) De illust. grammat. cap. 3, pag. 704.

(4) Lib. 25, cap. 3 historię naturalis.

(5) De arthrit. anomal. pag. 141.

(6) Centur. 1, observ. 28.

Hoffmannus (1) vidit aphoniam a podagra inconsulte curata productam.

Barthez (2) sermonem facit de metastasibus arthriticis paralysis producentibus, quas dividit in metastases cerebrum, scilicet communem nervorum originem, et in metastases nervum quemcumque peculiariter invadentes : hæ paralysis, ex sententia doctissimi Guilbert (3) apoplexiam prænunciant, illæ autem eam sequuntur.

Hemiplegiam, paraplegiam etc., ex retrogressa arthritide oriundam se observasse asserunt Klenius (4), Stoll (5), Cullenius (6) et alii.

### §. 67.

Inter morbos a metastasi arthritica pendentes sane maxime frequentes sunt organorum digestionem inservientium neuroses. Reipsa, ex omnium medicorum lectissimorum judicio, nullam corporis partem, exceptis extremitatibus inferioribus, frequentius invadit, nullam diutius tenet ac affligit, nullam libentius revisit arthritis ac intestina et præsertim ventriculum. Jam illud notaverat Hippocrates dicens : « Qui articulari morbo detentus, intestini dolore dextra parte vexabatur, quietior erat ; hoc autem curato magis dolebat ». Solenander (7) etiam observaverat pericula metastasis podagricæ ad interiora, et præsertim in tubum intestinalem : « In cura habui, inquit, nobilem inveterata arthritide occupatum, in sexagesimo quinto ætatis anno constitutum, qui colico dolore deprehensus fuit. Auctor eram, ut arthritis revocaretur, pedum lotionibus, frictionibus, venæsectione in pede, monitus ab Hippocrate et Benedicto Sylvatico in consiliis.

(1) De commutata morborum sede, vide op. omn. tom. 1, pag. 359.

(2) Maladies gouteuses tom. 2, pag. 437.

(3) Dict. des sc. méd. art. goutte, tom. 19, pag. 113.

(4) Interpres clinicus, pag. 29.

(5) Diss. de arthrit., vide diss. ad morbos chronicos t. 1, pag. 133.

(6) Elémens de médecine prat. tom. 1, pag. 468,

(7) Consil. medicin.



Obstitit autem senior medicus et æger interiit. Atque ego, pergit auctor, idem plane observavi in muliere, quæ arthritide fere semper laborabat, quando a doloribus coli liberata erat, et vice versa, cessantibus coli doloribus misere ex juncturis afficiebatur. Musgravius in capitibus de ventriculi affectibus arthriticis, necnon de colica arthritica, metastaseon, de quibus hic agitur, nonnulla magni momenti refert exempla, ex quibus unum (1) transcribere volo: « Domina R. . . . quinquagenaria major, arthritide frigida diu multata, eaque pedem nuper afficiente, propter animi pathemata, et turbas, nescio quas domesticas, materiam νοσηρὴν (morbificam), interciso paroxysmo in viscera retroactam habuit. Remisere malleoli, id est, partis affectæ symptomata, dolor tumorque; et simili proportionem intendebatur ἀνορεξία (anorexia) nausea, acidi et pituitosi vomitus, oscitatio, σκοτομία (scotomia) cum affectione ventriculi idiomate nostro appellata *Waterpangs*. Nam œsophagum ascendens bis vel ter in die, ad uncias tres vel quatuor ab ægrotâ, tanquam utero gerente, aqua ore ejecta est. Hanc affectionem imbecillitas spirituum, palpitatio cordis, faciei pallor, vox tremula, languens, et inusitata animi dejectio sequebatur: » Datis purgantibus, amaris necnon excitantibus ad malleolum rediit arthritis, omniaque symptomata prædicta disparuerunt.

Hoffmannus observationem colicæ spasmodicæ a retropulsa arthritide pendens in consultationibus suis (2) scripsit. In præstantissimo tractatu de dolore podagrico vero alias ejusdem morbi historias præbuit, inter quas selegi sequentem, quæ nonnulla detrimenta ab arthritide metastatica allata offert. Tanti pretii est hæc observatio, ut integram exscribere mihi placeat (3): « Vir sanguineo-melancholicus annum agens quadragesimum quartum, habitus corporis strictioris, a decem annis passus est dolores tarsum pedis obsidentes, qui tamen non adeo vehementes erant, sed diaphoreticis facile cedebant, ut plurimum autem circa mensem Januarii revertebantur. Hi quatuor ante annos acer-

(1) Diss. de arthrit. anomala, pag. 26.

(2) Opera omnia tom. 2, pag. 183.

(3) De dolore podagrico, op. omnia. tom. 2, pag. 351.

biores facti ægrum lecto adfixerunt, abhinc autem duobus annis prædicto tempore adhuc gravius afflixerunt. His cum ipsis luctaretur ægrotans, ingenti terrore affectus est, quem diurnior cura et animi angor exceperit: quo pacto dolores interiora occupantes, anxios in abdomine cruciatus excitarunt; qui mox remiserunt, mox reversi sunt. Elapsis aliquot septimanis, sævissimo frigore regnante, iter suscipere honestus vir debuit: a quo tempore dolores longe truculentiores invasere, qui ventrem, brachia, fauciumque interiora aggressi, quandoque in capite subsistebant, atque somnum et quietem admodum turbabant, aliquando etiam effluxum materiæ fætidæ, purulentæ ex aure interna egregio cum allevamento excitabant. Mense Junio ejusdem anni acidulas Egranas usurpavit, sub quarum usu quidem dolores siluerunt et cuncta bene successerunt: absoluta vero cura, abdomen multo atrocius affligentes appetitum penitus profligarunt: ubi alvus pigra, urina coloris naturalis, sed parcius reddebatur, virium aderat dejectio, et æger de fixo ac duro tumore supra umbilicum conquerebatur. Nausea quoque premebatur et saliva copiose ex ore sæpius emanavit, vomituque nonnunquam et alimenta et medicamenta rejecta sunt: siquidem dolor superiora petere, fauces constringere atque ad scapulam usque se extendere sæpius solebat. Flatus ventrem distendentes per totum hinc inde intestinorum canalem cum fluctuatione et borborygmo percurrerant, et ad intestinum rectum ubi pervenerunt, mox regurgitabant, cum quasi exitus ipsis præcluderetur. Notatu dignum fuit, quod per periodos dolores hi infestarint, hora pomeridiana quarta, media nocte et antemeridiana decima dum accesserunt. Variis usus est remediis, et præcipua medendi intentio eo fuit directa, ut ad ipsos pedes rursus derivaretur infesta materia. Hinc frictiones, pediluvia in usum vocata, venæ quoque in pede celebrata sectio. Hirudines tandem applicatæ, nitrosa cum camphoratis sine diaphoretico administrata, nec usus carminativorum, stomachicorum balsamica temperata virtute inclytorum neglectus; alvus quoque clysteribus, lenioribusque laxantibus ad officium redactus. Sed successus speratus fefellit. A nulla tamen re præsentius levamen ac a potu lactis calidi cum infuso florum sambuci remixti expertus est, quippe per duos quandoque dies ab eo assumpto dolores conquieverunt. Quatuor abhinc septimanàs elixirium stomachicum ex amaris

balsamicis extractis concinnatum exhibui, a cujus frequentiori usu, dolores sopiti, viresque cum appetitu erectæ fuerunt, adeo ut patiens domo egredi functionibusque suis præse potuerit. Sed inconstans hæc valetudo fuit, siquidem in manu et dorso dolores rursus apparuerunt, somnum impediverunt, tumor umbilicalem regionem obsidens, exterius manu percipi potuit. Tandem his malis dirius insistentibus, succumbere noster debuit, documentum sat clarum relinquens, contra mortis atrociam nullum inveniri remedium posse. »

Diversa phænomena a metastasi podagrica ad ventriculum producta his verbis enumerat Stoll (1) : « Anorexia, sæpe tamen appetitus voracior, bradipepsia, nausea, vomitus sæpe modatus et chronicus, ut bis, ter circiter de die vomant, sæpe vero vehemens et citissime exhauriens; cardialgia, flatulentia, sensus ponderis, repletionis jejuno etiam ventriculo, sensus frigoris in ventre per menses durans, respiratio impedita, oscitatio, cephalalgia, vertigo, mœstitia, interdum scotomia, morbo provento supervenit pallor faciei, imbecillitas universalis, et nisi tempestate frigida mature mutata in calidam, vel medela exquisita revocetur arthritidis regularis, dolore, languore inedia confectus æger, post multos menses occumbit ». Idem auctor cardialgiæ, a podagra subito evanescente et ventriculum occupante subortæ, mentionem movet (2). Montfalcon (3) podagram retrocessam inter ilei nervosi causas adnumerat. Klærich, in observationibus suis medicinæ practicæ, de ileo arthritico quædam dicit. Tissot (4) vidit hominem ex arthritide ad ventrem delata intra bihorium omnino tympaniticum; et Baumer (5) de viro, qui eadem causa tympanitidem perpessus est, etiam loquitur.

### §. 68.

Nonnullos ventriculi singulares morbos, testantibus Musgravio (6), Stoll (7)

(1) Diss. de arthrit. Vide diss. ad morb. chron. tom. 1, pag. 114.

(2) Diss. de cardialgia. Vide diss. ad morb. chron. tom. 1, pag. 542.

(3) Dict. des sc. méd. art. Iléus. tom. 23 pag. 548.

(4) Epistola ad Hallerum.

(5) Dissertatio de veris tympanitæ causis pag. 17.

(6) Vid. cap. de colica arthrit. in diss. de arthritide symptomatica.

(7) Ratio medendi tom. 5, pag. 439.

et aliis, apparens podagra sanare potest. Morgagni (1) vidit uxorem quæ diu ac acerbe et ventriculo et pectore torqueri soleret donec erumpens podagra ex-templa eam liberaret. Strack (2) refert colicæ arthriticæ indolis observationem quam e dictionario scient. med. (3) excerpti : « Un gentilhomme, âgé de 30 ans, vint me trouver, inquit, pour me demander des secours contre une douleur de colique dont il était tourmenté depuis long-tems. Il me raconta que cette douleur toutes les fois qu'elle le prenait le faisait souffrir pendant trois semaines entières; tant que duraient ces douleurs, le ventre paraissait rétracté, et ses parois antérieures rentrées; il se sentait de plus comme serré par une ceinture de fer qui lui coupait le ventre; en même temps, il était constipé et souvent sur le point de vomir; ni les lavemens, ni les autres remèdes qu'il avait employés ne l'avaient soulagé en aucune manière, mais lorsque ce mal s'en allait de lui-même, il semblait se précipiter sur le pied gauche et y produire comme une exostose ..... il était obligé de se tenir le corps incliné en avant et appuyé sur un bâton ».

Caeterum qui neuroses gastricas a metastasi arthritica ortas examinare cupit, celeberrimorum Houlieri, Riedlini, Wolffii, Chesnau, Hæni, Kunka, Barthez etc. opera consulere debet.

### §. 69.

*Neuroses organorum respirationi inservientium*, a metastasi podagrica ortas, consideraturi, primum de asthmate convulsivo nobis dicendum est.

An ille morbus sit semper symptomaticus, ut contendunt Rostan aliique recentiores, an potius, ut volunt celeberrimus professor Sauveur (4) et omnes fere medici, certis in casibus sit essentialis, id est, a sola systematis nervosi læsione pendens, haud examinabimus : hujus affectionis, ex metastasi arthritica

(1) Epistola 59, cap. 9.

(2) De colica pictorum pag. 20.

(3) Tom. 19, pag. 114 art. goutte.

(4) In prælectionibus de pathologia speciali.

oriundæ exempla notatu digna, ab auctoribus luculentissimis relata, solummodo notabimus.

§. 70.

Musgravius, in tractatu suo de arthritide anomala, de asthmate sat longe disseruit, nonnullæ autem historiæ ab illo scriptæ, haud ad asthma sed ad alios pectoris morbos pertinere mihi videntur.

Hoffmannus, qui inter causas asthmatis frequentiores, arthritidem retropulsam adnumerat (1) morbi illius observationes numerosiores, in libro de asthmate convulsivo legendas, refert (2).

Swietenius (3) materiæ podagricæ ad pulmones translatae, asthma validum, subitam suffocationem minitans nonnunquam succedere contendit.

Barthez etiam nonnulla, sed præcipue sub respectu therapeutico, de asthmate arthritico, asthmate humoralis arthritico, de catarrho suffocativo arthritico, de asthmate convulsivo nonnunquam in anginam pectoris desinente scripsit.

Tandem, asthmatis a podagrica metastasi producti mentionem movent Kleinius (4), Pinel (5), Serrus (6), etc. Cæterum podagræ asthmatis supervientis, illudque sanantis haud desunt exempla. (Stoll (7)) (Musgravius (8)) (Klenius (9)).

Singultus spasmodicus metastasin podagricam, a nimio calore pedibus admoto productam, consequens jam observatus est (10).

(1) De dolore podagrico. Op. omni. tom. 2, pag. 349.

(2) Op. omni. tom. 3, pag. 101, 104, 106. -- Consultationes tom. 4, pag. 139, cent. 1, sect. 2, cas. 93. -- Ibid. p. 137 cas. 92 -- necnon supplementi secundi pars secunda, pag. 190.

(3) Comment. in Boerh : aphor. 1273.

(4) Interpres clinicus pag. 29.

(5) Nosogr. philosoph. tom. 3, pag. 230.

(6) Dictionn. de médecine, tom. 3, pag. 120.

(7) Diss. de arthrit. vid. ad morbos chron. tom. 1, pag. 128.

(8) De arthrit. asthmatica. Vide diss. de arthrit. sympt.

(9) Interpres clinicus, pag. 29.

(10) Guilbert dictionn. des sc. méd. tom. 19, pag. 115.

Ab eadem metastasi nonnunquam oriuntur palpitationes cordis nervosæ , ( Hoffmann. (1) ), ( Merat (2). )

Alia neurosis organi , sanguineæ circulationis præsidis , multo periculosior sane est syncope quam arthriticam dixerunt auctores. Musgravius (3) eam descripsit dicens : « Compertum est . . . . . os pallere ; sudore frigido deinde cuticulam madere ; pulsum imbecillem modo nimis tardum , nunc inæqualem reddi ; interdum minui tantum , alias intermittere ; solvi denique spiritus animales ; sensum , motumque deficere ; vitæ omnes corruiere facultates : interea vero temporis arthritidem ( si qua forte in articulis , antequam hæc inciperet tragœdia , comparuit ) desubito recedere , etc. ».

Eodem capite , plura syncopes exempla refert auctor , inter quæ sequens notatu dignum nobis visum est. « Navis olim præfectus , neque Veneris , neque Bacchi cultor parcus et infrequens , propter iniquam eorum observantiam , arthritide multatus erat. Graviter et diu doluerat , cum forte fortuna simul in eadem domo essemus , et de navarcho nostro , tanquam animam agente , ex improvviso clamaretur , ad ægrum advolavi ; quid hoc clamoris , inquisivi ; pulsum inveni languidum , imbecillem , rarum , qui solebat esse maximus et durissimus. Os expallius. Anhelitus sublimis , et cum intervallo longiori tractus. Corporis superficiem frigus sudorque occupavit. Sensus , motus , vires universæ sunt collapsæ , ipsiusque propemodum œconomiae subversa ratio. De mali causa interroganti declaratum est , ægrum , pedibus dolentem , febricitantem sitientemque fontanam paulo post aquam haussisse frigidam , ad ejus quasi selibram ; itaque sibi malum arcessisse. Adhibitis cardiacis , stimulantibus , diffusibilibus medicamentis , theriaca , etc. ad pedes rediit podagra incolumisque evasit æger ».

(1) De palpitatione cordis. Vide op. omn. tom. 3 , pag. 87.

(2) Dict. des sc. méd. tom. 39 , pag. 148 , art. palpitation.

(3) De syncope arthritica. Vide diss. de arthritica anomala pag. 71.

Cullenius quoque arthritidem retrogressam, in cor inpetum facientem et syn-  
copem de quo modo locuti sumus producentem observavit (1).

§. 72.

Clarissimus Ideler, germanicus medicinæ doctor, in opusculo, quod reperitur  
in Hufelandii ephemeridibus (2), hysteram sæpissime a retrocessa vel vaga  
arthritide pendere asseverat : hæc tamen opinio, certis in casibus haud a veritate  
discrepans, certe nimis generalior mihi videtur.

Arthritidis hysteriæ supervenientis, illamque sanantis mentionem movent  
nonnulli. Hujus metastaseos plura memorat exempla Musgravius in tractatu suo  
de arthritide symptomatice (3) : recte etiam dicit Kleinius (4) hystericas facile  
podagricas fieri.

Nonne ad uteri neuroses pertinet affectio sequens, a celeberrimo Stoll (5)  
relata? « Puella, viginti annorum, temperamenti sanguinci, legitime menstruata,  
ante diu sana, anno 1784, mense Febuario, corripiebatur arthritide vaga, cui  
decimo morbi die supervenit febris biliosa, qua curata, perstabat arthritis rebellis  
vel ad optima remedia; circa sextam morbi septimanam arthritis mitescit, ast  
regio pubis ea proportione increscit. Elatio hæc hypogastrii nobis in principio  
suspicionem moverat de graviditate, quam tamen veram non fuisse, ex sequen-  
tibus elucescet. Circa octavam morbi septimanam, ægra arthritide libera et  
cæteroquin sana, si tumorem hypogastrii excipias, revertitur ad suos. Post  
duas septimanas, incidit in febrem tertianam duplicatam, quæ, præmissis præ-  
mittendis, cortice peruviano, debito modo adhibito non auscultabat, ast exortis  
doloribus arthriticis omnes artus, sternum, lumbos, dirissime vexantibus, ut  
vel a tactu e longinquo intentato ejularet, febris tertiana sponte evanuit, una  
cum tumore hypogastrii, qui sub febre nihilum quidem emendabatur ».

(1) *Elémens de médecine pratique* tom. 1, p. 468.

(2) *Hufeland journal der pract. heilk.* 1802.

(3) Vide cap. de arthritide melancholica.

(4) *Interpres clinicus*, pagina 31.

(5) *Dissertatio de Arthritide*. Vide dissertationem ad morbos chronicos tom. 1, pag. 121.

Tandem ad ultimam nosographiæ classem, id est, ad læsiones organicas pervenimus.

Nonnulli auctores, Musgravius (1), Meorconius (2), Quarin (3), Selle, Jæger, Stoll, Portal, Baumes, etc., de phthisi pulmonali a metastasi arthritica oriunda locuti sunt.

Ex clarissimi Portal (4) sententia, non solum palpitationes cordis, sed etiam syncopem et denique hujus organi aneurisma producere potest arthritis pedes deserens.

De cordis affectionibus, ab arthritide retrogressa pendentibus, agentes, de morbo quodam; cujus tamen et sedes et natura adhuc nobis et nonnullis aliis ancipites sunt, scilicet angina pectoris, dicere nunc debemus.

Utrum, ut volunt Waal (5), Parry (6) Jenner, Black etc. ab ossificatione arteriarum coronariarum, quod tamen experimentis et perscrutationibus suis infirmavit Blackall (7) (\*); utrum, ut affirmant Rougnon (8) et professor Baumes

(1) De phthisi arthritica. Vid. diss. de arthrit. anom.

(2) Phthisiologiæ lib. 3, cap. 21.

(3) Animadv. pract. in div. morb. cap. 5.

(4) Anatomie médicale tom. 3, pag. 91.

(5) Medical transactions. Vol. 3, ann. 1772.

(6) Inquiry into the symptoms and causes of the syncope anginosa.

(7) Observations on the nature and cure etc.

(8) Lettre à Lorry sur une maladie nouvelle.

(\*) Amplissimus professor Sauveur, qui anginam pectoris pluries observavit, eam a cordis affectione organica pendere persuasum habet.



(1) ab ossificatione cartilaginum costalium; utrum, ut contendunt Selle (2) et Reil, a bronchiorum inflammatione; utrum, ut asserunt Heberden (3), Macbride (4), Robertus Hamilton (5) a spasmo organorum pectoris; utrum, ut defendunt Berger (6) Heach (7), Darwin (8), Wichmann (9), a feroci asthmate convulsivo; utrum, ut asseverant Jurine (10), et Desportes (11), a peculiari respirationis neurosi, hæc affectio pendeat non expendemus. Scire hunc morbum, anginam pectoris, vel sternalgiam dictum, nonnunquam, ut ex observationibus Ritleri (12) Stoelleri (13) Thilenii (14) constat, non autem in omnibus casibus ut, voluerunt Butter (15), Elsner (16), Schæffer (17), Macqueen (18), Schmidt (19) et alii, ab arthridide retrogressa produci, satis habeamus.

(1) Annal. de la société de méd. prat. de Montpellier tom. 22, octobre et novembre 1808.

(2) Rudiment. pyretol. method. pag. 125.

(3) Médical transactions vol. 3 ann. 1772.

(4) Médical observations and inquiries vol. 6.

(5) Médical commentaries ann. 1783 - 1784.

(6) N. Schwed adhand. B. 1.

(7) De asthmate spasmodico, pag. 13.

(8) Zoonomia.

(9) Ideen ueber diagnostick.

(10) Mémoire sur l'angine de poitrine.

(11) Traité de l'angine de poitrine.

(12) Hufeland journal etc. B. 20, S<sup>t</sup> 3, pag. 117.

(13) Ibid. B. 17, S<sup>t</sup> 2, pag. 5.

(14) Médic. und chirurg. bermerkungen, pag. 96.

(15) A treatise on the disease commonly etc. Anginam pectoris nihil aliud esse quam metastasin arthriticam in diaphragma, cui nomen *diaphragmatic gout* præbet, contendit Butter.

(16) Abhandlung ueber die brustbrauene. Subitam mortem, in angina pectoris sæpius observatam, ab arthritica materia vaga, in cor compulsam, pendere putat auctor.

(17) Diss. de angina pectoris.

(18) London medical journal vol. 5.

(19) Diss. de angina pectoris.

Inter causas hydropum sane numerantur arthriticæ metastases (Kleinius (1)) etc. Hydrothoracem et ascitem ab ista metastasi productas esse asserunt Hoffmannus (2) et Portal (3).

» Multis inquit Aretæus (4) in morbum hydropicum podagra concessit; quandoque vero in asthma; horum enim successio inevitabilis est. » Hoc in casu ab hydrothorace asthma manifeste pendere mihi videtur.

In medicinæ observationibus doctoris Selle (5) legi potest historia Frederici secundi, Borussiae regis ab hydrothorace et cordis aneurismate, a metastasi arthritica probabiliter productis, affecti. Ejusdem morbi exemplum adhuc reperitur in diarii selectis celeberrimi Bang (6).

Contra hydropi nonnunquam supervenit podagra, illumque solvit (Kleinius (7)). Nonnullas arthritidis, asciti alisque hydropibus agnatæ, observationes narrat Musgravius (8).

Clarissimus Pott (9) hydrocelen ab apparente podagra sanata observavit.

Tandem de chirurgico morbo, scilicet de cataracta hic quædam dicamus. Celeberrimus Stoll (10) ab arthritidis metastasi una nocte subortam cataractam vi-

(1) Interpres clinicus pag. 29.

(2) De hydropo. Vid. opera omn. tom. 3, pag. 328.

(3) Anatom. medic. tom. 5, pag. 77 et 115.

(4) De causis et signis morb. diut. lib. 2, cap. 12, p. 67.

(5) Observ. de médecine. Trad. par Coray.

(6) Tom. 1, pag. 185 ann. 1784, mens januar. 8<sup>va</sup> historia.

(7) Interpres clinicus pag. 29.

(8) Diss. de arthrit. symptom. cap. de arthrit. hydropi superven.

(9) On the hydrocele.

(10) Diss. de arthrit. Vide diss. ad morb. chron. tom. 1, pag. 135.

dit. Hoffmannus (1), Godefrid (2), Strack et multi alii observationes similes retulerunt.

§. 78.

Antequam huic capiti finem imponam, de forma peculiari arthritidis vagæ notatu dignissimæ quam memorat doctissimus Guilbert, mentionem non moyere nequeo : « Ce qui est assez curieux, inquit (3) c'est que par fois elle (la goutte) erre en quelque sorte au travers du tissu cellulaire, et y détermine des tumeurs d'apparence emphysémateuse, et des phénomènes d'une bizarrerie incroyable. Ainsi nous avons vu chez une dame atteinte, à l'époque critique de cette espèce de goutte, nous avons vu de ces tumeurs emphysémateuses développées presque subitement autour des malléoles, se porter sur la main avec la rapidité de l'éclair, puis dans l'espace de temps donné à la plus simple action, se transporter de cette main sur l'autre, comme si elle eût été escamotée pour ainsi dire. Une autre fois, chez la même personne, de semblables tumeurs se montrèrent appuyées sur les côtes. Toutes les parois de la poitrine étaient douloureuses, les mamelles le devinrent elles-mêmes, et ces parties, flétries depuis long-tems, vinrent à se relever, se distendre et se boursoufler. La malade, étonnée et inquiète, nous fit appeler pour nous consulter sur ce prodigieux retour de jeunesse. Cette tuméfaction d'apparence emphysémateuse se dissipa bientôt d'elle-même, ou plutôt ces accidens firent place à un flux bilieux assez considérable, puis à une leucorrhée arthritique, et enfin à de nouvelles tumeurs autour des malléoles, non plus emphysémateuses, mais semblables à celles qu'on observe souvent dans la goutte vague. Cette variété de la goutte, qu'on pourrait donc appeler *emphysémateuse*, me paraît être celle qui règne le plus communément à la Chine et au Japon, et qui a fait penser à W. Ten Rhyn que la goutte en général consistait *in flatu*. »

(1) De commut. morbor. sed. Vid. opera omni. t. 1, p. 359.

(2) Actes de la soc. de médéc. de Bruxelles tom. 3, pag. 36.

(3) Dict. des sc. médic. tom. 19, pag. 141, art. goutte.

## DE RHEUMATISMI METASTASIBUS.

## §. 79.

Ob analogiam rheumatismum inter et arthritidem hic de metastasibus rheumatismalibus sermonem habere oportet : hæc tam stricta et intima est analogia, ut nonnulli medici, inter quos numerari possunt Murray (1), Good (2), Kuhn (3), Thomannus (4), etc., has ambas affectiones plane easdem habuerint.

Ejusdem morbi tantum varietates, de quibus tamen seorsum disserit, constituere contendit Stoll (5). Alii contra, ex observatione stricta harum affectionum invasionis, status, periodicitatis, hæreditatis, et curæ efficacitatis, eas diversas proclamant et in duo genera distincta collocant. Riverius (6), Ballonius (7), Cullenius (8), Leidenfrost (9), Oberkamp (10), Haygarth (11) Landré-Beauvais (12), Archer (13), Otto (14), Barthez (15), Hallé (16), Cho-

- (1) De materia arthritica ad verenda aberrante.  
 (2) Nosologia pag. 192.  
 (3) Dissert. de vana arthrit. et rheumat. a se invicem different.  
 (4) In Boeschlau magazin B. 1, 2, S<sup>t</sup> n<sup>o</sup> 9 et in annal. Wurceb. tom. 1, pag. 56.  
 (5) Rat. medendi tom. 5, pag. 465, discrimen inter rheumatismum et arthritidem.  
 (6) Opera omnia pag. 412.  
 (7) Diss. an rheumatismus et arthritidis congeneres?  
 (8) Elémens de médecine pratique n<sup>o</sup> 440, in nota.  
 (9) Diss. de differentia rheumatismi a morbis congeneribus.  
 (10) Diss. de differentia inter arthrit. et rheumat.  
 (11) On the discrimination of chronic rheumatism, from gout etc. vid. medical transactions 1795, vol. 4, pag. 294.  
 (12) Diss. sur cette question : existe-t-il une goutte asthénique primitive?  
 (13) Qua ratione rheumatismus ab arthritide differat, dissertatio.  
 (14) Diss. de rheumatismi et arthritidis differentia.  
 (15) Traité des maladies gouteuses tom. 1, pag. 289.  
 (16) Rapport sur les effets d'un remède proposé pour le traitement de la goutte.

mel (1), Guilbert (2), Villeneuve (3), nec non Sydenhamus, Macbridius, Quarin, Thesau, Heberden, Porter, etc., horum morborum differentias plus minusve exacte notaverunt.

Ne a proposito aberrem, argumentorum quibus auctores, ad utramque propositionem confirmandam innixi sunt, expositionem rejicere debui, et solummodo opera de hac materia præstantissima indicare volui. Nec silentio opuscula Defrasnii (4), Rodemacheri (5) et præsertim opus celeberrimi Don Diego de Vera y Limon (6), quod in Hispalensis regię societatis actis reperitur, præmittere queo.

Attamen tantis ac arduis laboribus omnes non solutæ sunt difficultates; et, quamvis sæpe sæpius unus morborum, de quibus hic agitur, ab altero discerni possit, certis in casibus cum illustrissimo Swietenio dicitare debemus: « Plures certe vidi auctores qui de rheumatismo scripserunt, sed mihi visa fuit semper aliqua remanere difficultas in distinctione adæquata inter rheumatismum et arthritidem. »

#### §. 80.

Cæterum ab omni discussione theoretica hic, ut in cæteris secundæ dissertationis nostræ partis capitibus, sedulo abstinebimus: num, ut contendit Stahl, in stasibus inflammatoriis, a rheumatismi versus interna retrogressionem productis adsit materia morbifica, quæ in arthriticis metastasibus, ex ejusdem judicio, abest haud perpendere volumus.

Postquam de rheumatismalibus metastasibus generalia quædam dixero, statim earum disquisitionem aggrediar.

Primum eundem, ac in præcedenti capite ordinem elegeram; sed pro dis-

(1) Essai sur le rhumatisme.

(2) Dict. des sc. méd. tom. 19, pag. 68, art. goutte.

(3) Dict. des sc. méd. tom. 48, p. 571 et 580 art. rhumatisme.

(4) An arthritidis et rheumatismi caracter idem?

(5) Diss. utrum differat rheumatismus ab arthritide.

(6) Disertacion medica sobre si el reumatismo y gota se distinguen.

sertatione majus edideram volumen. Itaque tabulam haud amplius perlustrans nosologicam ex capite ad pectus, ex pectore ad abdomen, ex abdomine ad membra metastases postea exponere mihi animus est.

§. 81.

Inter arthritidis et rheumatismi metastaseon causas, fere nulla existit differentia : ergo hic eas rursus exponere inutile est.

Alii rheumatismum inclinatum, alii cum in statu adhuc viget, facilius sedem suam deserere putant ; *sed adhuc sub judice lis est.*

Ex observatione constare videtur apud juvenes ad superiores partes, et apud adultos ac senes ad inferiores, rheumatismi metastases libentius fieri. Multo rarius in chronico quam in acuto rheumatismo observantur metastases : certis tamen in casibus tam *metastaticus* cernitur rheumatismus chronicus, ut a leviori causa ab una parte ad alteram transferatur, quod ex observatione sequenti a Doctore Lortet scripta, sane patet : « Je connais, inquit auctor (1), une dame âgée de plus de soixante ans, et qui, depuis vingt cinq ans au moins, est affectée d'un rhumatisme chronique, qui occupa dans le principe presque toutes les articulations et s'est fixé depuis plus particulièrement sur la région lombaire et les cuisses. Il se déplace avec la plus grande facilité et pour la moindre cause, seulement pendant l'hiver l'irritation se transporte plus fréquemment sur la poitrine. Ces déplacements se font avec une rapidité étonnante. Dans l'espace de quelques minutes il abandonne la cuisse et se fixe sur les doigts, qui rougissent et deviennent douloureux ; l'irritation cesse ensuite dans cette partie, et vient occuper une région de la tête, puis elle l'abandonne pour se transporter sur le pied. Une cuillerée de café détermine la métastase sur l'estomac ; alors de vives douleurs se font sentir dans cette région : il y a vomissement ; et même j'en ai vu résulter deux fois le melæna. La marche de ces déplacements est ordinairement périodique, à moins que quelque cause particulière ne vienne la troubler.

---

(1) Diss. sur les métastases en général pag. 17:

Ainsi, pendant quinze jours consécutifs, on verra les doigts être douloureux pendant la matinée; plus tard, mais tous les jours, à la même heure, la douleur occupera quelque région de la tête ou de la poitrine; et enfin viendra se fixer sur la cuisse lorsque la nuit approche ».

## §. 82.

Quod ad rheumatismi metastaseon curam attinet, ab illa quam pro metastasibus in genere sumptis jam exposuimus haud valde differt. Rheumatismum ad pristinam sedem revocandum et morbum novum directe impugnandum esse scimus. Si generalis irritatio, venæ sectiones, balnea, etc. ex Scudamori sententia prosunt; si autem spasmus œconomiam totam invadit tunc ad anodina, antispasmodica etc., confugiendum. Cæterum nonnulla alia de cura infra dicemus.

## §. 83.

Sat sæpe ex artubus ad corium capillatum (cuir chevelu), ad ejusdem musculos, ad pericranium et præsertim ad ipsas cerebri membranas transfertur rheumatismus. Harum metastaseon in duram matrem nonnulla exempla reperiuntur apud Latour (1).

Ad eandem affectionem hæ atroces cephalææ, cum artuum doloribus alternantes, noctuque atrociores, quas syphiliticas sæpe sæpius habent imperiti, sine dubio pertinent.

Clarissimus Rodamel metastases rheumatismi in cerebrum, et in cerebri membranas optime explicavit: « Le rhumatisme chronique (\*), inquit, (2) qui de l'extérieur se porte sur le cerveau détermine des accidens qui sont en général mortels, si l'art ne vient très-promptement au secours du malade: il est difficile d'assigner précisément son siège et de distinguer s'il attaque à la fois ou sépare-

(1) Essai sur le rhumatisme pag. 143.

(2) Traité du Rhumatisme, chronique p. 142.

(\*) Quod de rheumatismo chronico dicit auctor, etiam de acuto intelligi potest.

ment les méninges et les différentes parties qui constituent le cerveau proprement dit. Les rapports établis entre le cerveau et les membranes qui l'enveloppent, ont rendu jusqu'à ce jour communs et en quelque sorte identiques ces signes extérieurs qui indiquent leur lésion : néanmoins, comme les membranes sont le siège ordinaire du rhumatisme qui s'offre sur les parties extérieures du corps, l'analogie autorise à penser que lorsqu'il se porte dans la cavité du crâne, il attaque de préférence les méninges.

Malgré mes soins, le malade dépérissait tous les jours : la position horizontale devenait insupportable; la région coxale commençait à rougir, et me faisait redouter une escarre; les plaies des vésicatoires devenaient douloureuses, et tendaient à se sécher, lorsque, le 20<sup>e</sup> jour après le commencement du délire, une légère moiteur se déclare d'une manière générale; quelques démangeaisons se font sentir au corps et surtout à la poitrine. Observant que les boutons avaient beaucoup de rapport avec ceux de la gale, je dirige mes recherches vers ce point essentiel. S. . . . m'avoue qu'avant de partir pour Longwy il avait eu la gale; qu'il en avait été guéri en deux ou trois jours avec une pommade; dans laquelle entrait la poudre à canon. Dès-lors je commençai à entrevoir la nature et les effets de la maladie que j'avais à combattre. Je prescrivis, malgré la faiblesse de la maladie, deux bains tièdes entiers, à la distance de deux jours l'un de l'autre; je continuai l'usage des frictions, et de plus celui d'une boisson légèrement chaude et sudorifique. Après quelques jours de ce traitement, le délire s'évanouit par enchantement, et tout le corps fut couvert d'une éruption psorique extrêmement abondante; l'appétit revint; les forces reprirent de l'énergie; le malade put se lever; et au moyen de l'emploi du liniment hydro-sulfuré du docteur Jadelot, S. . . . fut entièrement guéri au bout d'une douzaine de jours, et jouit actuellement de la santé la plus parfaite ».

## §. 123.

Epilepsia a psorica metastasi ortum ducens jam observata fuit. (Portal (1)). Celeberrimus Carl (2) observationem refert viri, qui, cum a nucha scabiosam efflorescentiam cum linimento quodam abegisset, in epilepticas convulsiones incidit; has autem, illa revertens sustulit. Apud Horstium (3) et Riedlinum (4) haud absimiles prostant observationes.

Non ab alia causa convulsiones, praesertim in infantibus ex Kleinii (5) sententia nascuntur.

Clarissimus Bang (6) choream sancti Viti, puellam 13 annorum, post scabiem unguentis tractatam et pro parte siccata, invadentem memorat; consistebat haec in convulsione extremitatum lateris sinistri praesertim se exserente, dum motum membrorum aegra intendebat, ita ut tunc loco voluntarii motus, illae irregulares agitationes surgerent, et in ambulatione corpus, saltationis adinstar, circumrotare cogeretur aegrotata. Ope sudorificorum excitantium et balneorum scabies primo effloruit, dein exsiccata est, et brevi post tempore morbus evanuit.

## §. 124.

E scabie subito evanescente suborta amaurosis non semel observata est. (Marjolin (7)), (Kleinus (8)). Apud Lanzoni (9), Sennertum (10) necnon in

(1) Anatom. médic. t. 4, p. 26.

(2) Act. acad. natur. curios. tom. 6.

(3) Observ. médic. lib. 2, obs. 21.

(4) Lineæ medicæ, ann. 1696, mens. maii, obs. 1.

(5) Interpres clinicus, pag. 349.

(6) Select. Diarii, tom. 1, pag. 150.

(7) Dict. de médecine, tom. 2, pag. 42, art. amaurose.

(8) Interpres clinicus, p. 349.

(9) Ephemerid. acad. nat. cent. 9 et 10, p. 14.

(10) Practic. medic. part. 3, s. 2, cap. 44.



miscellaneis academiæ naturæ curiosorum (1), hujusce affectus exempla reperiuntur. Muller eundem morbum a retropulsione scabiei productum et post hujus revocationem sanatum se observasse (2) affirmat.

Sequentem observationem refert clarissimus Bonnal in thesi sua de metastasibus : « Une femme, inquit (3), âgée de 22 ans, d'un tempérament sanguin, bien constituée, avait la gale depuis environ 15 jours, et jouissait à cela près, d'une bonne santé. Exposée tout-à-coup à une pluie forte et continue qui fit rentrer l'exanthème, elle éprouva un frisson violent, des douleurs de tête très-intenses, et perdit, dans la journée même, la faculté de voir. Soumise à des frictions sèches par tout le corps, et plongée ensuite dans un bain chaud, l'éruption cutanée reparut, et *l'amaurosis* se dissipa, sans laisser la moindre faiblesse dans l'organe de la vue. »

§. 125.

Status surdaster nonnunquam retropulsam scabiem sequitur. (Kleinus (4)). Illustrissimus Bang (5) duos ægros post scabiem unguentis retropulsam auditu difficili affectos observavit : imo horum unus prorsus surdus reddebatur, demum post longum usum balnei cum aliis scabiosis, necnon adhibitum indusium alterius scabiosi nonnullus producebatur corporis pruritus furunculis scabiei similibus, unde auditus parum melior haud vero integre restitutus est.

Ab eadem causa ex clarissimi Itard (6) sententia otalgia oriri potest.

Doctissimus Jordens scripsit in actis Academiæ naturæ curiosorum (7) obser-

(1) Dec. 2, anni 8, p. 255.

(2) Ephemericid. acad. nat. cur. cent. 7 et 8, p. 303.

(3) Essai sur les métastases, p. 21.

(4) Interpres clinic. p. 348.

(5) Selecta Diarii, t. 2, p. 25.

(6) Dict. des sc. méd. t. 38, p. 505, art. otalgie.

(7) Vol. 9, p. 184.

vationem sternutationis insolitæ nimix e scabie retropulsa subortæ : de eadem affectione mentionem movet clinicus interpres Kleinianus (1).

§. 126.

Scabiosæ in pectus metastases interdum observantur. Bang (2) refert historiam feminx, quæ, scabie unguentis retropulsa, in peripneumoniam incidit : unica instituta venæ sectione et exhibitis camphoratis, mox scabies ad cutem reversa pectus liberavit.

Lorry (3) vidit puellam quæ cum febre acuta, ob scabiem suppressam, tussique importuna decumberet et justum incuteret timorem, appposito scabioso incusio intra nycthemeri spatium plenissime convaluit.

Vidi etiam multos, inquit Sennertus (4), qui punctionibus pectoris et notha pleuritide, item, cachexia correpti sunt ex scabie.

Hildanus (5) vidit in juvene viginti annorum, tantam a scabie intempestive et empirice externis unctionibus curata, pectoris angustiam, ut vix spiritum trahere posset æger et pulsus vix appareret, tandemque catarrho suffocativo extinctus fuit.

Psoræ retrocessæ nonnunquam phthisis pulmonalis successisse visa est ; (Morton (6)), (Cullen), (Leigh (7)), (Raymond (8)), (Kleinus (9)), (Rich. de Hautsierck (10)), (Baumes (11)), (Vétillard du Ribert (12)).

(1) Pag. 349.

(2) Selecta Diarii, tom. 2, pag. 41.

(3) Tract. de morb. cutan. p. 232.

(4) Pract. medic. vide oper. omn. t. 3, p. 286.

(5) Cent. 3. obs. 39.

(6) Phthisiologia, lib. 3, cap. 12.

(7) Phthisiologia.

(8) Maladies qu'il est dangereux de guérir, p. 76 in nota.

(9) Interp. clinic. p. 349.

(10) Recueil d'observ. de méd. t. 2, p. 308.

(11) Traité de la phthis. pulm. t. 1, p. 507.

(12) Journal de médecine, t. 16, p. 149.

Illustrissimus Bang (1) nonnullas phthisicos pulmonalis, vel potius morborum phthisin simulantium a scabie evanescente productarum, restitutaque solutarum, observationes, quarum sequentes transcribere volumus, nobis offert: « Oppressio pectoris molesta, inquit (2), tussis sicca, rauco post scabiem sub febre intermittente exsiccata oborta, jam per plures menses virum 24 annorum afflixerant et prorsus emaciaverant; sub usu oculorum cancerorum præparatorum, florumque sulphuris ana uncia dimidia, camphoræ granis decem ad cochleare minus ter in dies, atque jusculi secalini, scabies provenire cœpit cum levamine, dein balneum magnum in usum trahebatur atque pilulæ pectorales loco pulveris, vesicatorium quoque amplum pectori applicitum fuit, hinc scabies adhuc largius erupit, itaque vir desperatæ sanitatis post quatuor menses ad integram virium restitutionem perductus fuit. Pectoris constitutio phthisica per materiem scabiosam inducta hoc casu sanabilis declaratur, præsertim, quamdiu suppuratio pulmonum nondum ex hac causa progenita est, rarius accidit talis eventus, si æger jam pus expectorat ».

Alia observatio: « Quidam 33 annorum, inquit idem (3), post scabiem topicis fugatam jam dimidio anno valetudinarius erat cum tussi, dyspnæa, sputo puriformi, debilitate, prostrato appetitu, flavescente facie, tumore levi crurum, alvoque laxa, quibus nuper levis efflorescentia scabiosa accesserat; ægrotum hunc quoad symptomata fere desperatum propter morbi originem forsana sanabilem in nosocomio suscepti; diarrhæa per pulverem gummi arabici bihorio ad cochleare minus sumtum sedata, scabiei largam eruptionem promovit pulvis e floribus sulphuris et oculis cancerorum paratus, per quem simul cum jusculo secalino adhibitum allata symptomata sensim in melius et demum sanitatis restitutionem convertebantur ».

Historiam vix non similem enarrat clarissimus Pagenstecher: « Vidimus nos ipsi, inquit (4), in clinica nostra chirurgica, virum laborantem tracheali phthisi

---

(1) Selecta Diarii.

(2) Ibid. tom. 2, p. 246.

(3) Selecta Diarii, tom. 2, pag. 26.

(4) Dissert. de metastasi, p. 21 in nota.

ex scabie suppressa jamjam cum plena vocis rauedine sputisque purulentis juncta. Cum vero, ordinante præceptore valde venerato Chelio, infricasset col- lum unguento e tartaro stibiato, hac in parte ægrota, præter pustulas hujus unguenti comites, eruperunt conspicuæ pustulæ scabiosæ, quæ cum in lucem prodissent, in dies morbus est minutus ».

## §. 127.

Cel. Schlegel (1) empyema a psorica metastasi productum observavit. Doctor Pierre analogam historiam, in qua, empyemate cultri chirurgici ope sanato, brevi ad cutim rediit scabies, refert (2).

Retropulsæ scabiei asthma spasmodicum, ex Hoffmanni (3), Raymond (4), Lorry (5), Rich. de Hautsierck (6) obervationibus nonnunquam supervenire constat.

De hydrothorace idem sane prædicare licet (Hoffmannus (7)), (Lorry (8)); quem affectum observavit Morgagni (9) in virgine quadam, annos nata duodeviginti, quæ, cum scabiem unguendo repulisset, gravissima orthopnæa, sine febre, sine aliis symptomatibus notatu dignis, correpta est. Sanguine e brachio ad sex uncias detracto, pejus habuit: e pede autem post dies aliquot ad uncias totidem misso, ita corrui, ut vehementiore facta spirandi difficultate, postridie interiret. Magnam aquæ copiam, pleurarum et pericardii cavitatem distendentem ostendit cadaveris sectio.

(1) *Materialien für die staatsarzneykunde, sammlung n<sup>o</sup>. 8.*

(2) *Journal général de médecine, tom. 51, p. 41.*

(3) *De pustul. et prurigin. var. gen. affect. cut. vide oper omn. t. 3, p. 428.*

(4) *Malad. qu'il est danger. de guérir, p. 76 in nota.*

(5) *De morb. cutaneis, pag. 232.*

(6) *Recueil d'obs. de méd. tom. 2, p. 308.*

(7) *De hydrope; vide op. omn. t. 3, p. 328.*

(8) *De morbis cutan. p. 232.*

(9) *Epist. 16, art. 34.*

« Hydrops anasarca , inquit Bang , (1) apud virum 26 annorum , sedecim diebus jam ad insignem gradum perductus erat cum dyspnea enormi , tussi sicca , sibilatione nonnulla pectoris , decubitu tantum tolerabili in latere sinistro , alvo per quinque dies laxa , siti , urina parca , ante duos circiter menses scabies per unguenta fugata erat ; emulsio ammoniacalis mox in usum tracta fuit cum infuso juniperino , et æger continuo in lecto calido tenebatur , alvus posthac modice laxari pergebat , verum diuresis largissima fiebat , adeo ut intra quatuordecim dies cyanidi tumoris loco provenerit scabies , quæ dein debitis auxiliis sc. sulphureis , balneo et tandem simul illito mercuriali absque recidivatu hydropis sanabatur ».

Denique diversos alios pectoris morbos , dyspneas scilicet (Hogendornius) , (Miscell. nat. cur. (2)) , Bang (3)) tussim hæmoptysin ferinam (Kleinus (4)) , (Rich. de Hautesierck (5)) etc. , producere possunt metastases psoricæ.

### §. 128.

Prostant innumera exempla eorum qui a scabie retropulsa , cordis passi sunt palpitationes : (Hoffmannus (6)) , (Mérat (7)) , (Kleinus (8)) . Cæterum , circulationem sanguineam nonnunquam modo peculiari post retrocessam psoram affici , ex sinceris observationibus constare videtur : « Ayant dans les hôpitaux , inquit Doctor Salmon (9) , eu occasion de suivre une infinité de militaires qui éprouvaient différens accidens à la suite de la répercussion de la gale , j'ai toujours observé que dans ce cas , le pouls était particulièrement remarquable par

(1) Selecta Diarii , t. 2 , p. 160.

(2) Dec. 1 , ann. 2 , obs. 213.

(3) Select. Diar. t. 2 , p. 26.

(4) Interpr. clin. p. 349.

(5) Recueil d'obs. du méd. , t. 2 , p. 308.

(6) De palpit. cord. vid. op. omn. 1. 3 , p. 86.

(7) Dict. des. sc. méd. t. 39 , p. 148 , art. *palpitatum*.

(8) Interpres clinicus , p. 349.

(9) Journal général de médec. t. 14 , p. 417.

la lenteur et le retard des pulsations de l'artère. Le citoyen Maugras, mon collègue et mon ami a fait journellement la même observation.»

Si scabies mercurii ope sanata fuit, tunc, quamvis multa adsit exanthematis retropulsio, pulsus tardi ac debiles sæpe reperiuntur; etenim, mercurialia, ut prædicavit professor Comhaire in prælectionibus clinicis, certis in casibus hanc pulsus singularem producunt mutationem, quam pluries observavit illustrissimus professor, et semel ipsi observavimus in ægro, nomine Oberweiss, nostræ clinices lectum N°. 3 occupante.

§. 129.

Cardialgia, pica, et alii ventriculi affectus a retroacta scabie oriri possunt. (Stoll (1)), (Klenius (2)), (Hoffmannus (3)), (Eitmüller (4)).

Clarissimus Raymond (5) psoricæ in ventriculum metastaseos, gastritidem, meo quidem iudicio chronicam gignentis historiam enarrat.

Scabiem evanescentem quandoque neuroses vel sæpius inflammatorios intestinorum dolores sequuntur. (Pariset (6)).

Colicus dolor apud juvenem 22 annorum, spatio dimidii anni post sanatam scabiem sæpe recruderat et jam decem diebus præsto erat cum alvo segni, debilitate dolorifica omnium artuum, et oculis flavescens; alvo mox per solutionem mannato-oleosani bene laxata, porrigebatur liquor nervinus et sublata colica, scabies hinc bene provenit, balneo dein sanata. (Bang (7)).

(1) Diss. de cardialgia, vid. diss. ad morb. chronic. t. 1, p. 542.

(2) Interpres clinicus, p. 349.

(3) De commutat. morb. sed. vid. oper. omn. t. 1, p. 358.

(4) Collegium consultatorium, cas. 3.

(5) Maladies qu'il est dangereux de guérir, p. 76.

(6) Dict. des sc. méd. t. 6, p. 30, art. *colique*.

(7) Selecta Diarii, tom. 2, p. 85.

A retropulsa scabie, icterus, testante doctore Villeneuve (1), oriri potest.

Ex eadem causa omnes hydropes (Kleinius (2)) et præcipue ascites (Hoffmannus (3)), (Portal (4)) originem quandoque trahunt.

Post psoram subito evanescentem sæpiuscule renes et vesica multifariam afficiuntur.

Pueri cujusdam diabete e metastasi scabiosa orto laborantis historiam scripsit Lanzoni in miscellaneis academiae naturæ curiosorum (5).

De vesicæ spasmo a scabiei retropulsione, mentionem movent Hannes (6), Kleinius (7), et alii. Zacutus Lusitanus (8) narrat historiam juvenis cujusdam, cui, post scabiem foedam intempestive suppressam, contigit urinæ suppressio, quam comitabantur sitis ingens, ardor in toto corpore, vigiliæ, angor, desperatio, insolita mœstitia, febris lenta et motus convulsivi in extremis partibus ex intervallis percepti. Multis medicamentis incassum adhibitis, cum scabioso in eodem lecto cubuit æger; scabies ad cutem rediit et cum illa sanatio.

Consimilis observatio in montis Pessulani Ephemeridibus (9) legi potest.

## §. 131.

Evanescentis psoræ aliquando pedissequis observatur mictus cruentus (Kleinius (10)).

(1) Dict. des sc. méd. t. 23, p. 434, art. ictere.

(2) Interpres clinicus, p. 349.

(3) De hydropo. vid. oper. omn. tom. 3, p. 328.

(4) Anatom. med. t. 5, p. 115.

(5) Dec. 2, ann. 10, 1691, pag. 162.

(6) Nov. act. acad. nat. curios. vol. 6, p. 125.

(7) Interpres clinicus, p. 349.

(8) Prax. histor. lib. I, cap. II, vid. oper. omn. t. 2, p. 243.

(9) Annal. de la soc. de médec. prat. de Montpellier, t. 8, p. 419.

(10) Interpres clinicus, p. 349.

Vir sexaginta annorum, olim hæmorrhoidum fluxui circa æquinoctia obnoxius, per annum iis caruerat et pruriginosa scabie, in toto corpore, præsertim circa anum fuerat vexatus. Ad hanc tollendam variis usus est medicamentis, sanguinem purificantibus dictis. Externe unguento sulphureo frequentius cutem inunxit. Quibus remediis adhibitis feliciter quidem molestum cutis malum evanuit; sed præter omnem opinionem, quum urinam redderet, apparuit illa crassa, sanguineo colore tincta, secessitque mox in fundum subnigricans color. Sic reddebatur aliquoties lotium, semper fere sine incommodo, sed quando alvum exonerabat, sub illo nisu, immani fere dolore cruciatus fuit cum magna stranguria. Venæ sectione in pede singulis mensibus instituta diversisque medicamentis laxantibus tonicis, successive malum discessit. (Hoffmannus (1)).

Illustrissimus Ramazzini (2) refert observationes maximi momenti, factas in nonnullis, qui, scabie inunctionibus retropulsa, postmodum febre correpti, illico urinas nigras et fuliginosas reddebant, iidemque, cum scabies remediorum ope ad cutem pellentium rediisset, urinas sanorum similes exercebant, iterum autem retrocedente scabie, aut denuo erumpente, hanc reciprocam in urinis mutationem ostendebant.

Eandem affectionem cum aliis gravissimis junctam symptomatibus, memorat celeberrimus Sennertus: Vidit (3) puerum 14 annorum, qui, cum intempestivis contra scabiem inunctionibus usus esset, urinam reddidit *nigram*; visu privatus, et epilepsia correptus est, eaque sæpius recurrente mortuus. Idem studiosi cujusdam historiam præcedenti persimilem his verbis enarrat (4): « Is, cum scabies qua laborabat ad interna recurreret, statim cæcus factus est, et per biduum nihil vidit, cum summa pectoris angustia, respiratione difficili, et *urinis nigris*. Qui, cum medicamentis idoneis ad humorem adustum evacuandum exhibitis usus esset, ut fumaria et similibus, intra quatrimum visum recuperavit.

(1) De hæmorrhag. de urinar. viis vid. op. omn. t. 2, p. 237.

(2) De epidem. Mutinens. ann. 1691, n° 32

(3) Practic. lib. 5, pars 1, cap. 28, vid. op. omn. t. 3, p. 286.

(4) Ibid. tom. 3, p. 285.



Idem post anni quadrantem eodem malo correptus est, medicamentis tamen idoneis adhibitis iterum evasit. »

## §. 132.

Rheumaticorum dolorum e scabie siccata observationes in Razorii tabulis nosologicis, nec non in Cyrilli consultationibus inveniuntur.

Retrocedens scabies nonnunquam ganglia lymphatica adit, ut patet ex historia sequenti ex clarissimi Bang Diario (1) excerpta : « Glandularum et subaxillarium et inguinalium intumescencia notabilis apud feminam 35 annorum post scabiem sponte exsiccata quatuordecim diebus aderat; oculi cancerorum et flores sulphuris ana ad unciam dimidiam cum camphoræ scrupulo ter per diem ad cochleare minus porrigebatur, intra paucos dies sub efflorescente scabie tumor glandularum evanuit. »

## §. 133.

Multum abest ut omnes psoricarum metastaseon casus hic retulerim : itaque, ne plura, lectorem ad scripta hac de re consulenda, scilicet ad dissertationes clarissimorum Juncker (2), Fickii (3), Autenrieth (4), ad Ephemerides naturæ curiosorum (5), ad miscellanea (6) et acta (7) ejusdem celeberrimæ societatis, ad acta Helvetica (8) etc. mittam.

(1) Selecta Diarii, tom. 2, p. 284.

(2) Dissert. de damno ex scabie retropulsa.

(3) Diss. de scabie retropulsa.

(4) Diss. de morb. mulier. ex scabie retrop.

(5) Dec. 1, ann. 1, obs. 58 — ann. 2, obs. 25 — ann. 8, obs. 77.

Dec. 2, ann. 1, obs. 35 — ann. 4, obs. 16 — ann. 5 obs. 224 — ann. 8; obs. 116 et 155 — ann. 10, obs. 23 — Append. pag. 53, 107.

Dec. 3, ann. 2, obs. 167 — ann. 5 et 6, obs. 117 — Append. pag. 148 — ann. 9 et 10, obs. 16 et 113 — cent. 3, obs. 75 — cent. 8, obs. 32 — cent. 9, obs. 9.

(6) Dec. 1, ann. 2, 1671, p. 45.

(7) Vol. 1, pag. 522.

(8) Vol. 6, pag. 230.

Præterea Claudii dissertatio de morbis quorum curatio cum periculo suscipitur (1), nec non Delii amœnitates academiæ (2), ut et opus doctoris Favarele-Placial, cui titulus : « *Tableau des accidens qui résultent du mauvais traitement de la gale ou de sa répercussion* », non sine fructu legentur.

§. 134.

Antequam istud caput absolvam, de metastasibus psoræ criticis quædam dicere lubet.

Scabiei evanescenti morbum quemcumque internum, exanthemate ad cutem redeunte sanatum, succedere nemo sane nescit. Affectionem autem quamlibet, apparente psora spontanea, antea non existente, solutam, quod tamen multis exemplis ab auctoribus idoneis allatis-probari videtur, minus certum existimatur : » Innumeræ prostant observationes, asserit Hoffmannus (3), auctorum fide dignissimorum, quæ asthma spasmodicum, arthritidem, podagram, et alia plura mala per solam scabiem soluta..... commemorant. » Hypochondriam Boerhaavius, maniam Gardanus, Fischer, Riedlinus, Descoste, Esquirol (4) ab apparente scabie sanatam observaverunt.

Ex Kleinii (5) sententia, critica notatur scabies in febribus intermittentibus, cujus affectus nonnulla apud Bang exempla reperimus : « Apud alterum, inquit, (6) febris, jam decem septimanis duraverat initio tertiana, dein quotidiana, cum dolore oppressorio lobi hepatis sinistri atque tumore oedematoso crurum, allata mixtura resolvens, necnon pilulæ resolventes.... atque inunctio mercurialis lateris in usum trahebantur, status tamen fere idem per tres hebdomades durabat cum intercurrente hæmorrhagia narium ; tunc erumpere cœpit scabies, quam

(1) Pag. 29.

(2) Dec. 5, n° 5.

(3) De pustul. et prurig. var. gener. affect. cut. vide opera omn. tom. 3, pag. 428.

(4) Vide journal général de médecine, tom. 50, extrait d'un mémoire sur l'aliénation mentale par M. Esquirol.

(5) Interprês clinic. p. 348.

(6) Selecta Diarii, tom. 2, p. 205.

æger nec antea passus fuerat nec ab ulla infectione derivare poterat; hac apparente mox cessavit febris; aliquis tamen restitit lateris dolor per applicatum vesicatorium brevi fugatus; scabies dein largius efflorescebat cum insequente plenaria restitutione.»

» Maxime notabilis erat, narrat idem (1), historia feminæ, 36 annorum, quæ duobus mensibus valetudinaria fuerat cum tussi sicca, dyspnæa, oppresione cardiæ, anorexia, sapore amaro, vomitu admodum frequenti, nec non suppressione menstrui fluxus; emeticum mox initio porrectum, alias clysmata, camphorata, mixtura Riverii duodecim diebus frustra tentabantur, symptomata nilominus continuabant, vomitus omnis ingesti adfuit, cum alvo semper per se clausa, et increscente debilitate, ob accedentem demum dolorem cardiæ, quasi ab excoriatione interna ad suspicionem acrimoniæ cuiusdam horum malorum matris ductus, propinavi infusum rad. salep.... et lac tepidum loco omnis alterius nutrimenti, posthac mox vomitus cessabat et elapsis quatuor diebus apparebat scabies quam ægrotâ nostra nunquam antea passa erat, nec ulli commercio cum aliis scabiosis adscribere poterat; exanthemate hoc magis magisque sub alata medela prorumpente, omnia symptomata sensim evanuerunt, alvusque naturaliter fluxit, quo scopo potitus demum scabiem ipsam mixtura antiscorbatica resolvente fugabam.»

§. 135.

Quid istis aliisque, de quibus hic silui respondendum? Nil nisi istam eruptionem criticam, veram scabiem contagiosam non probari: cæterum scabiem, ante morbum susceptam, post illius saltem cessationem apparentem, sive convalescenti ægro communicatam, ab observatore minus attento criticam spontaneamque haberi posse.

Quam facile error hoc in casu irrepit, nuperrimo exemplo nobis confirmatum. Virgo quædam, nomine Dupont, 19 annorum, exeunte anni 1822-1823 semestre hiberno, febri gravi affecta Nosocomium Leodiense *Bavière* dictum,

(1) Ibid. tom. 2, p. 27.

intravit. Cutis nulla eruptione, nisi maculis petechialibus mox evanescentibus, inquinata erat. Morbo declinante, scabies, qua semper libera fuerat, in tota corporis superficie apparuit, ita ut critica et spontanea videretur (\*). Accuratiores autem inquisitionibus compertum est ejus fratrem scabie, quam ægræ nostræ communicare potuit, contaminari. Hanc eruptionem, febre vigente, latentem, cessante efflorescentem, scabiem criticam, quod et de multis aliis psoris, pro spontaneis venditatis, dici posset, saltem simulasse luce clarius est.

§. 136.

Attamen a priori negari non potest existentia, nunc a fere nullo amplius admissa, psoræ spontaneæ, cujus productio hypothesi maxime ingeniosa a clarissimo Ranque prolata explicari facile posset: « Où se forment, inquit auctor (1), comment se développent et se multiplient ces insectes dégoûtans, qui pullulent sur la tête d'un malheureux, qui dans les angoisses d'une fièvre maligne vient d'échapper à la mort? Où étaient ces milliers de germes avant d'éclorre? Par quelle puissance étonnante les voit-on, dans un instant, passer du néant à la vie, et de la vie à la mort? où vont se cacher ces animaux, quand, dans certaines maladies, on les voit disparaître tout-à-coup pour se remontrer bientôt plus forts et plus nombreux? Peuvent-ils nier cependant que ces animaux ne soient souvent le résultat d'une crise bienfaisante? Non, sans doute, quoiqu'il leur paraisse difficile d'en expliquer la génération instantanée. Eh bien! pourquoi se refuser à croire que dans des circonstances semblables, la nature, au lieu de pous à la tête, puisse déterminer subitement le développement de milliers d'insectes qui se creusent un asile dans la peau, s'y propagent et y produisent des milliers de pustules qu'on appelle gale? Certes, si je ne me trompe, il y a entre ces deux phénomènes l'analogie la plus grande. La seule différence que je puisse y trouver, c'est que dans la maladie pédiculaire, les insectes se

---

(1) Mémoire et observat. cliniques sur un nouveau procédé pour la guérison de la gale, vide dict. des sc. médicales tom. 17, p. 189.

(\*) Notandum est, in nosocomio, nullum ista affectione laborasse.

voient à l'œil nu, tandis que, dans les affections psoriques, ils ne se découvrent qu'à l'aide de bons instrumens, ces animaux étant très-petits, et se cachant profondément dans l'intérieur du bouton qui leur sert de repaire.

## §. 137.

Quidquid sit de psora spontanea, ex sincera observatione, ut jam prædiximus, morbos a scabie retroacta ortos, hac apparente sanari constat. Illud naturæ comamen ac beneficium, exanthematis inoculatione imitatur, et hac methodo affectus quos insanabiles credebant, sæpe tollimus.

Mirandam et notatu sane dignam historiam epilepsiæ a scabie inoculata sanatæ, nec approbata à nobis nec improbata auctoris de isto casu singulari sententia, hic silentio prætermittere non possumus : « Avant son mariage, M<sup>de</sup>. D...., inquit doctor Archambault (1), avait toujours joui de la meilleure santé. Elle était née de parens sains. Sa jeunesse cependant avait été orageuse; des passions brûlantes avait rempli son âme. Contrariée dans ses amours, elle devint mélancolique à l'époque où elle se vit enchaînée au destin de Monsieur D...., ancien officier, dont la santé, affaiblie par de longues maladies, n'offrait à son épouse que la triste perspective d'une vieillesse languissante. Conduite à Venise, elle passa les six premiers mois de son mariage au milieu des plaisirs de cette célèbre capitale. Mais leur attrait ne fut que passager : elle ne tarda pas à se livrer à toute l'amertume de ses réflexions sur un avenir qui l'effrayait.

Bientôt elle éprouva des mal-aises universels, et une toux nerveuse des plus fortes, qui lui firent garder la chambre. On attribua ces accidens aux bals : un traitement anti-catarrhal fut institué, mais sans succès. Des maux de tête violens se firent sentir; ils furent suivis d'une respiration courte et extrêmement difficile : les digestions s'altérèrent; le cours des autres fonctions en fut troublé; la sensibilité devint excessive, au point que Madame D.... ne pouvait ressentir le moindre froid, sans éprouver des convulsions affreuses. Mais ces

---

(1) Journal général de médecine, tom. 57, p. 90.

convulsions changèrent bientôt de caractère, et revêtirent celui de l'épilepsie. On tenta vainement tous les moyens propres à combattre cette dernière maladie : les bains seuls produisirent un mieux sensible ; mais leurs bons effets ne se firent pas remarquer long-temps.

En Novembre, les accès se multiplièrent d'une manière effrayante. Le froid de Décembre et de Janvier les diminua, sans cependant leur ôter de leur intensité. Ce mieux ne fut que momentané ; et, dès les premiers jours de Mars, la maladie reprit son cours ordinaire.

A cette époque, la guerre ayant forcé Monsieur D... à envoyer Madame au dépôt de son régiment, elle arriva à Milan à la fin de Mars. Les accès étaient, depuis vingt jours, longs et fréquens. Un médecin Milanais fut appelé. Elle fut mise à l'usage du suc de Belladonna, que l'on continua pendant trente-quatre jours. Le résultat, loin d'être avantageux, ne fit qu'aggraver le malheureux état de Madame D... A cette époque, il ne se passait pas un seul jour sans qu'elle eût au moins deux attaques épileptiques.

Les grandes chaleurs d'Août et de Septembre apportèrent quelque calme ; il y eut moins de spasme : les fonctions digestives reprirent un peu d'énergie : mais cette amélioration fut de courte durée. Les premiers jours de Novembre rappelèrent tous les accidens, qui, en Décembre, devinrent alarmans. Madame D... semblait toucher à sa fin. C'est à cet instant que je fus appelé.

A une maigreur extrême, à une face hippocratique, à des membres décharnés et froids, se joignaient des traits continuellement altérés par des mouvemens convulsifs, des yeux fixes, des mâchoires spasmodiquement rapprochées, une écume blanchâtre abreuvant des lèvres décolorées, une voix presque éteinte, une respiration courte et difficile. La réunion de tant de symptômes graves me laissait peu d'espoir de guérison.

Réfléchissant néanmoins à la marche rapide de cette cruelle affection, et me retraçant les symptômes graves qui en avait marqué les premiers instans, je crus devoir en conclure qu'une cause matérielle extrêmement énergique avait dû la faire naître. Mais où la trouver cette cause, qui pouvait seule m'éclairer sur le genre de traitement à prescrire ?

L'épilepsie ne pouvait être héréditaire chez cette malade ; elle n'avait pu être acquise que sous l'influence d'une cause développée depuis son mariage.

Je cherchai à m'assurer si dans la vie de Monsieur D..., je ne trouverais pas quelques traces capables de me conduire à cette découverte importante. J'appris que douze jours avant son mariage, il avait été atteint d'une gale extrêmement forte, et que, dans la crainte que sa maîtresse ou quelque personne de sa famille ne s'en aperçût, il s'était confié à un charlatan, qui, en trente heures, avait fait disparaître l'éruption. Depuis cette époque, Monsieur D... était sans cesse tourmenté par des douleurs atroces dans tous les membres, que différens traitemens anti-syphilitiques n'avait fait qu'exaspérer. Les bains seuls amenaient toujours un mieux sensible. D'après ces renseignemens ; j'ai cru apercevoir la cause immédiate de la maladie de Madame D... , dans l'affection psorique. Plusieurs raisons déjà énoncées m'engageaient à embrasser cette opinion. Je ne m'arrêterai pas ici à en peser la valeur ; mais enfin je proposai l'inoculation de la gale.....

Cependant, en admettant cette opinion, je ne trouvais point encore l'explication du cas pathologique de Madame D..., car elle n'avait jamais eu d'éruption psorique, dont la répercussion aurait pu déterminer l'épilepsie. Mais ne pouvait-on pas supposer que l'action de ce virus avait immédiatement agi sur le système nerveux, comme le plus susceptible et le plus développé ? La marche ordinaire des altérations organiques m'ayant décidé à embrasser cette opinion, je fis inoculer la gale le 20 Mars.

Dès le 22, Madame D..... fut mise à l'usage de quelques sudorifiques légers, et des bains qui furent pris de suite pendant quinze jours. Le 28, les boutons commencèrent à paraître.

Le 3 Avril, un nombre prodigieux de pustules couvrait toute la surface de la peau. Aussitôt un changement très-extraordinaire s'est opéré dans la durée et la fréquence des accès épileptiques. Du 22 Mars au 3 Avril, Madame D.... n'a eu qu'un accès, et encore si peu marqué, qu'à peine elle a perdu l'usage de ses sens.

Les moyens généraux suivis avec exactitude, et dirigés suivant les règles de

l'art, ayant fait marcher rapidement la maladie éruptive, il n'en restait plus aucune trace le 25 Avril. L'état du système nerveux cependant était encore alarmant; il n'existait plus d'accès, il est vrai; mais la faiblesse et l'atonie des organes sensitifs étaient telles, que je crus devoir mettre la malade à l'usage des nervins les plus énergiques. Le mieux fut marqué dès le premier jour de ce traitement. Le cours des fonctions, depuis si long-tems interrompu, reprit une marche plus naturelle: les forces reparurent. Son état, sensiblement amélioré, en lui rendant l'espoir d'une guérison si peu attendue, lui fit éprouver ce calme si nécessaire dans le traitement de toute maladie, et particulièrement dans celui des nerveuses.

L'usage des toniques nervins fut continué pendant les mois d'Avril et de Mai. A cette dernière époque, Madame D... était entièrement changée; la maigreur avait disparu; ses traits n'étaient plus altérés; ses yeux avaient perdu de leur fixité; ses lèvres, enfin, si long-tems décolorées, reprenaient leur fraîcheur; en un mot, elle présentait tous les signes d'une prochaine convalescence.

Je décidai la malade à aller à la campagne, pour s'y livrer à l'exercice, si nécessaire dans le traitement des maladies chroniques nerveuses: elle partit, le 20 Mai, pour Como, où elle habita une jolie maison, située sur les bords du lac qui baigne les murs de cette ville. Des promenades multipliées, sans être fatigantes; un régime suivi; des plaisirs champêtres; quelques voyages à Milan rétablirent bientôt Madame D... dans son premier état. Ses idées tristes s'effacèrent; et, ramenée à la raison, elle ne frémit plus à l'aspect de sa chaîne!! Depuis cet instant, elle se porte parfaitement bien, et n'éprouve rien qui puisse faire craindre une rechute.

On voit, d'après cette observation, que l'épilepsie peut être guérie par un moyen assez simple. Je ne m'en attribue pas l'honneur; car c'est l'opinion erronée du médecin italien qui m'en a donné la première idée. Au reste, ce fait me paraît assez curieux pour fixer l'attention des praticiens ». Nonne a virus psorico orta fuerit hæc epilepsia? nonne a crisi metastasica, arte producta, istud virus, ad cutem depulsū, sanitatem attulerit?



## DE PLICÆ POLONICÆ METASTASIBUS.

## §. 138.

Quam crassæ tenebræ plicæ historiæ obducuntur! Quantum de morbo istu medicorum sententiæ in diversum tendunt! Alii, inter quos numerantur Davidson (1), Kohen (2), Kreuzer, Wolf (3), Rousille, Chamseru, Larrey, Boyer, Gasc etc., plicam nil aliud esse quam capillorum intricationem a sordida Polonorum immunditia productam, asserunt: Alii contra hanc affectionem pro alicujus morbi symptomate habent; sic, exempli gratia, Hercules a Saxonia (4), Fulginatus (5), Stabel (6), Wolfram (7), Hirschel, etc., a syphilitide; Josephus Franck (8), Richter, Lalourcy a lepris eam pendere contendunt: alii denique, inter quos cernimus fere omnes Poloniæ medicos celeberrimos, Lafontaine, regis Archiatrum, Schullerum, Cracoviæ medicinæ professorem, Robin, Frederici magni chirurgum, nec non cives nostros Alibert, Chaumeton, etc, causam proximam plicæ in quoddam virus, quod, œconomiam totam percurrens, et tandem in capillos critica metastasi irruens, vel ex corpore expellitur, vel in his capillis depositum rursus in œconomiam diversos morbos producens retroagitur, ponunt.

## §. 139.

Istius affectus nostris in regionibus ignoti observatione plane destitutus, præ-

- 
- (1) Plicomastix, seu plicæ e numero morborum aposmata.
  - (2) De dubio plicæ inter morb. loc.
  - (3) Roczniki towarzystwa etc. pag. 488 - 508.
  - (4) De plica.
  - (5) Consult. de lue Sarmatica.
  - (6) Sing obs. de plica polonica.
  - (7) Versuch ueber die etc.
  - (8) Mémoire sur la plique polonaise.

tantissima de plica polonica scripta solummodo me legisse candide fateor. Re tamen accuratius et diligentius perpensa, plicam, si certis in casibus a solo capillorum incultorum et laneo pileo tectorum squalore pendeat, sæpissime morbum peculiarem, cujus principium, quidquid sit, in piloso systemate deponitur, nec sine damno in œconomiam repellitur, sistere nobis certum ac perspicuum est: prior quam negligemus, *falsa*, posterior de qua sola locuturi sumus *vera* plica nominata fuit.

## §. 140.

Plica, raro capillos primum invadens, sæpe sæpius in œconomia retenta, ibique rheumaticos dolores et nonnullos alios varii generis morbos mentiens, post tempus plus minusve longum, in pilos cujuscumque corporis partis, naturam suam declarans, criticum impetum facit.

Apoplexiæ, paralyseos, melancholiæ, mania, epilepsiæ, ophthalmiæ, chemoseos, oculorum suppurationis, cataractæ nigrae et cinereæ, cordis palpitationum, pulmonum et intestinorum inflammationis, dysenteria, ægrum, nisi contingat critica metastasis, sæpius summum in discrimen adducentium mentionem facit illustrissimus de Lafontaine (1). Jam notaverat Hoffmannus (2) immanes cephalalgias, epilepsiam, cæcitatem, insaniamque furibundam a plica polonica improvide abscissa obortas fuisse. His morbis asthma, hydrothorax, hœmoptysis, phthisis, catarrhus suffocativus, colici dolores etc., a clarissimo Alibert (3) annumerantur.

Non solum a plica nondum ad pilos translata sed etiam ab illa a capillis ad organa interna migrante produci possunt hi affectus.

In eximio doctissimi de Lafontaine opere, quibus in casibus plicata coma secari possit legendum est.

## §. 141.

Nunc nonnulla metastaseon exempla, quæ, mea quidem sententia, plicam

(1) Traité de la plique polonaise, pag. 18 et seq.

(2) De commutata morborum sede vid. op. omn. t. 1, p. 357.

(3) Maladies de la peau, tom. 1, pag. 132.

non simplicem capillorum intricacionem sed verum morbum sistere manifeste probant relaturus sum : « Une femme de condition , inquit Doctor Ephraïm Herrmann (1), d'un tempérament sanguin , belle , très-abondamment réglée , ayant été trois fois mère ; après des chagrins dont on ignore la nature , éprouva tous les symptomes d'une fièvre continue : ni la saignée , ni les boissons nitrées , ni les diaphorétiques n'apportèrent le moindre soulagement ; elle tomba dans un délire manique , en sorte que trois hommes suffisaient à peine pour la contenir. On conseilla une émulsion camphrée , à prendre par cuillerées. C'était la nuit : par erreur des domestiques , la malade prit une trop grande quantité de cette potion : dès-lors , convulsions si violentes , qu'on fut obligé de la lier , pour qu'elle ne se jetât pas par la fenêtre. Un peu de calme et de sommeil succéda néanmoins à cet état extraordinaire ; il se manifesta un léger prurit à la tête , et bientôt les cheveux se pliquèrent : par des substances légèrement sudorifiques , la matière du trichoma fut poussée vers le cuir chevelu , et la malade se rétablit. »

## §. 142.

Nyctalopiam , secundum Plenck in Polonia endemicam , a plica per metastasin criticam apparente , plane solutam vidit illustrissimus Lafontaine : « Il y a six ans , inquit (2) , on m'amena quatre frères , tous affectés de nyctalopie depuis deux années. L'aîné avait treize ans , le second onze , le troisième neuf , et le plus jeune sept. Ils voyaient parfaitement bien pendant le jour ; mais , dès que le crépuscule commençait , ils ne pouvaient plus rien apercevoir.

La cause prochaine de leur maladie était le principe morbifique de la *plique* , qui ne s'était encore déposé ni dans les cheveux , ni dans les ongles. Leurs parents et leurs aïeux avaient tous eu la *plique*. Leur mère les avait allaités tous les quatre , et il était à présumer qu'ils avaient été contagiés de cette manière. Il était étonnant que la maladie eût tardé jusqu'alors à se développer , et qu'ils

(1) Primitiæ physico-mediciæ , ab iis qui in Polonia et extra eam medicinam faciunt collectæ. Vide Alibert. Maladies de la peau , tom. 1 , pag. 138.

(2) Traité de la plique polonoise , p. 85.

en eussent été affectés tous les quatre à la fois. Je leur administrai d'abord les évacuans , les vomitifs joints à une décoction de bardane dans le petit lait. Leurs têtes étaient rasées. Je leur fis appliquer un vésicatoire autour de la couronne de cheveux qu'ils portaient ; j'entretins la suppuration , et fis fomentér le peu de cheveux qu'ils avaient , avec la décoction de graines de moutarde. Outre ces moyens , je mis aussi l'électricité en usage. Je les isolai avant l'heure à laquelle ils se couchaient , et leur tirai un grand nombre d'étincelles de la tête. J'essayai aussi de leur inoculer la *plique*. Je leur fis mettre pendant la nuit des bonnets qu'avaient portés auparavant des individus atteints de cette maladie. Bientôt se manifestèrent des sueurs considérables , principalement à la tête. Je prescrivis alors , vers le soir , l'esprit de corne de cerf , avec une décoction de bardane. Les sueurs visqueuses augmentèrent , et en peu de temps tous les quatre eurent la *plique* , dont la manifestation fut suivie de la disparition de la nyctalopie. »

Cæcitis persimili modo sanatæ exemplum refert idem (1) : « Une femme , âgée de vingt-huit ans , après sa cinquième couche , perdit entièrement la vue par degrés. La pupille resta noire , dilatée et sans mouvement : elle ne distinguait pas même les rayons du soleil. Les médecins regardaient son dernier accouchement comme la cause de sa cécité , et un grand nombre de remèdes lui avaient été administrés sans succès. Je fus alors appelé auprès d'elle. Ayant appris qu'elle avait déjà eu la *plique* dans son enfance , je présimai que c'était encore ici un des effets de cette maladie , et l'événement confirma le jugement que j'avais porté. Je soumis la malade au même traitement que j'ai indiqué ci-dessus ; je le continuai seulement pendant plus long-tems , et j'y joignis l'électricité et l'inoculation. Au bout de onze semaines , la *plique* parut , et la malade recouvra la vue si complètement , qu'elle put vaquer avec facilité à toutes les affaires de son ménage. » Hoc in casu veram adfuisse cataractam nigram , quam sæpius observavit in Polonia , putat ac contendit auctor.

---

(1) Traité de la *plique* polonaise , pag. 87.

Nonnunquam ophthalmia, a viru trichomatico pendentes, nec, nisi per plicæ metastasin in pilos vel ungues, sanatæ observantur : « Un ecclésiastique étranger ; narrat Lafontaine (1), âgé de cinquante-six ans, fut, pendant un séjour de dix ans en Pologne, sujet à de fréquentes ophthalmies que les moyens appropriés guérissaient, mais toujours très-lentement. Après un intervalle de plusieurs mois, les mêmes accidens revenaient et disparaissaient de nouveau par l'usage des antiphlogistiques et des évacuans. Dans l'espace de quatre ans, il avait été dix à douze fois atteint de l'ophthalmie. Je m'attachai, avec le plus grand soin, à découvrir la véritable cause des fréquentes récidives de cette maladie ; je consultai les meilleurs médecins et chirurgiens, et ne pus jamais la reconnaître. L'expérience l'apprit enfin au malade. Il s'aperçut qu'il était attaqué de nouvelles ophthalmies toutes les fois qu'il se coupait les ongles des orteils. En les examinant, je les trouvai déjà altérés dans leur couleur, plus épais, raboteux et poreux, en un mot, dans un état qui n'était pas naturel. Dès lors, je lui défendis de les couper, et je suivis une autre méthode curative, soupçonnant que la cause de la maladie était la matière de la plique. Je lui prescrivis des bains de pieds avec la décoction de graine de moutardé, réitérés deux fois par jour ; puis je lui fis frotter le bout des orteils avec la teinture de cantharides. Comme le passage de la matière morbifique dans les ongles avait déjà commencé, il s'opéra plus promptement, et fut terminé au bout de douze jours. Depuis ce temps, le malade n'a plus été sujet aux ophthalmies. Comme sa vue avait été affaiblie par la multitude de celles qu'il avait éprouvées ; je la fortifiai au moyen de fomentations froides, en faisant baigner les yeux dans l'eau froide, mêlée avec l'huile de cajeput, la valériane et le kina.

## §. 144.

Paralyses quandoque solvit plica : « Un homme de la Lithuanie, ait Ephræim

(1) Traité de la plique polonoise, p. 85.

Herrmann (1), âgé de trente-six ans, ayant de l'embonpoint, d'une constitution robuste, menant une vie peu sobre, après avoir éprouvé des coliques atroces dans l'abdomen, fut atteint d'une diarrhée sanguinolente. Ce flux dura cinq jours, sans qu'il y eût une prostration notable dans le système des forces, sans que l'appétit fût diminué, ainsi que le sommeil. On jugea d'abord que ce flux était hémorroïdal, et par conséquent salutaire. Quoi qu'il en soit, comme ce flux s'était prolongé pendant quatorze jours, et qu'il survenait de la torpeur dans la main gauche, ainsi que des frissons fébriles; on consulta le médecin, qui, examinant toutes les circonstances, ne savait d'abord à quel genre de maladie attribuer de tels accidens; mais qui, bientôt après, conjectura qu'on pourrait bien les rapporter à la plique. Durant la nuit, sommeil inquiet, côté gauche presque immobile. Tous les membres finirent par se paralyser. Après cinq semaines de traitement, par les remèdes vulgairement regardés comme dépuratifs, les cheveux commencèrent à s'agglutiner à l'occipital, vers la fin de la suture sagittale et vers le commencement de la suture lambdoïque. Il se forma une plique qui fut bientôt longue d'une aune, et avait plus de trois pouces d'épaisseur. C'est alors seulement que les forces se rétablirent, que les tintemens d'oreille commencèrent à s'évanouir; le teint du malade s'anima, et il ne tarda pas à recouvrer la santé : il vécut ensuite plusieurs années. La plique ne tomba point d'elle-même, et il ne la fit point couper ».

Casus similes observavit Cl. Lafontaine (2).

Varii affectus ut dolores vagi, cordis palpitationes, etc., ab ista critica metastasi etiam solvi possunt : « Une dame de 34 ans, narrat adhuc Cl. Lafontaine (3), ressentit, il y a six ans, de violentes douleurs rhumatismales dans plusieurs parties du corps. Elles se fixèrent enfin aux pieds, où elles restèrent pendant quelques mois. Un médecin du pays lui ordonna différens remèdes qui n'eurent point de succès. Les douleurs augmentèrent, et je fus appelé. Je

(1) Op. cit. vide Alibert, maladies de la peau, t. 1, p. 137.

(2) Traité de la plique polonaise, pag. 72.

(3) Opus citatum, pag. 69.

prescrivis le gaïac, une décoction de salsepareille, et pour la nuit l'aconit avec le camphre. Les douleurs se calmèrent, et finirent même par disparaître; mais alors la malade fut atteinte de battemens de cœur, de défaillances et d'attaques épileptiques. Ces signes, joints à l'expérience que j'avais déjà, m'apprirent qu'il existait en elle une disposition à la plique. Je lui fis exposer la tête à la vapeur des plantes aromatiques, et ensuite fomentier avec une décoction de sauge, de marjolaine et de graine de moutarde: puis je lui appliquai un vésicatoire sur la tête même. Alors elle éprouva des douleurs pongitives dans cette partie et dans les orbites; des sueurs abondantes et visqueuses s'établirent bientôt, et furent suivies de la plique. Dès ce moment tous les accidens fâcheux se dissipèrent. Cette dame a toujours continué depuis à se bien porter ».

§. 145.

Nonnunquam plicæ virus (vel causa quæque sit), pectus invadens, ibique pneumoniam a metastasi ad exteriora solummodo solvendam producens, observatum est. (Lafontaine (1)).

Certis in casibus virus syphiliticum mentitur plica, naturam suam, metastasi in pilos facta, denique manifeste declarans; quod observatio sequens, a clarissimo Stabelio scripta, illustrissimoque Alibert relata (2) demonstrat: « La femme d'un paysan nommé Kobiela, âgée de 20 ans, d'une constitution robuste, ayant toujours joui d'une santé régulière, fut un jour attaquée, sans cause manifeste, de douleurs lancinantes et continuelles à la tête, ainsi qu'aux articulations. Peu de temps après, il se forma de petits ulcères sordides dans le fond de la gorge et dans l'intérieur des narines; les mains et les pieds étaient remplis de tubercules dispersés çà et là.

Administration des mercuriaux, tant à l'extérieur qu'à l'intérieur: mais ce traitement fut inutile. Les symptômes allaient croissant. Stabel examina atten-

(1) Traité de la plique polonaise, pag. 67.

(2) Maladies de la peau, tom. 1, pag. 116.

tivement toutes les circonstances, et vit que le virus qu'on avait vainement combattu, n'était point de nature vénérienne, mais le résultat d'une plique héréditaire qui tendait à se développer. La malade éprouvait toutes les nuits une sueur visqueuse à la tête; l'appétit était dépravé; les ongles étaient rudes au toucher et recourbés: on administra les diaphorétiques. Par l'usage continué de ces moyens, la plique commença à s'allonger, et parvint peu-à-peu à une longueur considérable: les ulcères se cicatrisèrent; les tubercules et les nodosités disparurent; tous les symptômes que je viens d'indiquer cessèrent entièrement ».

Ex his omnibus prædictis, quanti sit momenti plicæ eruptio apud illos qui, ob hæreditatem vel ob alias innumeras causas, istius morbi principio, in œconomia latenti, laborant, quantaque mala afferret hujusce salutiferæ eruptionis suppressio, perspicue cernitur.

Nunc ad alium morbum nostris in regionibus sæpenumero observatum, id est ad tineam, sermonem transferamus.

ne voulant rien changer à ses habitudes , fit journellement des courses assez considérables , et fut peu sévère sur son régime. Cette indocilité fut suivie de la cessation de l'écoulement et de l'affection du testicule droit. Le repos, quelques émolliens et le régime firent reparaitre l'écoulement au bout de six jours. A cette époque , Laurent Ménage fut arrêté et conduit dans une maison de détention ; transféré à Bicêtre , l'écoulement était toujours abondant , et la saison froide et humide. Un matin , en s'éveillant , il éprouva une sensibilité particulière à l'œil droit ; à cette sensibilité succédèrent bientôt des douleurs vives et aiguës qui se propageaient le long de la région temporale droite , et ne permettaient pas au malade de fixer la plus faible lumière. Cette extrême sensibilité de l'œil rendait son inspection très-difficile , et ce ne fut qu'avec la plus grande peine qu'il fut permis de s'assurer quelquefois de l'état de cet organe qui était très-rouge. Cependant la cornée parut toujours conserver sa transparence. Les deux premiers jours , au rapport du malade , son œil secrétait une très-grande quantité d'eaux claires ( ce sont ses expressions ) ; ce ne fut que le dixième jour de l'invasion de la maladie qu'il entra à l'infirmerie. On employa d'abord une saignée locale , des boissons anti-phlogistiques , quelques légers minoratifs , des lavemens et le régime. On faisait bassiner l'œil malade avec une infusion de fleurs de sureau. Malgré l'emploi de ces premiers moyens , la maladie était parvenue au dix-huitième jour , et résistait avec opiniâtreté. L'écoulement d'une matière puriforme , secrétée par l'œil malade , qui s'était manifesté depuis quelques jours , et l'intensité de cette ophthalmie , firent naître des soupçons sur la vraie cause de la maladie , qui furent bientôt justifiés par les nouvelles questions faites au malade. Dès-lors , on aurait bien désiré pouvoir recourir à l'inoculation d'une nouvelle blénorrhagie ; mais l'exécution du remède devenait fort difficile. On se contenta de faire prendre intérieurement le muriate sur-oxigéné de mercure , étendu dans un véhicule mucilagineux , sans négliger l'emploi des premiers moyens déjà énoncés. Mais le même jour l'écoulement reparut ; le lendemain il avait augmenté et la douleur commença à devenir moins vive. L'examen de l'œil n'était pas si difficile. L'écoulement se soutint , et cet organe devint , par degrés , moins rouge et moins sensible ; et au bout de six jours , on apercevait à peine quel-

ques traces de cette terrible maladie. On continua la solution de Van Swieten et les boissons délayantes. On bassina l'œil malade d'abord avec de l'eau végétominérale; et lorsqu'il n'y eut plus de sensibilité, on se servit d'eau très-froide dans laquelle on faisait mettre un vingtième d'alkool. L'œil recouvra peu-à-peu son premier état et sa première énergie.

Le 25 Ventôse, époque à laquelle le malade a été transféré dans une autre maison de détention, les douleurs en urinant avaient cessé. Il n'existait par le canal de l'urètre qu'un très-faible suintement. Tout faisait espérer qu'il reprendrait sous peu ses exercices. »

Hoc in casu, primum ope, vel cereolæ in urethram admissæ, vel, ut multum commendavit Swediaur, vaporum aquæ calidæ cum aceto simplici remixtæ, revocandus est blennorrhagiæ fluxus.

Insuper, emollientes fatus dum viget inflammatio valde prosunt; qua autem remissa, ad resolventia mercurialia recurrendum.

#### §. 175.

Blennorrhagiæ metastases in artuum articulationes, præsertim femoro-tibialem nec non tibio-tarseam, tumores a chirurgis albos dictos gignentes, nonnunquam observatæ fuerunt. Doctissimus Yvan, Napoleonis chirurgus, vidit (1) nobilissimum exercitus ducem, quadraginta annorum, ophthalmia ex suppresso blennorrhagiæ fluxu laborantem, cui mox vehementiores artuum superiorum et inferiorum dolores successerunt : mercurialia per duos menses adhibita nullum levamen attulerant : enormem in molem excreverat genu dextrum : miserandus vir, jam in mortem vergens, atrocissimis doloribus excruciabatur, quum urethralis fluxus, ope specilli blennorrhagiæ materia inducti, restitutus est. Res ita prospere successit, ut æger letho adeptus, paulo post convalesceret.

Clar. Cuynat (2) persimilem affectum ab eadem causa pendentem, eodemque modo sanatum, observavit.

(1) Annal. de méd. prat. de Montpellier, t. 7, p. 119.

(2) Annal. de méd. prat. de Montpellier, t. 1, p. 365.



His igitur in casibus, fluxus urethralis restituendi, ut remedii longe omnibus aliis præstantioris, memores simus.

## §. 176.

Antequam huic capitulo finem imponam, utilissimam, quoad praxin quæstionem commemorare decet; scilicet an hydrargyrus post diversas blennorrhagiæ metastases propinandus sit? Cui affirmative, nec, ex mea sententia, inmerito, responderunt illustrissimi Swediaur, Lagneau, Cullerier, etc., a quibus mercurialia in subsidium vocantur quotiescumque a syphili dependet, vel ex syphili pendere videtur blennorrhagia.

At, quænam est dosis hoc in casu necessaria? Laudati practici minimam mercurii dosim, verbi gratia quatuor vel quinque grana sublimati corrosivi administrant, dum alii, inter quos Prof. Ansiaux, istam methodum vituperant. Si virus absorbetur, contendit illustrissimus Professor, tam exiguam hydrargyri quantitatem ad illud impugnandum non sufficere, sin autem non absorbetur, plane inutilem et quidem nocivam esse.

Attamen syphilin universalem, cum exiguis dosibus remedium præbitum erat, nunquam observatam, dum contra, remedio non administrato, corpus ista lue horrenda sæpius defœdatum fuisse quotidiana ac sincera observatione constat. Unde probatur virus absorptum, methodo jam laudata apprime debellari.

Hunc nodum deinceps solvere conabor, si occasio sese præbet, coram te, cl. Professor, cujus opinionem refellere audeo.

## DE SUDORIS METASTASIBUS.

## §. 177.

De sudorum accidentalium vel criticorum suppressionibus, etiamsi omnibus fere morbis ansam præbeant, hic disserere non mihi placet: creberrimæ enim

observationes in auctorum scriptis necnon in nostra praxi ubique occurrunt, ita ut *hanc recoquere crambem* plane inutile duxerim. Quoad theoriam maxima attentione digna esset hæc metastasis; sed ab omnibus ad theoriam spectantibus ista dissertationis pars, observationibus ut jam dictitavi unice incumbens, abhorret. Solummodo de sudoribus consuetis, certis individuis peculiaribus eorumque sanitati tam necessariis, ut suppressione nonnullos gravissimos morbos gignant, mentionem injiciam.

## §. 178.

Hi sudores multas varietates quoad sedem et proprietates offerunt: modo ex pedibus, modo ex manibus, modo ex axillis, modo ex capite, modo ex pectore etc.; in his fragrantés in aliis absque odore fluunt. Quibusdam in casibus, calidus et tenuis, dum contra quandoque frigidus et viscosus, sæpius ex loco peculiari, interdum tamen ex universa corporis superficie promanat iste sudor.

Doctissimus Krugelstenius, de sudore pedum ex professo disserens, ejusque suppressionis pericula notans, eum hereditarium credit et probat.

Celeberrimus Lobstenius eximiam, de eadem materia, dissertationem societati medicæ æmulationis, in ejus autem actis non relatam, communicavit; haud solum pedum sudorem hereditarium credit auctor, sed etiam contagiosum reputat, ita ut usu mutuo tibialium et quidem calceorum ab uno individuo ad alterum hanc affectionem transmitti posse contendat.

## §. 179.

Innumera mala sudorum habitualium suppressionem, ut modo videbimus, sequuntur: itaque ab omni medicamine adstringente abstinere, et tantum summam sed non exquisitam nimis munditiem adhibere, his in casibus, oportet.

Zacutus Lusitanus (1) memorat virum quemdam sudorem ferventissimum sine motu vel exercitio per corporis ambitum excernentem.

---

(1) Prax. med. admir. lib. 3, obs. 73.

Hujus mali pertæsus æger, adhibitis incassum nonnullis remediis, impetum sudoris reprimere conatur frigidissimo balneo, in quod ingressus per horam, ita obrigit, ut veluti gelatus in lecto cubare cogereetur. Sudor sponte cessavit, sed noctu suborta angustia, palpitatione cordis correptus, post tres horas, prostratus, mortuus est.

» Je viens de voir succomber à une inflammation cérébrale, narrat cl. Reydellet (1), un jeune homme de vingt ans, sujet, depuis son enfance, à des sueurs abondantes de la tête et de la poitrine; cet écoulement se supprima, et les symptômes inflammatoires cérébraux ne tardèrent pas à se développer avec une violence qui annulla l'effet de tous les moyens, et l'enleva dans l'espace de quelques jours ».

Post sudorem pedum fetidum tribus annis consuetum, et remediis externis suppressum, oriebatur in femina, 38 annos nata, dolor capitis, jam tres hebdomades durans, cum memoria læsa et intercurrente nonnulla aberratione mentis. Pediluvio crebro, camphoratis, intra tres septimanas revocatus est pedum sudor, et caput restitutum (Bang (2)). Amentiam ex sudoris capitis consueti, mediante aqua gelida, suppressione provenisse asserit clar. Esquirol (3).

§. 180.

Sudoris sub utroque poplite habitualis suppressi, vertiginem et hydropem producentis, exemplum, in actis Academiæ naturæ curiosorum (4), scripsit Doct. Nebel.

Fredericus Hoffmannus novit ex suppresso pedum vel axillarum fetido sudore vertiginem; aut capitis gravitatem, aurium tinnitum, difficilem respirationem, ventris tormina, atque vagos artuum dolores subortos, qui nulla arte vel consilio superari poterant. Idem narrat (5) historiam studiosi cujusdam continuis

(1) Dict. des sc. méd. tom. 33, p. 71, art. métastase.

(2) Selecta Diarii. tom. 2, pag. 354.

(3) Dict. des sc. méd. tom. 16, pag. 193, art. folie.

(4) Vol. 5, pag. 398.

(5) De remed. benign. abus. et nox. vid. op. omn. tom. 6, pag. 337.

pedum excretionibus, cum fetore ingratisimo, quæ magno ipsi erant incommodo, afflicti. Impatiens igitur morbi, consilium petit a contubernali qui pediluvia, multæ, ut jactabat, experientiæ, ex aqua simplici, in qua alumen dissolutum erat, commendat. Probato consilio, curam cum pediluvii, per duas septimanas, instituit, unde pedetentim sudores suppressi sunt. Successerunt vero vertigines capitis, fetor oris intolerabilis ac sæpius in die tremor artuum gravis, quæ multis patientem negotiis ineptum fecerunt : nulla arte sudor pedum prolici potuit.

§. 181.

Clariss. Lobstenius nonnulla cephalalgiae atrocissimæ, asthmatis convulsivi necnon phthiseos pulmonalis, sudoris pedum suppressionem sequentium exempla, opusculo jam citato, refert.

Memorabilem hujusce metastaseos historiam, ab illustr. Raymond prolatam hic transcribere certe non pigebit : « Une dame religieuse, inquit (1), qui, dans son enfance et dans sa jeunesse, s'était trouvée fort souvent sujette à des fluxions aux yeux et aux paupières, accompagnées de larmoiement, de rougeur, et quelquefois d'inflammation, ne se trouva tout-à-fait délivrée de ses incommodités qu'à l'âge de puberté, et lorsque ses règles parurent, ou, pour mieux dire, lorsqu'en même temps ses pieds et ses jambes furent inondés de sueurs abondantes et fétides ; lesquelles augmentaient beaucoup dans le printemps et en été. Tant qu'elle les supporta avec patience, elle jouit d'une parfaite santé ; mais ne voulant plus les endurer, pour n'être plus incommodée à ses compagnes dans le chœur et dans le réfectoire, elle se lava les pieds et les jambes, par le conseil de quelques femmes, dans une eau alumineuse fort astringente, qui effectivement fit disparaître les sueurs ; mais peu de temps après, elle tomba dans des accidens épileptiques qui l'exercèrent violemment et fréquemment pendant environ trois ans, et qui ne cédèrent enfin aux remèdes que pour changer de scène, en se montrant par des glandes fort enflées et gorgées au cou, aux aisselles, par des boutons et des pustules sur le reste du corps ; enfin la

---

(1) Maladies qu'il est dangereux de guérir, pag. 48.

phthisie pulmonaire scrophuleuse, accompagnée de la toux, suivie de crachats purulens, jaunâtres, verdâtres, et de la fièvre lente avec des redoublemens, termina les jours de la malade à l'âge d'environ quarante ans, qu'elle avait passés, quoiqu'elle eût été toujours bien réglée, dans des infirmités continuelles, excepté tout le temps que les sueurs durèrent ».

In eodem opere aliud pedum sudoris suppressi exemplum notatu valde dignum legimus : « J'ai vu, narrat auctor (1), un jeune homme de trente ans, chez qui une sueur fétide, avec démangeaisons et rougeur légère des orteils, alternait irrégulièrement avec un rhume ou avec une affection de poitrine simulant la première période de la phthisie pulmonaire, ou bien avec une fluxion sur les gencives. On remarquoit constamment que la sueur des pieds paraissait lorsque le corps était sain, vigoureux, et que les forces vitales se dirigeaient du centre à la périphérie du corps ; mais qu'elle était remplacée subitement par l'affection de poitrine toutes les fois que le corps était affaibli, soit par des excès, soit par des boissons, des alimens trop relâchans, soit par une température humide et froide ; et enfin que les fluxions sur les dents étaient fréquentes pendant le fort de l'hiver, ou quand la tête devenait, par circonstance, le centre des mouvemens fluxionnaires. L'une de ces incommodités excluait totalement les autres. Je conseillai à ce malade de faire usage, de temps en temps, d'une infusion de fumeterre ou de scabieuse, ou de la décoction de racines de patience. Ces légers toniques entretenirent les sueurs des pieds. De trois maux il fallait choisir le moindre ; mais le corps étant ensuite affaibli par les progrès de l'âge, la poitrine fut de nouveau affectée. Un cautère à la cuisse fit tout disparaître, et la santé fut rétablie ».

Simon Pauli (2) nec non Fr. Hoffmannus (3) cordis palpitationes a retro pulso pedum fetore subortas memorant.

Cl. Portal refert mulierem sudoribus fetidis ac copiosissimis, ex axillis ma-

(1) Ibid. pag. 47, in nota a Doct. Giraudy scripta.

(2) Quadripart. de simpli. medic. pag. 215.

(3) De remed. benign. abus. et nox. vid. op. omn. t. 6, p. 336.

nantibus, diu vexatam, eos alumine desiccasse : unde icterica evadens, sola excretionis habitualis restitutione, convaluit. Fetidissimum pedum sudorem cum diarrhæa fetidissima alternantem vidit Kleinius (1).

In Dictionario scientiarum medicinalium (2) notabilem sudoris pedum cum leucorrhæa alternantis observationem, ex actis Acad. nat. curios. excerptam legimus : « Une femme de 30 ans, d'un tempérament sanguin-mélancolique, fut prise ; pendant sa grossesse, d'une leucorrhée qui diminua et disparut ensuite à l'apparition d'une sueur très-froide des pieds. Elle supporta cette sueur pendant quelque temps, mais avec tant de peine, qu'elle importunait sans cesse son médecin pour la lui supprimer. Celui-ci motiva son refus sur plusieurs raisons. La malade conserva encore ses sueurs durant un certain temps. Enfin, d'après le conseil de quelques femmes, elle appliqua sur ses pieds des feuilles d'aulne pour arrêter cette excretion, incommode. Elle y réussit ; mais à peine les sueurs des pieds furent-elles supprimées, que la leucorrhée reparut. Elle appela un médecin. Celui-ci, après avoir prescrit les alexipharmques, les préparations de succin et les laxatifs, fit ensuite faire des frictions irritantes sur les pieds. La leucorrhée disparut et fut remplacée par les sueurs des pieds, qui continuèrent à suppléer au flux leucorrhœique. »

§. 182.

Dolores arthritici vagi, ut jam pluries observaverat illust. Hermannus Furstenu (3), ex sudorum habitualium suppressione quandoque proveniunt. D. Chomel (4) rheumatismum acutum, suppresso consueto pedum sudore, oriundum, hoc redeunte, solutum, se vidisse affirmat.

Ex eadem causa sobolescere possunt herpes, aliaque exanthemata cutem deturpantia : » J'ai connu, dicat Cl. Reydellet (5), une jeune dame qui, ayant voulu

(1) Interpres clinicus, pag. 377.

(2) Tom. 28, p. 9, art. leucorrhée, par Pinel et Brichteau.

(3) Act. acad. nat. cur. vol. 6, p. 371.

(4) Essai sur le rhumatisme.

(5) Dict. des sc. méd. t. 33, p. 87, art. metastase.

supprimer une transpiration très-abondante des pieds, à laquelle elle était sujette et qui l'incommodait, fut attaquée d'une dartre très-rebelle au visage, et qui ne céda qu'à un traitement long, et au rétablissement de la fonction supprimée ».

» Un homme, narrat, illust. Alibert (1), avait sous le gros orteil du pied gauche un suintement fétide qui durait depuis son enfance. Il se confia au soin d'un empirique qui tarit la source de cet écoulement incommode, à l'aide d'un topique très-astringent. Mais bientôt on vit se manifester au nez de cet individu une dartre rongeante scrophuleuse. Les glandes du col furent engorgées, et les progrès de cette affection furent très-rapides. Le visage du malade fut affreusement défiguré ».

Funesta horum sudorum metastaseos plura addere exempla mihi inutile videtur.

His in casibus morbi a metastasi producti rite impugnandi et præsertim sudoris restituendi, ope frictionum aromaticarum, topicorum irritantium, nec-non, quod a nonnullis laudatur, partem ex quo scaturiebat secretio morbosa panno quodam, gallice *taffetas gommé*, obvolvendo, haud immemores simus.

Non solum a retrocedente sudore habituali morbi nonnulli produci possunt, sed etiam diversæ affectiones, ista excretionem per crisin metastaticam apparente, antea autem non existente, interdum solvuntur.

Quod sequentibus confirmat illustrissimus Moreau de la Sarthe : » Il n'est pas sans exemple, inquit (2) qu'une de ces légères indispositions, telle que la transpiration fétide de quelques parties succède aussi, et d'une manière *métastatique* à des maladies beaucoup plus graves, et qui pourraient devenir funestes. Tel fut le changement heureux qui s'opéra insensiblement dans la situation de M. D..... auquel je donnais depuis long-temps des soins pour le traitement d'une névrose abdominale qui avait donné lieu à une irritation consécutive et sympathique très-grave de la poitrine. Les symptômes principaux de cette maladie, dont la ma-

(1) Maladies de la peau, t. 1, p. 323.

(2) Encyclopédie méthod. partie de la méd. t. 10, p. 35, art. métastase.

nifestation se suspendait quelquefois pendant quelques heures, étaient l'intermittence du pouls, des pulsations très-fortes dans la région épigastrique, des palpitations fréquentes, des accès d'oppression ou même de suffocation, une propension imminente à la syncope, correspondant à l'intermittence du pouls, surtout lorsque celle-ci étant très-marquée, paraissait dépendre de la faiblesse du cœur.

Les toniques les plus doux et les antispasmodiques, qui semblaient indiqués dans le traitement de cette maladie, furent inutilement essayés sous toutes les formes, et parurent même occasionner plutôt une sorte d'exaspération dans les symptômes les plus incommodes, qu'un soulagement véritable.

On fut obligé de se borner aux émoulliens, aux bains, aux demi-bains, à la suspension ou à la diminution des stimulans domestiques, méthode de traitement qui fut combinée avec les avantages d'une habitation à la campagne, et d'un genre de vie moins sédentaire. Dans ce concours de circonstances l'état de M. D.... s'améliora promptement de jour en jour. D'abord les palpitations, la tendance aux syncopes diminuèrent sensiblement, l'intermittence du pouls et les palpitations épigastriques s'affaiblirent également et bientôt il ne resta plus de l'ensemble de la maladie que la mobilité nerveuse qui l'avait précédée, et qu'on aurait pu en regarder comme le prélude et le premier degré; mais alors il se manifesta un symptôme bien digne d'attention. M. D.... dont les cheveux n'avaient jamais eu aucune odeur remarquable, s'aperçut tout-à-coup qu'ils en avaient une très-fétide, et que les cosmétiques les plus forts parvenaient à peine à masquer. Cette exhalation dans la perspiration cutanée se soutint pendant plusieurs mois, parut même quelque fois augmenter ou diminuer, suivant l'état des forces ou de la santé, et nous ne balançons pas à la regarder comme l'effet d'un genre de métastase, dont il ne serait pas impossible de trouver d'autres exemples dans les recueils d'observations »:

Casum quemdam peculiarem nostraque attentione dignum, quem in se ipso observavit illustr. Raymond, hic, ut istud caput absolvam, silentio prætermittere nequeo : » Je ne dois pas omettre, inquit (1) ce que je remarquai en moi même

---

(1) Maladies qu'il est dang. de guérir, p. 50.



lors de la peste qui ravagea Marseille en 1720. Dès que cette cruelle maladie parut, je sentis mes aisselles, contre l'ordinaire, fort chaudes et humides, et quelquefois j'y souffrais des ardeurs et des cuissons peu supportables. Cette incommodité, qui m'était fort nouvelle, me dura pendant tout le temps que ce fléau se fit sentir, et elle ne s'évanouit que lorsqu'il eut entièrement cessé, c'est-à-dire, dans le printemps de 1721.

La peste reparut dans le printemps de l'année suivante, et les mêmes sueurs, ardeurs et chaleurs me reprirent sous les aisselles; mais enfin elles se dissipèrent par l'entière extinction de ce fléau, dont on ne vit plus aucune trace au commencement de cette même année.

Quoique dans cet état et dans ces deux différens temps, je fusse employé au service des pestiférés, dont je voyais journellement un grand nombre, je puis assurer que je n'ai jamais joui d'une meilleure santé; je devins même plus gras que je n'étais auparavant. Je puis dire cependant que j'aurais infailliblement succombé aux peines, aux chagrins et aux risques auxquels je me voyais exposé, si la divine providence, que je dois éternellement louer et remercier, ne m'eût pas procuré ces salutaires sueurs pendant ces tristes temps. » Non dubium est quin istius salutaris sudoris suppressione, vir optimus in summum discrimen adductus fuisset.

## DE HYDROPUM METASTASIBUS.

---

### §. 183.

In praxi species metastaseos, hoc loco commemoranda, id est hydropum metastaseos, quandoque occurrit. Ascitidi evanescenti subito succedere hydrothoracem, qua vix non suffocatur æger, ex observatione constat : nec aliter in aliis hydropibus contingit. Sic, ex. gr., ægros, hydrope laborantes, subito inter motus convulsivos, vel summam orthopnæam confectos, ob aquosam, ut contendit cl. Itard (1), in cerebrum vel thoracem metastasin, quandoque cernimus.

---

(1) Dict. des sc. méd. t. 22, p. 393, art. hydropisie.

Post hydroceles *curam radicalem* graviora suffocationis symptomata, quibus hydroceles recrudescens finem imposuit, se observasse refert Reydellet (1).

Nonnunquam pedum œdemati primo intuitu minoris momenti, repente evanescenti diversa incommoda interdum lethalia succedunt: « Quod ad curationem œdematum in pedibus attinet, ait illustr. Fr. Hoffmannus (2), ea provide est adornanda. Permulta enim æque tristia novimus exempla, quæ eam perverso modo institutam pessime cessisse testantur. Nam si adstringentibus sive cataplasmatibus tractantur ejusmodi tumores, detumescunt quidem tumores, sed intus serosus latex per metastasin repellitur et ad pulmones delatus catarrhum efficit suffocativum funestum » (hydrothoracem, ut opinor sistens).

Cæterum celeb. Bang nonnulla pedum œdematis cum diversis morbis alternantis exempla in Diarii selectis retulit.

## DE HÆMORRHAGIARUM METASTASIBUS.

### §. 184.

Mulieribus tributum menstruum, solertissimis œconomiæ indagatoribus quoad causam plane ignotum, sed sanitati ita necessarium ut, quotiescumque a naturali norma recedit, graviter afficiantur, imposuit natura.

Hoc privilegio gaudent viri ut hæmorrhagia periodica, tantarum ægritudinum fonte, non laborent. Sunt tamen qui sanitatem, nonnisi fluxus hæmorrhoidalis menstrui beneficio integram servant. Jam pridem fluxum hæmorrhoidalem apud viros cum mensibus apud mulieres composuerunt, quod etiam de omni hæmorrhagia periodica, diuturniori, ac constitutionali, scilicet cum corporis constitutione tam stricte ligata, ut potius functionem quam morbum sistat, dici sane posset. Quibuscunque his constitutionalibus hæmorrhagiis natura assueta everti nequit quin sanitas multifarie lædatur. Nonnunquam inde diversi morbi, sæpius autem

(1) Dict. des sc. méd. t. 33, p. 70, art. métastase.

(2) De hydrope, vid. op. omu. t. 3, p. 333.

sanguinis fluxus , suppresso succedaneus , eamdem periodicitatem observans , et emunctorium sanitati necessarium evadens , nec , nisi prior recrudescat , innocue reprimendus , apparet. Sic , ut fusius infra explicabimus , hæmorrhagia per oculos , per nares , per digitos , per dentium alveolam , suppressorum mensium vices crebro implent.

Non solum constitutionales , sed etiam accidentales et præsertim *activæ* (\*) hæmorrhagiæ inconsulte haud cohibendæ sunt : istas enim hæmorrhagias activas a fluxione natura instituta , nec absque summo periculo sistenda , pendere nemo sane nescit.

Nunc varias e variis sanguinis profluviiis oriundas metastases , a fluxu menstruo suppresso initium ducens , evolvere lubet.

### DE MENSIIUM METASTASIBUS.

---

#### §. 185.

Suppressio mensium , et gravia , quæ inde fluunt , symptomata tam crebro observantur , ut universum fere mulierum genus ab iis quandoque conflictetur. Inter immensam hujusce metastaseos observationum farraginem , quibus perabundant auctorum scripta , pretiosiores fideque digniores , referam.

Succedaneas hæmorrhagias per membranas mucosas aut cutem sæpissime , sed non unice , ut contenderunt nonnulli , fluere notandum est.

#### §. 186.

Ex suppressis catameniis creberrime hæmorrhagia pulmonum sobolescit. Hæc hæmoptysis , menstrualis dicta , aut absque ullo , aut interdum cum leviori œconomiae damno observatur : his in casibus vicarius fluxus , nisi hæmorrhagia suppressa restituatur , minime cohibendus est.

---

(\*) Passivas enim hæmorrhagias , præsertim sub curæ respectu , minime denegamus.

Aretæus jam notaverat hæmoptysin periodicam ex amenorrhæa ortam : « repentinus sanguinis exitus ex ore, inquit (1) plerumque feminis quibus menstrua non respondent, evenire solet : idque singulis mensibus evenit, iisdemque menstruæ purgationis circuitibus apparet : necnon iisdem statis cessationis diebus supprimitur, ac nisi mulieri laboranti succurratur, per multos circuitus sanguinis emissio reverteretur ».

Haud aliter loquitur Ætius dicens : « per sputum cruentum, idque copiosum, præsertim feminas vidi sine noxa vacuari, ac earum quædam, loco menstruæ purgationis, ita vacuabantur menstruis temporibus ».

Harum periodicarum hæmoptyseon exempla apud cl. Pechlinum (2), Rhodium (3), Swietenium necnon in Ephemeridibus naturæ curiosorum (4) inveniri possunt.

Erasistrates observavit ancillam ex insula Chio quæ, fluxu menstruo suppresso, statis mentium periodis, sanguinem abunde expuebat ; quod, testante illust. Langio (5), virgini cuidam de stemmate patricio accidit.

Illustriss. Fr. Hoffmannus (6) notabilem ejusdem metastaseos narrationem facit : « Percussa fuerat, inquit, nobilis femina, triginta annorum, ipso illo quo menses fluebant tempore, terrore ingenti, quo illico substitit sanguis, et inducta pectoris gravitas præcordiorum anxietas et cordis palpitatio intensa. Recurrente dein menstrua periodo, rediit quidem sanguinis stillicidium, sed admodum parcum, præcedente pressorio et tensorio dorsi ac hypochondriorum dolore, pectoris angustia et gravativo in præcordiis sensu. Accessit vero etiam sanguinis e pectore per tussim ejectio, post quatrimum sponte iterum cessans. Quin quotiescumque postea utero purgata, toties, per quinque vel sex dies, sanguinis plus

(1) De caus. et signis. morb. diat. lib. 2, cap. 2.

(2) Obs. phys. med. lib. 1, obs. 43.

(3) Obs. anat. med. cent. 2, obs. 30.

(4) Dec. 1, ann. 1, obs. 94 - ann. 9 et 10, obs. 27 - dec. 3, ann. 5 et 6, obs. 24 - cent. 10, obs. 38.

(5) Medic. epist. 10.

(6) De sanguinis fluxu e pulmonibus, vid. op. omn. t. 2, p. 207.

vel minus e pulmonibus ejecit, idque per novem annos continuos; ita tamen, ut quum imprægnatione facta menses retinerentur, hæmoptysis etiam quiesceret, post partum autem mox rediret, atque etiam sub ipsa lactatione sueta periodo succederet. Interim nihil inde detrimenti redundavit in sanitatem, neque quicquam incommodi sensit femina, frustra tamen ad compescendam hanc pulmonum hæmorrhagiam variorum medicorum conquisivit et consilia et auxilia ».

Celeberr. Bang (1) dat historiam puellæ 24 annorum, quæ, mensibus suppressis, in hæmorrhagiam frequentem et copiosam innox e naribus, mox e pectore, mox ex utroque loco simul, cujus præcursor solitus erat pectoris oppressio, cum voce rauca et aliqua dyspnæa post sanguifluxum disparsens. Elapsis ita tribus mensibus, ope clysmatum emollientium (ut verisimile est in uterum injectorum) menstrua copiosa provenerunt, et allata symptomata haud postea redierunt.

Similem observationem memorat cl. Robert, Parisiensis, medicinæ Doctor celeberrimus.

Hæmoptysin menstrualem, menstruis, ope hirudinum ad vulvam, restitutis, victam sæpius observavit illustr. Latour (2).

Eximia ac valde notabilis historia hæmoptyseos menstruis succedantæ omnibus fere mensibus apparentis, necnon 42 annos, absque ullo sanitatis incommodo, perdurantis, in Dictionnario scient. medic. (3) legitur. Si quis prolixam hujus casus enarrationem loco citato legere cupiat, ibidem (4) aliam inveniet historiam hæmoptyseos mensium vices partim implentis, id est singulis menstruis periodis, sanguis per genitalia fluens, brevi suppressus per metastasin e pulmonibus prorumpbat.

Fr. Hoffmannus refert (5) observationem plane inversam; etenim singulis

(1) Selecta Diarii, tom. 2, pag. 87.

(2) Vid. caus. proch. des hémorrh., t. 2, p. 274, obs. 703; et t. 2, p. 312 obs. 736.

(3) Tom. 20, p. 308, art. hémoptysie, par Pinel et Bricheateau.

(4) Pag. 311.

(5) De vomitu cruento. vid. op. omo., tom. 2, p. 217.

mensibus sanguis primo ex pulmonibus, dein ex genitalibus scaturiebat. Femina, de qua isto in casu agitur, 42 annorum, tribus aut quatuor ante mensium fluxum diebus, sanguinis e naribus per intervalla notabilem quantitatem profundebat, donec prodiret uterina purgatio et narium stillicidium tolleret. Successit hoc per sexennium, postea vero non amplius e naribus menstrua periodo sanguis prorupit, sed præcedente *leviori tussi, e faucibus* aliquot successive cochlearia screatu evacuabantur. Tunc semestri ab hinc spatium, circa mensium tempus, persensit, vomitu, sine tamen singulari conatu e ventriculo sanguinem ad aliquot per intervalla cochlearia protrudi, idque adhuc, quum hæc scriberet Hoffmannus, singulis tributi lunaris periodis, accidebat.

## §. 187.

Hæmatemesis menstrualis, etsi minus frequens quam hæmoptysis ejusdem generis, sæpius tamen observatur.

Hæc metastasis haud Galenum fugiebat dicentem in libro de locis affectis (1): « Ast visa est quoque mulieribus, suppressis mensibus, hujus modi per sedem sanguinis vacuatio fieri, ut et nonnullis per vomitum ob eandem causam. Verum et his quidem sincerus sanguis excernitur, similis ei, qui a mactata victima profunditur, modo per alvum inferiorem, modo per superiorem. »

Illustr. Th. Bartholinus (2) memorat mulierem cujus menses integrum annum haud e genitalibus sed e pulmonibus effluerunt. Persimiles observationes scripserunt illustrissimi Stalpart van der Wiel (3), Hermannus Cummius (4), etc.

His in casibus hirudines ad vulvam applicatæ et ut ex sincera observatione constat, venæ saphenæ sectio ad revocanda menstrua valde prosunt: « Urgebatur mulier, narrat Benivenius (5), acerbissimo capitis dolore propterea quod

(1) Περὶ τῶν πεπονθῶτων τόπων. De locis affectis lib. 5, cap. ultim. vid. op. omn. t. 7, p. 503

(2) Cent. 5, histor. 52.

(3) Obs rar. med. anat. chir. tom 2, obs. 17.

(4) Miscell. acad. nat. curios. ann. 1, obs. 95.

(5) De abdit. ac mirand. morb. et sanat. caus. cap. 41.

menstrua non provenerant : verum his demum vomitione propulsis, illico sublatus est dolor. Sed cum id iterum iterumque ac sæpius factitasset, abhorrens tandem mulier ab hujus modi vitio, auxilium nostrum adhibuit; qui sola sanguinis missione ex venula quæ sub talo est, et menstrua ipsa ex naturali loco rite profluere coegimus, et, quod sequens est, mulierem ipsam sanitati restitimus. » Hæmatemeseos menstrualis eodem modo sanatæ mentionem injiciunt cl. Langius (1), et Kupitz (2).

Cæterum istius metastaseos historiæ apud Hippocratem (3), Aretæum (4), Horstium (5), Rodericum a Castro (6), Riedlinum (7), Panarolinum (8), Blancardium (9), Verzascha (10), Martinum Rulandium (11), Wolfium etc., necnon in Ephemeridibus acad. nat. curios. (12), legendæ sunt.

§. 188.

Non solum per vomitum, sed etiam per alvum emitti potest sanguis menstrualis.

Cl. Lambsma (13) mulierem amenorrhæa laborantem, singulis mensibus dysenteria iisdem symptomatibus ac in naturali menstruatione comitata affectam

- (1) Medic. epist. miscell. lib. 1, epist. 40.  
 (2) Diss. de vomitu cruento.  
 (3) De morbis, lib. 1, cap. 32.  
 (4) Lib. 2, cap. 2.  
 (5) Observ. lib. 1, obs. 3.  
 (6) De morbis mulierum lib. 1, cap. 3.  
 (7) Linæ medicæ 1695, p. 44.  
 (8) Obs. medic. pentec. 1, obs. 6.  
 (9) Collect. med. phys. cent. 1, obs. 69.  
 (10) Observ. med. cent. 1, obs. 13.  
 (11) Curat. empir. et hist. cent. 3, cur. 4.  
 (12) Dec 1, ann. 4 et 5, obs. 75; — ann. 6 et 7 obs. 49. — Dec. 2, ann. 2, obs. 101; — ann. 10, append. p. 58. centur. 1 et 2 obs. 41.  
 (13) Ventris fluxus multiplex.

se observasse asserit. Miscellanea academiæ naturæ curiosorum eamdem fere historiam referunt. (1). In ejusdem celeberrimæ societatis Ephemeridibus (2) feminam, quadraginta annos natam, post partum difficilem, per anum lunari periodo expurgatam fuisse legimus. Ad vias naturales redierunt denique menses, sed, agra gravida rursus evadente, rursus etiam ex ano profluxerunt. Alia dysentericiæ menstrualis exempla in observationibus celeb. Hessi (3) et Plateri (4), ut et in Ephemeridibus modo citatis (5) reperies.

§. 189.

Frequentioribus mensium aberrationibus perpensis, nunc ad rariores et extraordinarias ejusdem fluxus metastases transimus.

Per vasa hæmorrhoidalia certis in casibus fit menstruus fluxus: ex omnium enim observatione constat magnam adesse correlationem inter hæmorrhoides et menstrua: « Plures vidi mulieres inquit Swietenius (6) quibus singulis mensibus, et per hæmorrhoides, et ex utero sanguis fluit, uniusque copia alterius defectum pulchre supplet. Fernelius (7) illustrissimam Galliæ reginam, alio mense per menstrua, alio per hæmorrhoides vicissim expurgatam fuisse refert. Dantur mulieres, asserit Kleinius (8), quæ mensis medio uno dispositum lunæ, altero hæmorrhoidum fluxum experiuntur.

Ex viis urinariis nonnunquam scaturiunt menstrua: « Religiosam virginem curavi, inquit Brasavolus (9), quæ singulis mensibus, sanguinis mictum habe-

(1) Dec. 2, ann. 10, p. 379.

(2) Vol. 3, obs. 24.

(3) Obs. medic. p. 131.

(4) Observat. lib. 3, p. 764.

(5) Dec. 1, ann. 1, obs. 94, 95, 108; ann. 3, obs. 24. — Dec. 2, ann. 8, obs. 193. Dec. 3, ann. 5 et 6, obs. 97.

(6) Comment. in Boerh. aphor. 1286.

(7) Cas. 39.

(8) Interpr. clinicus, p. 243.

(9) Comment. ad Hippocr. aph. 75, sect. 4.



bat, et illi menses defecerant : expurgabatur autem per urinam, quia solum dum mingebat, exibat sanguis, aliter vero non exibat : quæ et nunc vivit et integra sanitate fruitur. »

## §. 190.

Per membranam adnatam menstruus sanguis, de solita via aberrans, interdum profluit.

Ludovicus Mercatus (1) cognovit feminam cui, unoquoque mense, sanguis, licet modicus, per majorem oculi sinistri angulum fluebat. Illustrissimus Albertus refert in oratione de sudore cruento observationem puellæ nubilis, cui, mensibus cunctantibus, lacrymæ cruentæ exstillabant. Eandem metastasin Bartholinus (2), Helwig (3), Harder (4), Dolæus (5), Stalpart van der Wiel (6) observaverunt, de qua eximiam dissertationem scripsit illustrissimus Hekler (7).

Mensualis fluxus per aures exempla non desiderantur : « Nos religiosam vidimus et nunc curamus, inquit Brasavolus (8), quæ menses non habet, cum in ea ætate sit, in qua habere deberet ; at singulis mensibus sanguinis copia ex oculis et auribus exit ». Dodonæus (9), Harder (10), Spindler (11), Glaser (12) persimilis affectus historias scripserunt.

## §. 191.

Mensium defectum nonnunquam supplet epistaxis periodica : γυναικί, inquit

(1) De morb. mulier. lib. 1, cap. 7.

(2) Histor. anatom. cent. 1, hist. 13.

(3) Obs. physic. 140.

(4) Apiar. observ. med. et physic. obs. 82.

(5) Encyclop. chirurg. rat. lib. 1, cap. 10.

(6) Observ. rarior. med. anat. chir. cent. 1 obs. 19.

(7) De fluxu mensium ex oculo.

(8) Comment. ad Hippocr. aph. 25, sec. 4.

(9) Medicin. observat. exempl. rar. cap. 15.

(10) Apiar. observ. 83.

(11) Observat. 63.

(12) De mensium suppressione.

Hippocrates (1), τὰν καταμηνίωι ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥηῆναι, ἀγαθόν. (Mulieri menstruis deficientibus, e naribus sanguinem fluere bonum).

Ambrosius Paré sua in conjuge epistaxin menstrualem observavit: « Je sçai, inquit, (2) que ma femme estant fille, au lieu d'avoir ses fleurs par le lieu destiné de nature, les rendait par le nez l'espace d'un an entier ». Solenander (3) vidit feminam, quæ fluxum menstruorum per nares, omni mense, per annum integrum et amplius patiebatur, et quæ, incisa vena saphena, adhibitaque purgatione, plane curata est. Jacobus Æthæus (4) observavit hæmorrhagiam narium singulis mensibus, per viginti annos, in honesta matrona, menstruis carente, recurrentem. Hoc genere vacationis ægra purgata, non tamen absque magna molestia, et sæpe suffocationis periculo non levi, quod sanguinolenta materia, vel in naribus concreta, vel ad tracheam arteriam deorsum lata, omnem fere spirandi difficultatem tolleret. Mulierem, quæ, dum gravida evaderet, epistaxi et hæmoptysi periodica afficiebatur, memorat cl. Albertus (5).

Insuper, epistaxeos menstrualis eximia exempla apud Pechlinum (6), Brasavolum (7), Bierlingium (8), Riedlinum (9), Blancardium (10), Trillerum (11), Hamilton (12), Gackenholzium (13), Reydellet (14), etc., reperimus.

(1) Sect. 5, aphor. 33.

(2) OEuvres complètes, lib. 24, cap. 62.

(3) Consil medic. sect. 5, cons. 15.

(4) Vid. Schenkii observ. med. lib. 4, de menstruis.

(5) Ephemer. acad. nat. curios. cent. 9 et 10, p. 325.

(6) Observ. med. phys. lib. 1, obs. 40.

(7) Comment. ad Hippocr. aphor. 25, sect. 4 et 33, sect. 5.

(8) Theaur. theoret. pract. cur. 51.

(9) Linæ medicæ. 1696, pag. 211.

(10) Collect. med. phys. cent. 1, obs. 49.

(11) De mensibus per nares erumpentibus.

(12) Comment. medicin. Edimburg. dec. 2, vol. 1, pag. 245.

(13) Diss. de hæmorrh. nar. ex suppr. mens.

(14) Dict. des sc. méd. t. 33, pag. 64, art. métastase.

E membrana mucosa, buccam investiente, quandoque scaturit sanguis menstruus.

Per gingivas profluere potest ista hæmorrhagia, ut observaverunt illustrissimi Legrand (1), Dolæus (2) et alii. Doct. Nierki eximiam dissertationem de hæmorrhagiæ narium ac gingivarum salubritate loco fluxus menstrui, casu quodam comprobata, in lucem protulit (3). Hanc gingivarum hæmorrhagiam apud virginem, octodecim annos natam, vidit Zacutus Lusitanus (4). Nulla arte ad vias naturales menses revocari potuerunt, et sterilis semper remansit ægra, quod firmat sententiam Kleinii dicentis (5) : « Menses per insolitas vias proficiscentes communiter feminas steriles faciunt. »

Nonnunquam dentis alveola menses, loco naturali suppressos, emittere videntur. Cl. Roussæus (6) novit mulierem cui forte fortuna, cum elisus esset dens molaris, solita alioquin menstrua supprimerentur, singulis mensibus ex elisi dentis vulnuscule effluerent : « J'ai vu, inquit Raymond (7), une demoiselle vive et maigre, d'environ 48 ans, laquelle, n'ayant plus ses ordinaires, avait, tous les mois, une petite perte de sang par l'alvéole d'une dent molaire qui lui manquait. Elle perdait environ trois onces de sang par jour, pendant trois ou quatre jours; ce qui revint pendant quelques mois, sans aucune autre incommodité; et, depuis près de dix ans, que cet écoulement a cessé, elle jouit d'une parfaite santé ». In Rhodii observationibus (8), in actis novis Academ.

(1) Curios. natur. perscrutat. pag. 70.

(2) Encyclopédie chirurg. lib. 1, cap. 23.

(3) Halæ, 1772.

(4) Praxis medic. admirand. lib. 2, obs. 6.

(5) Interpres clinicus, pag. 245.

(6) De homin. prim. hist. affert. cap. 28.

(7) Maladies qu'il est dang. de guérir, pag. 178.

(8) Obs. anatom. medic. cent. 3, obs. 51.

natur. curios. (1), necnon in chirurgicis Loderii ephemeridibus (2), ejusdem metastaseos exempla reperiuntur.

Observationem hæmorrhagiæ per labia, menstruis succedaneæ, referunt Ephemerides nat. curios (3). In eodem opere (4) legitur historia matronæ cujusdam, quæ, deficientibus mensibus, singula lunari periodo, quatuor vel quinque dies, magnam salivæ cruentæ copiam emittebat; idque a quindecimo ætatis anno, usque ad quadragesimum octavum perduravit.

§. 193.

E mammarum papillis aliquando manat menstruus sanguis : « La fille d'un médecin, narrat illustrissimus Latour (5), étant à l'hospice de St.-Louis, à Paris, eut une déviation bien singulière; elle avait lieu par la mamelle gauche. Un jour *les règles parurent*; un instant après *elles se supprimèrent*, et le sang s'exhala de *l'extrémité du mamelon gauche*. La malade n'y éprouvait qu'un léger sentiment de chaleur. Un moment après les règles reparurent, et le mamelon cessa d'exhaler le sang. Cette succession de phénomènes s'est renouvelée plusieurs fois pendant cette menstruation. »

Andræas Laurentius (6) nonnullas mulieres, suppressis menstruis, per mammarum papillas profudisse memorat. Persimilia observata enarrant Marcellus Donatus (7), Panarolus (8) Fontechia (9), Gasserus (10), Bierlingius (11), Wolffius

(1) Vol. 6, obs. 51.

(2) Journal fur chirurgie, tom. 1, pag. 356.

(3) Cent. 1 et 2, obs. 48.

(4) Dec. 3, ann. 7 et 8, obs. 87.

(5) Histoire des causes des hémorrh. tom. 2, pag. 278.

(6) Histor. anatom. corp. hum. quæst. 11.

(7) De histor. medic. mirab. lib. 1, cap. 2.

(8) Observat. pentecost. 4, obs. 13.

(9) Medic. incip. specul. p. 243.

(10) Curat. et observ. medic. obs. 89.

(11) Thes. theor. pract. obs. 4.

(1), Stalpart van der Wiel (2), Ambrosius Paré (3), Cazenavius (4), Swietenius (5), nonnullique alii.

§. 194.

Nonnunquam per quamdam cutis partem emittuntur menses, a naturali via aberrantes.

Certis in casibus, rarissime autem, per totam corporis superficiem, ut ex sequenti historia ex *Ephemeridibus nat. cur.* excerpta, et ab illustrissimo Royer-Collard (6) relata constat, sanguis manare cernitur : « Une jeune fille de Norwège, inquit, à l'époque de la première éruption menstruelle, vit tout son corps se couvrir de taches très-rouges et très-larges. Ces taches étaient surtout remarquables autour des mamelles. Il y avait en même-temps céphalalgie et odontalgie très-douloureuse. On lui donna des sudorifiques, qui déterminèrent une sueur sanguine très-abondante. Les taches et les autres symptômes disparurent aussitôt. Les mois suivans, retour des mêmes phénomènes, usage des mêmes moyens, et avec le même succès. Elle se maria dans la suite, devint grosse; les voies naturelles s'ouvrirent à la suite de l'accouchement, et les règles ne souffraient plus de dérangement. »

§. 195.

Hæmorrhagia mensibus succedanea interdum e vertice originem ducit; cujus exempla apud Pechlinum (7) Verduccium (8) necnon in *Ephemeridibus natur. curios.* (9) legenda sunt.

(1) *Obs. chir. med. lib. 1, obs. 20.*

(2) *Obs. rar. med. anat. chirurg. cent. 1, obs. 79.*

(3) *OEuvres complètes, 24<sup>e</sup> livre, ch. 62.*

(4) *Journ. de med., chir., pharm. tom. 10, p. 23.*

(5) *Comment, in Boerh. aph. 1286.*

(6) *Ess. sur l'aménorrh. pag. 33.*

(7) *Obs. phys. med. lib. 1, obs. 39.*

(8) *Traité de l'usage des parties.*

(9) *Dec. 2, ann. 6, obs. 166, schol.*

E manuum cute interdum profluit sanguis menstruus : « Quod magnam infert admirationem , inquit Lud. Mercatus (1), id sane est quod nos jam ter vidimus , videlicet , per minimum manus digitum , et per annularem sinistrae manus , sanguinem singulis mensibus profundi , non copiosum , in religiosa quadam femina cui natura menstruam purgationem denegaverat. » Hujusce sanguineae metastaseos exempla , quorum unicum nos ipsi in noscomio Leodiensi (Bavière) in puella , octodecim annos nata , nomine Chouette , genuine observavimus , apud Blancardium (2), Zacutum Lusitanum (3), Boerhaavium (4), Kerckringium (5), ac in *Gazette de santé* (6), cernere possumus. Noster Henricus ab Heers (7) loquitur de illustri matrona quæ e minimo dextræ manus digito per intervalla sanguinis magnam emittebat copiam; cum fluere desierat , locum unde fluxerat nemo sensu deprehendere poterat. Attamen an menstrua adessent , necne , haud addit auctor.

§. 196.

Cutis pedum sanguinem menstruum excernere quoque videtur , ut retulerunt Horstius (8), Reilius (9) *Ephemerides nat. curios.* (10) etc. Zacutus Lusitanus (11) vidit feminam robustam , triginta annorum , e cujus pollicis sinistri parte interna pulposa juxta unguem emanabat rivulus sanguinis meri. Hæc nunquam nupserat , et post sanguinis vacationem , quam loco menstrui habebat , triduo ac sæpe quatruiduo , ocluso foramine , rusticos labores exercebat citra molestiam

(1) De morb. mulier. lib. 1 , cap. 7.

(2) Coll. med. phys. cent. 2 , obs. 59.

(3) Praxis historiar. lib. 3 , obs. 10 – lib. 9 , obs. 5.

(4) Praxis medica , part. 5 , p. 218.

(5) Specil. anatom. obs. 86.

(6) Année 1788 , n°. 21.

(7) Observ. medic. 23.

(8) Ibid. lib. 5 , obs. 3.

(9) Memorab. clinic. fasc. 3 , p. 206.

(10) Cent. 3 et 4 obs. 101.

(11) Prax. hist. lib. 3 , cap. 10 , de mensium suppressione , obs. 5.

ullam, et si forte minute emanabat sanguis, et dolor capitis, aut febris superveniebant, quod septies sibi decennio contigisse affirmabat; venæ sectio ex altero pede remedio erat, nam cum ex eodem pede, servata rectitudine, ex medici præscripto sanguinem emisisset, in pollice et genu vehemens dolor est excitatus, et menstrua ad annum non ita fauste erupere.

## §. 197.

Hæc hæmorrhagia mensibus succedanea adhuc erumpere potest ex talo (Cummius (1)), ex genu (Ephemer. natur. curios. (2)), ex crure (Rhodius (3)) ex dorso (Ephemer. nat. cur. (4)), ex fronte (Kleinus (5)), ex gena (Portal (6)), ex sterno (act. med. Berolinens. (7)).

## §. 198.

Ex aliis cutis partibus profluere cernuntur anomali menses. Zacutus Lusitanus (8) vidit puellam nubilem, optimæ constitutionis, apud quam, cunctantibus mensibus, natura excrementitium sanguinem per inguina expellere satagebat; sicque placide ac lente, foraminibus parvis, vix sensui conspicuis, apertis, quinque, sex et interdum septem dierum spatio, sanguis ex inguinibus continuo emanabat. Adhibitis incassum nonnullis remediis, foraminula per quæ stillabat sanguis cauterii et adstringentium ope occlusa sunt. Quo facto cum sanguis exitum non haberet, ad altas partes regurgitans, acutam febrem excitavit, quæ saphe-narum sectioni succubuit: at in posterum, naturæ vi, quæ sola est medicatrix,

(1) *Miscell. acad. nat. dec. 1, ann. 1, 1670, pag. 224.*

(2) *Cent. 6, obs. 62.*

(3) *Obs. anat. med. cent. 3, obs. 60.*

(4) *Cent. 7, obs. 86.*

(5) *Interpres. clin. pag. 245.*

(6) *Anat. med. t. 3, 170.*

(7) *Dec. 1, vol. 4, pag. 69.*

(8) *Praxis medic. admir. lib. 2, obs. 102.*

reseratis foraminibus, per inguina, suo tempore, typice, per multos annos sanguis profluebat.

Cl. Benivenius (1) recitat historiam feminae, cui singulis mensibus, per cutem, qua ima jecoris pars subjacet, sanguinis libra, quasi e vena aperta, effluebat. Quo evacuato, nemo discernere poterat unde evacuatio facta esset, ita nullum foramen, nulla cicatrix apparebat.

## §. 199.

Mensium scaturigo ex umbilico quandoque observatur. Ad feminam, amenorrhæa laborantem, cui nunquam menstrua per naturalem locum eruperant, vocatus est Zacutus Lusitanus. Hæc, singulis mensibus aliarum feminarum ritu, ventris tormina et aliquem umbilici dolorem persentiebat. Deinde, soluta placide umbilici unitate, sensim manabat, per dies octo, sanguis ad libras tres; cessante fluxu, vivebat alacriter, et si forte ex minuta per eam partem purgatione recurrebat morbus; venæ sectio in talo præsidio erat (1).

Cl. Nicolus (3) testatur se vidisse mulierem, apud quam ex umbilico non solum menstrua, sed etiam (crede si potes) lumbrici vivi! singulo mense erumpebant.

Cæterum alia hujus anomalæ hæmorrhagiæ exempla in Rhodio (4), in Ephemeridibus Hufelandii (5), necnon in Ephemeridibus natur. curios. (6) legimus.

## §. 200.

Sanguinem menstruum per istas maculas vel tumores, nævos dictos (gallice,

(1) De abdit. ac mirand. morb. et sanat. caus. cap. 4.

(2) Zacutus Lusitanus, prax. medic. admir. lib. 2, obs. 101.

(3) Sermo medicin. 2, cap. 8.

(4) Observat. anatom. med. cent. 3, obs. 49.

(5) Hufeland Journal der pract. etc. vol. 11, pag. 191.

(6) Dec. 2, ann. 7, obs. 228.



*envies*), vel, per alios varicosos tumores, periodice effluere jam observatum est.

» Une femme de 38 ans, narrat ill. Royer Collard (1), robuste et vive, devient enceinte et perd son mari pendant sa grossesse. Chagrin; douleur profonde; fièvre quarte. Au 7<sup>e</sup>. mois de la grossesse, apparition d'une petite tumeur variqueuse sur le dos, au-dessous de l'épaule droite. De légères frictions en firent sortir une petite quantité de sang séreux. Au bout de deux jours, cet écoulement cessa, et la petite plaie se ferma spontanément. A la fin du 7<sup>e</sup>. mois, la fièvre quarte durant toujours, accouchement prématuré, mais heureux, d'une petite fille. Les lochies coulèrent peu et ne durèrent qu'un jour et une nuit, quoique la malade ne nourrit pas, faute de lait. Alors la petite tumeur variqueuse du dos reparut, et s'étant rompue spontanément, il en coula du sang pendant plusieurs jours, sans douleur ni incommodité. Les mois suivans, l'évacuation menstruelle se fit régulièrement par les mêmes voies et cessa entièrement par les voies naturelles. Du reste, cette femme n'éprouvait aucun symptôme grave, seulement un peu de tension dans le dos à l'approche de l'époque menstruelle.»

Menstrua fluentia per nævum in nucha Hornius (2) per nævum in dorso Volgelius (3) observarunt. Observationem sequentem, notatu sane dignissimam, a doctore Gable scriptam, illustrissimoque Latour (4) relatum, hic silentio prætermittere nequeo: « M<sup>me</sup>. D. . . . ., âgée de 24 ans, mère de trois enfans qu'elle n'a pas nourris, douée d'une grande mobilité nerveuse, et sujette à quelques affections hystériques au moment de l'éruption de ses règles, sans cependant jamais avoir éprouvé d'irrégularité dans leur cours, devint grosse pour la quatrième fois. A l'époque où la prochaine menstruation devait se faire, une douleur aiguë et pulsative dans l'orbite du côté droit, accompagnée de larmolement et d'une espèce de coryza, suppléa aux accidens hystériques

(1) Essai sur l'aménorrhée, pag. 34. Hæc observatio ex Ephemeridibus nat. cur. excerpitur.

(2) Archiv. der pract. heilkunde, vol. 3, part. 1, n<sup>o</sup> 2.

(3) Obs. phys. med. chirurg.

(4) Hist. des causes des hém. tom. 1<sup>er</sup>, pag. 228.

qu'elle avait coutume d'éprouver. Le lendemain, un léger prurit qu'elle ressentit au bout du nez l'obligea d'y porter le doigt, qu'elle retira aussitôt teint de sang. Je fus mandé, et j'arrivai auprès de la malade. J'observai que l'hémorrhagie se faisait par un filet de sang de la grosseur d'un fil de soie, qui jaillissait à quatre ou cinq pieds et par secousses. Le sang était d'un rouge éclatant, et se coagulait promptement. Je reconnus qu'il jaillissait de la sous-cloison et près le bout du nez, d'une tache violacée, de la longueur d'une piqûre de puce, superficiellement saillante. D'après la quantité de sang qui s'était écoulée en ma présence, je jugeai que la totalité pouvait être évaluée à trois ou quatre onces. M<sup>me</sup> D. . . . m'ayant prévenu que, depuis quelques jours, elle attendait ses règles sans qu'elles parussent, et qu'en conséquence elle se soupçonnait grosse, je restai simple spectateur de cette espèce d'hémorrhagie, que je considérai comme une hémorrhagie supplémentaire, qu'il n'eût pas été prudent de comprimer. A la seconde et à la troisième époque, la même scène se renouvela; je me bornai, comme à la première, à en être simple spectateur. La grossesse parcourut tous ses temps, et M<sup>me</sup> D. . . . accoucha heureusement et à terme. Les suites de couche n'offrirent rien d'extraordinaire; mais, six semaines après, la douleur dans l'orbite, le larmolement et le coryza se renouvelèrent, et de l'ensemble de tous ces signes, il fut aisé de préjuger que la menstruation allait se faire par les voies détournées qu'elle s'était choisies au commencement de la grossesse. En effet, vingt-quatre heures après l'apparition de ces signes, ce état fluxionnaire céda à un jaillissement de sang qui se fit par le point dont j'ai parlé, et qui fournit à peu près quatre ou cinq onces de sang. S'il est des cas où nous soyons en droit de redresser les torts de la nature, celui-ci, sans doute, était impérieux: cette habitude menstruelle avait trop d'inconvéniens pour l'abandonner à son caprice. L'indication d'ailleurs était simple; je prescrivis les frictions sèches à la partie interne des cuisses, les bains de vapeur, dirigés vers les parties sexuelles, et les sangsues à la vulve. Le concours de ces moyens suffit pour rappeler les règles à leur mode naturel. Depuis, elles n'ont point dévié; mais M<sup>me</sup> D. . . . conserve toujours, au bout du nez, la tache violacée dont j'ai fait mention; et ce qui prouverait que le

sang n'a pas tout-à-fait perdu l'habitude de s'y porter, c'est qu'à chaque époque menstruelle elle se boursouffle, s'étend un peu, et acquiert une couleur plus foncée ».

## § 201.

Per vulneta etiam manare possunt menstrua. Testatur Paracelsus (1) quod viderit cuidam vulnerata sanguinem menstruum non per consueta loca, sed per vulneris sinum, effluxisse.

Puella quaedam, instante menstrua periodo, cutem incidit; magna sanguinis copia per vulnus effluxit, mensesque defecerunt: insequentibus lunaribus periodis, nec amplius per loca naturalia, sed per vulnus, quod minime ad cicatricem tendebat, menstrua expurgatio facta est (2).

Ex observatione constat catamenias quandoque scaturire ex variis ulceribus ac plagis plus minusve diuturnis (act. natur. curios. (3)), (Valli (4)); ex ulcere pedum (Sigaud de Lafond (5)), (Pechlinus (6)), (Vigarons (7)), (Esaias Meichsnerus (8)); ex ulcere ad malleolum (Pearce (9)), (Carder (10)), (Th. Bartholinus (11)); ex ulcere tibiæ (Ephemer. nat. cur. (12)); ex ulcere mammaram (Pechlinus (13)); ex ulcere in digitis (Pagenstecher (14)); ex fon-

(1) Chirurg. magn. part. 1, tractat. 1, cap. 11, p. 8.

(2) Ephemer. acad. natur. cur. dec. 2, ann. 8, obs. 86.

(3) Vol. 8, obs. 35.

(4) Saggio sopra diverse malattie chroniche etc. conf. Kuhn, Ital. biblioth. tom. 2, part. 2, pag. 135.

(5) Lettres sur l'électricité médicale, pag. 519.

(6) Obs. physic. méd. lib. 1, obs. 39.

(7) Cours élément. des maladies des femmes.

(8) Vid. Schenkium. De menstruis. lib. 4, obs. 13, pag. 613.

(9) Memoirs of the medic. soc. of London. vol. 3, append. n° 3.

(10) Medic. essays and observ. t. 3, n° 29, pag. 380.

(11) Histor. anatomic. cent. 1.

(12) Dec. 2, ann. 5, obs. 81.

(13) Obs. physic. méd. lib. 1, obs. 28.

(14) Diss. de metastasi; pag. 53 in nota.

ticulo in crure ( Sebizius (1) ); ex vesicatorii plaga ( Journal de médecine chir. pharm. (2) ); ex scapulis scarificatis ( Ephemer. natur. cur. (3) ); ex cicatrice adustionis in cruribus ( Ephemerid. nat. cur. (4) ), ( Latour (5) ); etc., etc.

§. 202.

Plurimis in casibus non unica, sed, ut jam pluries supra vidimus, diversæ hæmorrhagiæ vel simul, vel vicissim fluentes, munus menstruum explent: cujus præstantissimum ac memorabile exemplum retulit Swietenius (6): hæc propria Boerhaavii manu scripta, in scriniis post mortem reperta, ab hæredibus Swietenio concessa: « Puellæ, decem annorum, ob luis suspicionem, datæ fuerant pilulæ mercuriales, una cum decocto lignorum, satis felici cum successu. Post novem menses sensit dolorem tensivum in brachio dextro, eruperunt pustulæ non paucae, in quibus pungentem dolorem percepit, et paulo post vivus sanguis prosiliit ex pustulis; quo facto, omnes pustulæ evanuerunt nullo relicto vestigio; simul omnis dolor cessabat in brachio. Post mensem, dum duodecimum ingrediebatur annum, omnia eadem redierunt, sed excipiebat hæc primus fluor menstruus, qui et rediit sequente mense, post prægressam per pustulas brachii hæmorrhagiam. Ut in debitum ordinem redigerentur menstrua, adhibita fuerunt emmenagoga, venæ sectio in pede instituta, hoc cum effectu, ut, absque brachii hæmorrhagia prægressa redirent menstrua, loco, ordine, quantitate, debitis. Cum autem rigida hyems esset, si digiti manus dextræ frigerent, mox ex illorum apicibus stillabat affatim sanguis, absque ullo fissuræ vel pistulæ vestigio. Calore foci, manicis, dein tepore verno, cessit malum, et per quatuor menses fluor menstruus, copia et periodo solitis, prodiiit.

---

(1) Specul. med. pract. part. 4.

(2) Tom. 56, pag. 370.

(3) Dec. 3, ann. 1, obs. 88.

(4) Cent. 3 et 4.

(5) Causes des hémorrhagies, tom. 1, pag. 228.

(6) Comment. in Boerhaav. aphor. 1286, tom. 4, pag. 426.

Deinde, posthabita circuitus menstrui lege, quotidie, vel et alternis diebus, quandoque omni octiduo, per cutem digitorum brachii dextri guttatim stillabat sanguis, nec oculus detegere poterat in cute abstersa aperturam ullam, per quam sanguis exiverat. Contigit postea, ut, dum mane ex digitis stillaverat sanguis, post meridiem vertigine corripereetur cum rubore faciei; mox larynx in tumorem extus conspicuum attollebatur, cum suffocatione quasi hysterica; paulo post de colli parte anteriori plures fonticuli sanguinei promanarunt, et mox vertigo, rubor faciei, laryngis tumor, una cum suffocationis sensu, aberant. Alio tempore inflabatur hypochondrium dextrum, cum acerbo dolore; qui cessit emplastro aromatico applicato. Venæ sectione in pede instituta, antihysterics, emmenagogis, balneis adhibitis, remiserunt quidem hæc mala; sed suppresso manente menstruo fluxu, quamvis fere corporis partem aggressa fuerunt. Derepente erubuit facies, mox larga aderat narium hæmorrhagia, qua nondum cessante, intumuit larynx, et sanguine per colli anteriora exsudante detumuit denuo; una et eadem die ex brachio dextro, et sura pedis dextri, sanguis stillabat; sub vesperam spasmi per totum dextrum corporis latus aderant; mente tamen constante. Post oculi, labia, collum, manus, genua, convellebantur alternatim, et ventriculus admodum intumescibat: hora decima omnes illæ turbæ compositæ erant: supererant tantum brachii dextri laxa immobilitas, et extensio impossibilis genu dextri. Manebat cardialgica epigastrii inflatio, et sequebatur oculi sinistri (quæ sola pars hujus lateris afficiebatur) amaurosis. Tentatis variis remediis, restituta fuit brachio dextro mobilitas; sed venter non detumuit; nec crus extendi potuit, nec rediit oculo sinistro visus.

Post mensem circiter oculus sinister subito intumuit, paulo post lacrymæ sanguineæ affatim fluxerunt nec tamen emendabatur amaurosis. Sequebatur dein sudor sanguinis ex cute nasi, quæ saccum lacrymalem sinistrum tegit, post hæmorrhagia narium, quam mox exceperunt sputa sanguinea, et sanguinis rivuli ex unguibus digitorum manus dextræ prosilientes, et ex brachii latere, quod digiti minorem respicit. Sura dextra simul intumuit; verum ille tumor absque sudore cutis sanguineo evanuit. Post biduum, terrore percussæ, sanguis ex oculo

sinistro stillavit, uti etiam ex brachio et manu dextris juxta decursum majorum venarum, sed non copiosus. Emplastrum hystericum abdomini applicatum est. Emmenagoga, balnea, hystericæ anodynæ mista, adhibita: menstrua, per bimestre spatium suppressa, prodierunt, sed pauca copia, et detumuit abdomen.

Hic desinit miri morbi historia in manuscripto. Patet inde, quam varia et mirabilia mala sequi possint suppressionem menstruorum et simul confirmantur illa, quæ ante dicta sunt de variis et mirabilibus viis, per quas sanguis ille, naturaliter per uteri vasa evacuandus, exitum quærit ».

Talis casus reperitur in observationibus medicinalibus Edimburgensibus (1) de puella quæ, quindecimum annum agens, tertiâ menstruorum periodo, gravi lapsu sanguinem evomit, dein mensibus, vel integre suppressis, vel saltem parcissimâ copia se monstrantibus tantum, per viginti novem integros annos miserriam vitam duxit, frequentissimis hæmorrhagiis obnoxia, per os, nares, aures, oculos, alvum, renes, mammas, digitos manuum et pedum, circa unguium radices: nonnulla medicamina adhibita fuere sed frustra, exceptis tamen tinctura antihysterica et frequentibus venæ sectionibus, quæ aliquod levamen afferebant. Illustrissimus Menro, universitatis Edimburgensis professor, ægram ipse observavit.

### §. 203.

Omnibus hæmorrhagiis mensium vices metastatice suppletibus perscrutatis, nunc ad diversos alios morbos amenorrhæa productos animum appellere oportet.

Ab ista prædicta causa gigni potest meningum inflammatio (Hoffmannus (2)): cujus affectus historiam sequentem, a Kolichenio scriptam refert illust. Th. Bartholinus (3): » Uxor cujusdam scriniarii temperamento cholericò-sanguineo,

(1) Medic. essays and observat. tom. 2, n. 20, p. 306.

(2) De febre phrenetica. oper. omni. t. 2, p. 131.

(3) Act. Hafniens. vol. 2, p. 238.

cum menstrua ipsi consueto equidem tempore erumpere cœpissent, cum vicina sua altercari coacta est, hinc ex illa animi commotione substitere menstrua. Quid fit? circa noctem phrenetica ex lecto prosilit, et varias movet turbas, hinc optimus maritus in summo mane me vocat et auxilium implorat; suadeo venæ sectionem in pedibus, sed nolebat admittere etiam coacta: ut ergo sedatior esset propinavi illi potiunculam anodynam. Hinc post levem somnum paulo sedatior admisit venæ sectionem in utroque pede supra talum; qua largius celebrata, (rubebat enim facies valde ex sanguine sursum delato) sensim ad se rediit, divino aspirante numine ».

» Mlle. de L. . . . . Agée de 18 ans, narrat Cl. Latour (1), éprouva, pendant ses règles, une frayeur considérable, qui en suspendit l'écoulement. Aussitôt, *envies de vomir extraordinaires*, qui ne cessèrent que lorsqu'elles furent remplacées par un *délire frénétique*. On me fit appeler auprès de la malade. Une saignée du pied fit cesser, comme par enchantement, *la maladie et les symptômes*; ses règles reparurent. Il est vraisemblable qu'après leur interruption le mouvement fluxionnaire porta vers l'estomac le sang, qui aurait pu produire une hématomèse, si l'impression qui se fit au cerveau n'eût été révulsive du mouvement du sang sur les capillaires de l'estomac. »

#### §. 204.

Insaniam post subitam mensium suppressionem exortam, bis vidit Cl. Reydellet (2).

Illustr. Esquirol (3) nonnullas historias maniae, menstruis suppressis productæ, restitutis autem sanatæ enarrat. Alexander Beuedictus Veronensis (4) memorat mulierem quamdam maniacam, quæ cum nuda per civitatem peragraret in qua-

(1) Causes des hémorrhagies, tom. 2, p. 33.

(2) Dict. des sc. méd. t. 33, p. 62 art. métastase.

(3) Mém. sur l'alién. ment. vid. Journ. gén. de méd. t. 50, p. 43 et seq.

(4) De morborum signis. lib. 1, cap. 28, de insania, delirio, etc.

dam urbe Italiæ et *in officinam meritoriam* casu incidisset, nocte tota a quindecim viris venere defatigata, mensium largo profluvio, qui pluribus annis antea substiterant, manante, non sine magno pudore, diluculo, mente restituta discessit. Non dicit auctor an amenorrhœa, ut probable est, insanix causa fuerit.

Epilepsiam quandoque gignit mensium suppressio : itaque dixerat Hippocrates (1) salutare esse muliebria non cohiberi; nam inde epilepsiam nonnunquam evenire. Hujus affectus exemplum in *Ephemeridibus natur. curios.* (2) necnon apud Fr. Hoffmannum (3) reperitur. Idem refert in consultationibus suis (4) observationem delirii periodici cum motibus epilepticis, a mensium retentione pendentis.

Audi observationem maximi momenti a clarissimo Raymond (5) narratam : « Une demoiselle de 17 ans, pensionnaire dans un couvent, fut tout-à-coup saisie d'une grande frayeur; ses règles s'arrêtèrent, et peu de jours après elle tomba dans des accidens épileptiques fort violens et fréquens, qui résistèrent à toutes les saignées qu'on put faire aux pieds, aux bras, à la jugulaire; à tous les vomitifs, purgatifs, anti-épileptiques, etc. : elle resta dans ce triste état environ trois ans, à la fin desquels la petite vérole se montra, pour laquelle la malade fut saignée dès le commencement au bras et ensuite au pied; après quoi elle prit un purgatif vomitif (ce qui m'a, en pareille maladie, toujours bien réussi). La petite vérole fut confluentè, très-mauvaise. On s'aperçut le sixième jour, d'une perte de sang assez modérée, qui augmenta cependant les jours suivans et fut si copieuse qu'on amassait avec une assiette, sur le ventre et sur le drap de la malade, le sang tout en caillots. Cette perte extraordinaire continua jusqu'au douzième jour sans faiblesse, sans langueur, sans suspendre son crachotement, sans interrompre sa selle journalière, ni sans retarder le cours de sa

(1) Lib. 1, prænot. text. 158.

(2) Dec. 2, obs. 127.

(3) De epilepsia, vid. op. omn. t. 3, p. 17.

(4) Vid. op. om. t. 4, p. 64.

(5) Maladies qu'il est dang. de guérir, p. 167.



petite vérole ; et quoique pendant tout ce tems-là elle fût dans une puanteur si grande qu'on ne pouvait quasi l'aborder, elle ne laissa pas de guérir parfaitement non seulement de la petite vérole, mais encore de l'épilepsie, dont elle n'a plus souffert la moindre attaque, étant mariée depuis quelques années, et mère de trois enfans dont elle a très-heureusement accouché ».

## §. 205.

Hemiplegiam, ex subita mensium suppressione ortam vidit Fr. Hoffmannus (1). Casus persimiles, maximi pretii præsertim sub symptomatum anomalium et curæ respectu, in septimo volumine (2) annalium medicinæ practicæ montis Pessulani a doctore Thénance enarratur.

Olaus Borrichius ex amenorrhœa amnesiam observavit : « Zythopei uxor, inquit (3), postquam sana et végéta multos annos exegisset, advertit vectigal illud suum menstruum non expendi amplius more consueto, et simul caput ingravescere, sensus paulatim hebetari, et tandem ita obliterari memoriam, ut nequidem orationem domini, toto alioquin vitæ tempore sibi, ut erat religiosa, familiarissimam, recitare posset, nisi frustillatim et turbate. Accessit ex metu lapsantis memoriæ trepidatio et in medio sermone pauca lacrymis permista. Dixisses, addit auctor, ægram mores Didonis quanquam diversis ex causis imitatam, nam de illa divinus vates *Æneid.* lib. 4 : incipit effari, mediaque in voce resistit. Adhibitis in vanum medicaminibus nonnullis, nec non venæ in talo sectione, ventum est ad cauterium occipitis ; cui tandem paruit diuturnum illud malum et memor linguæ ad officium reversa est. »

Exemplum aphonix apud virginem post mensium frigore suppressionem narrat Fr. Hoffmannus. (4).

(1) De nervorum resolutione, op. omn. t. 3, p. 203.

(2) Annal. de la soc. de méd. prat. de Montp. t. 7, 351, année 1806.

(3) Vid. Th. Bartholinum, act. med. philos. Hafn. t. 2, p. 166.

(4) De aphonix. vid. op. omn. t. 3, p. 249.

Mirandam historiam amenorrhææ, singularia phænomena producentis, ex medicinæ observationibus societatis Edimburgensis excerptam, refert illustr. Royer Collard in dissertatione sua de amenorrhæa (1) : « Une jeune fille, belle et bien faite, âgée d'environ 16 ans avait été bien réglée depuis 15 mois. Au mois de février 1720, au moment de la menstruation, perte subite et inattendue d'un père tendrement aimé, et aussitôt ménorrhagie excessive accompagnée de syncopes et de tremblemens. Ces symptômes se dissipèrent bientôt et sa santé fut assez bonne jusqu'à la menstruation suivante.

A cette époque, écoulement presque nul; renouvellement des syncopes et des tremblemens, et leur disparition au bout de quelques jours.

Les mois suivans, suppression totale des règles; accidens plus violens, plus fréquens et accompagnés de convulsions.

Au commencement du mois de Mai, saignée et émétique répétés deux fois. Immédiatement après son usage, difficulté, et deux jours après, impossibilité de la déglutition. Toutes les fois qu'elle voulait avaler quelque chose, tremblement universel, convulsions, élévations alternatives du thorax et de l'abdomen. Ces accès duraient quelquefois une seconde, quelquefois un quart d'heure, quelquefois même une demi-heure, et se terminaient toujours par un tétanos général. Elle resta sans boire ni manger depuis le milieu du mois de Mai, jusqu'au 15 Juin suivant. Elle ne ressentait ni faim, ni soif; on lui donnait seulement des lavemens nourrissans composés de bouillon ou de gruau, et d'un jaune d'œuf; ces lavemens ne se répétaient ordinairement qu'une fois en 24 heures. Pendant ce long jeûne, elle perdit peu de son embonpoint.

Au 15 Juin, on la transporta à la ville pour la confier aux soins du docteur Eccles. Appelé auprès d'elle, il voulut lui faire prendre une cuillerée d'un julep anti-hystérique. Dès que la liqueur eut atteint la partie supérieure de l'œsophage, accès de tétanos. Applications de fomentations et de cataplasmes anti-

---

(1) Pag. 45.

spasmodiques sur le col , mais sans aucun succès. Alors il fit faire un instrument de baleine , à l'extrémité duquel il attacha un morceau d'éponge , et il l'introduisit dans l'œsophage. Il y éprouva beaucoup de résistance ; cependant , après une seconde tentative , il triompha du spasme , et la malade put avaler des liquides ou des solides , sans aucun accident.

Trois semaines se passèrent dans cet état : mais si elle avalait librement , elle vomissait aussi tout ce qu'elle prenait , excepté les potions anti-hystériques , les cerises et les fraises. Souvent des matières vertes étaient rendues avec ses alimens.

Le ventre étant resté fermé pendant tout le temps de son abstinence , on lui donna des lavemens purgatifs. Un de ces lavemens détermina une évacuation considérable de sang , deux livres en deux jours. On l'arrêta par des injections vulnéraires et astringentes. Mais , peu après , retour de l'étranglement de l'œsophage avec une force nouvelle ; déglutition encore une fois impossible , et abstinence totale de boisson et d'alimens , prolongée pendant cinquante-quatre jours , depuis le milieu du mois de Juillet , jusqu'au 10 de Septembre. Pendant ce long intervalle , fréquentes attaques de tétanos , plus fortes qu'auparavant , et accompagnées d'un état d'insensibilité complète. On voulut essayer de nouveau l'instrument de baleine ; mais son introduction déterminait des accès de tétanos si terribles , que la malade paraissait vouloir succomber à leur violence. On fut donc réduit aux lavemens nourrissans , et encore ne put-on les donner que pendant les 30 premiers jours ; au delà de ce terme , la moindre agitation de la malade suffisait pour provoquer un accès de tétanos.

Durant ce long jeûne , ainsi que pendant le premier , la malade avait le pouls plein , fort et égal , seulement un peu plus lent que dans l'état naturel. La respiration était libre , les urines saines , et l'embonpoint peu altéré. Il y avait constipation , comme dans le premier.

Après la troisième ou la quatrième semaine de cette abstinence , amaurose , et , peu de temps après , surdité. Elle ne reconnaissait plus qu'au tact les personnes qui prenaient soin d'elle. Cet état dura environ un mois , après quoi elle recouvra d'abord la vue , puis l'ouïe.

Vers le 10 du mois de Septembre, possibilité d'avalier de la petite bière, ou du petit lait, et ensuite des pommes ou des poires, crues ou bouillies, et après en avoir fait usage, délire pendant une heure ou deux; suivi du retour complet de sa raison. Le passage demeura fermé au pain, et à tout autre aliment solide. La moindre négligence, le plus petit retard apporté à la servir, déterminait toujours une attaque de tétanos.

Même état, ou à peu près, jusqu'au mois de Mars 1721; seulement impossibilité de l'ôter de son lit, sans provoquer un accès de tétanos, qui durait jusqu'à ce qu'on l'eût recouché. Aussi ne le faisait-on que tous les huit ou dix jours.

Au printemps, éruption de tumeurs derrière les oreilles, qui subsistèrent jusqu'au 11 du mois de Septembre. La malade pouvait alors se tenir quelques heures dans un fauteuil, et manger des légumes et des fruits, mais point de viande, ni de bouillon. De temps en temps, elle éprouvait encore des mouvemens convulsifs et tétaniques, dont elle sentait l'approche quelques momens auparavant. Dans les intervalles des accès, elle se sentait parfaitement libre.

Cet état se prolongea jusqu'au commencement de l'hiver, mais on la vit alors tomber insensiblement dans le marasme. Vers la fin du mois de Décembre, étant à causer avec ses amies, elle mourut tranquillement lorsqu'on s'y attendait le moins, et sans aucun effort ni mouvement convulsif.

Elle avait fait promettre à sa mère qu'elle ne souffrirait pas qu'on fit l'ouverture de son corps. On se contenta d'examiner la partie de l'oesophage qui avait été le siège du spasme, mais on n'y trouva rien d'extraordinaire. »

#### §. 207.

Doct. Brun (1) bronchocele (goître) a mensibus suppressis productam, restitutis autem, solutam memorat.

Non solum hæmoptysin sed etiam pneumoniam (Royer Collard (2)), asthma convulsivum (id (Ibid)) etc., gignunt suppressi menses. Celeb. Olaus Borri-

(1) Diss. sur le goître.

(2) Dict. des sc. méd. t. 1, p. 447, art. aménorrhée.

chius (1) narrat historiam locupletis Anglæ, quæ chirurgo, mensium tunc manantium ignaro, venam brachii incidendam obtulit, unde translato in pectus motu sanguinis impetuosissimo, comitantibus gravissimis cordis anxietatibus, aliisque symptomatibus, vivere desiit, nequicquam postea revocato per venam tali sectam in desertos alveos cruore, nequicquam conferentibus consilia tribus, qui serius advocabantur, medicis. Ex hac observatione quanta mala venæsectionem, fluentibus menstruis, inconsulte institutam sequi possint, clare videmus.

Affectum spasmodicum pectoris ac diaphragmatis apud feminam quamdam, 23 annos natam, firma corporis constitutione, mensibus magno terrore suppressis laborantem observavit doct. Jaurion (2), id est singultum periodicum quotidie octo horas moleste perdurantem. Per tres menses omnia remedia, venæsectiones, antispasmodica medicamina, cortex peruvianus, etc., incassum adhibita fuere. Tertia autem lunari periodo, menstruus sanguis, cujus defectus morbi causa fuerat, rediit, et cum illo sanitas integra.

Mulieris, amenorrhæa laborantis, singulis mensibus, sternutatione molestissima, per tres dies, sine ulla intermissione, durante, tentatæ, apparente tandem fluxu menstruo, sanatæ, mentionem injiciunt Ephemerides naturæ curiosorum (3).

Ab eadem causa oriri potest phthisis pulmonalis (Morton (4)), (Pr. Alpinus (5)) etc.

### §. 208.

Diversi abdominalium viscerum morbi, ventriculi neuroses, dolores intestinorum (Royer Collard (6)); gastritis, enteritis (Bang (7)); tympanitis (Storck

(1) Vide Th. Barholin. act. med. philos. Hafniens, t. 2, p. 195.

(2) Journal de médecine, tom. 3, pag. 348.

(3) Vol. 15, obs. 152.

(4) Lib. 3, cap. 9.

(5) De medic. method. p. 273.

(6) Dict. des sc. med. t. 1, pag. 447, art. aménorrhée.

(7) Select. Diarii, tom. 2, p. 328.

(1)), (Wilhelmus (2)), (Baumer (3)); splenis infarctus (Royer Collard (4)); hepatitis acuta et chronica (Id. ibid), a mensium metastasi orta cernuntur.

» M<sup>lle</sup>. de S....., narrat Royer Collard (5), âgée de 18 ans, d'un tempérament délicat et rendu plus irritable par le malheur, avait éprouvé quelques orages au moment de la première éruption menstruelle. Un frère et une sœur qu'elle aimait beaucoup, étant tombés dangereusement malades pendant l'été de l'an 6, elle en conçut la plus vive inquiétude, et leur prodigua les soins les plus assidus et les plus fatigans. L'époque menstruelle arriva dans ces circonstances; elle éprouva les symptômes précurseurs des règles, mais les règles elles-mêmes ne parurent point. Depuis ce moment, douleur fixe et vive dans la région du foie, avec dureté et gonflement sensible au toucher, perte d'appétit; constipation; insomnie. La malade n'avoua point sa suppression au médecin. Celui-ci ne voyant que des obstructions au foie, ordonna de l'eau de veau, mêlée avec la décoction de chicorée, et recommanda fortement l'exercice. Deux mois après, fièvre continue; formation d'un grand nombre de furoncles à l'épaule et au bras droit; panaris à la main droite, et enfin apparition spontanée des règles. Avec elles, disparurent et la fièvre, et le gonflement douloureux du foie, et tous les autres accidens. »

### §. 209.

Icterus (Ephemerid. natur. curios. (6)), diversique hydropes eandem causam quandoque agnoscunt. « Une frayeur subite, narrat adhuc cl. Royer Collard (7), supprima les règles chez une fille de 30 ans, d'ailleurs assez bien constituée. Elle fut presqu'aussitôt atteinte d'une sorte d'asthme convulsif, dont les

(1) Ann. medic. part. 2, pag. 193.

(2) Obs. electr. medic. cap. 5, cas. 2, p. 141.

(3) De ver. tympanit. causa, cap. 16, p. 15.

(4) Essai sur l'aménorrhée, p. 19.

(5) Ibid. p. 18.

(6) Dec. 3, obs. 87.

(7) Op. cit. p. 62.

paroxysmes étaient fréquens. Elle crachait du sang pendant leur durée, et ne respirait alors que très-difficilement. Les bains et plusieurs autres remèdes ne purent jamais rétablir que très-imparfaitement l'évacuation supprimée. Cette malheureuse demeura dans cette état et devint très-infirmes. On observait chez elle tous les symptômes de l'affection hystérique. Elle éprouvait en outre régulièrement toutes les maladies régnantes; c'était un tableau fidèle où on pouvait reconnaître chaque constitution, comme on s'instruit du degré de chaleur par le thermomètre. Elle était moins affectée dans les temps chauds; mais chaque hiver la poitrine s'engorgeait; l'œdématic survenait; elle ne se couchait plus que sur un côté, et bientôt elle ne pouvait respirer qu'assise sur son lit et penchée en avant. Chaque fois les vésicatoires sur le côté affligé, les fortifiants et des diurétiques, la rétablirent dans son premier état. Elle succomba enfin, après deux ans de souffrances. Les remèdes qui lui réussissaient le mieux auparavant, l'épanchement de la poitrine fut dans peu suivi de l'ascite, et tous les deux le furent de l'anasarque et de la mort. »

E subita mensium suppressione ascitem Gastelticius (1), anasarcam Hoffmannus (2) viderunt.

§. 210.

Nonnunquam ei suppressioni phlegmasiæ cutaneæ succedunt. Ephemerides nat. cur. (3) memorant puellam cujus mammae eruptione psoriformi pustulosa tamdiu laborarunt, quamdiu perstitit menstruorum suppressio.

De menstruorum suppressione, herpetum causa disserit illustr. Gilibert in adversariis practicis (4).

Nunc, historia metastaseon mensium, forte longiori, adhuc tamen incompleta, scripta, ad alia transimus.

(1) Controv. medic. p. 19.

(2) Oper. omni. t. 3, cap. 14 de hydrope.

(3) Append. vol. 12.

(4) Pagin. 26.

## DE FLUXUS HÆMORRHOIDALIS METASTASIBUS.

§. 211.

Hæmorrhoidum, præsertim habitualium, non secus ac mensium, vices implere possunt diversæ hæmorrhagiæ.

Istarum hæmorrhagiarum hæmorrhoidibus succedanearum tam crebro fons est vesica urinaria, ut nonnulli veteres ac recentiores, inter quos adnumerantur Ætius, Hercules Saxonia, Sennertus, Timæus, Rolinkius, Bartholinus, Hæchsteter, Juncker, Stahl, Welper, etc. etc., genuinas vesicæ hæmorrhoides, hæmorrhoidibus recti sæpe succedentes, adesse affirmarint.

» Habet mictus cruentus, inquit Stahlus (1), præcipuam conspirationem et res suas valde communes cum hæmorrhoidum moliminibus. . . . Unde quidem satis sæpe suppressis hæmorrhoidibus ille sponte successit. »

Certis in casibus, haud ex vesica, sed, ut ex sequentibus Hoffmanni dictis patet, ex renibus scaturit sanguis : « Maxime omnium, inquit (2), fluxus hæmorrhoidalis suppressus, vel ex quacumque alia causa cessans, causam mictionis cruentæ, maxime illius quæ fit *per renes*, subministrat. »

Hercules Saxonia (3) refert virum quemdam, fluxu hæmorrhoidum suppresso laborantem, per quinque annos ex intervallo, multum sanguinis sponte et subito, ante urinam, ex urethra emisisse. Rolinkius (4) dicit illustrem virum hæmorrhoidali fluxui assuetum, ex suppresso, incidisse in mictionem cruentam, multarum septimanarum spatio durantem, quæ, hæmorrhoidibus apparentibus, plane evanuit. Idem refert exemplum Reiselius (5). Heurnius (6) nonnullos qui

(1) Medic. dogmat. system. part. theor. sect. 2, p. 179.

(2) De hæmorrhag. ex urinar. viis, vide op. omn. t. 2, p. 232.

(3) Pantheon medicinæ selectum, lib. 3, cap. 4.

(4) Diss. anatom. lib. 5, cap. 26.

(5) Epist. 64. vid. bibliograp. nostr.

(6) Comment. in hippocr. aphor. 10, lib. 6.



cum hæmorrhoidibus tentari solerent, his suppressis, cum urina sanguinem certis spatiis, sine noxa effundere se vidisse asserit: « Monachus quidam, narrat illustr. Quarin (1), ante complures annos sæpe hæmorrhoidum fluxu absque incommodo laborans, cum, æstuante Syrio, iter institueret, vinumque largius biberet, repente mictu cruento afficiebatur; qui et incessibus auctus, et variis pharmacis datis exasperatus est. Demum æger meam opem imploravit. Huic præcepi, ut sellæ pertusæ, quæ ligneo operculo concavo tecta erat ita insideret, ut vapor aquæ calidæ suppositus, per foramen tenue, in operculo ligneo apertum, anoque respondens, eo tantum perduceretur. Una jussi lintea, aquæ glaciali immersa, regioni pubis applicari; quo facto cum post biduum mictus sanguinis sileret, et vasa hæmorrhoidalia intumescerent, his lanceola apertis, integra sanitas rediit ».

Ad restituendum hæmorrhoidalem fluxum hirudines primo sat numerosæ, dein per tres septimanas unica vel duæ applicatæ a doctore Montègre valde commendantur. Cucurbitulam siccam in ipsum anum, ut vasa hæmorrhoidalia facilius turgeant, applicari, non immerito præscribit idem.

Ob hæmorrhagiæ uterinæ hæmorrhoidum vicariæ frequentationem, etiam hæmorrhoides uterinas adesse voluerunt. Cæterum de hisce supra disseruimus.

§. 212.

Fluxus hæmorrhoidalis suppressus ex ventriculo (Ephemerid. nat. cur. (2)), ex ore (Ephemer. n. c. (3)), (Fischer (4)), ex palato (id. (5)), ex gingivis (Montègre (6)), ex genis (Kleinius (7)), ex auribus (S. Ledelius (8)), etc.,

(1) Animadv. pract. in divers. morb. pag. 217.

(2) Dec. 3, ann. 4, obs. 102.

(3) Ann. 9 et 10, obs. 118.

(4) De rarior. quibusd. morbis, p. 23.

(5) Diss. de hæmorrhoid. ex pal. fluent.

(6) Dict. des sc. méd. t. 20, p. 537.

(7) Interpres clinicus, pag. 168.

(8) Dec. 3, ann. 5 et 6, obs. 265. Ephemerid. nat. cur.

erumpere potest. Ex eadem suppressione, sæpius evenit hæmoptysis. Amatus Lusitanus (1), Marcellus Donatus (2), Ephemerides naturæ curiosorum (3) hujusce casus exempla memorant : hæmorrhoidibus denuo fluentibus, hæmoptysis evanescebat.

« Nous avons vu, inquit. cl. Masson (4), la disparition d'un écoulement hémorrhoidal donner lieu, chez un homme de 28 ans, à une hémoptysie qui s'est renouvelée régulièrement tous les mois, et a résisté pendant près d'un an à tous les moyens qui ont été employés. C'est même en vain que des sangsues ont été mises à la marge de l'anus quelques jours avant l'apparition du crachement de sang; il ne s'est terminé qu'après que la nature en a fait reparaitre spontanément l'écoulement supprimé. Ce qui nous semble surtout remarquable dans cette observation, c'est que le flux hémorrhoidal ait donné lieu à une hémorragie périodique, lorsque lui-même ne l'était point. »

§. 213.

Certis in casibus rarioribus, per cutem profluit hæmorrhagia hæmorrhoidibus succedanea. Kleinius (5) ex hæmorrhoidibus sedis fluentibus cruentis fotu stiptico in puero sexenni suppressis, notavit umbilici hæmorrhagiam chronicam, contumacem, per ætatem tandem silentem. In actis naturæ curiosorum (6) persimilis casus reperitur.

Illustr. Richterius (7) refert exemplum tumoris mammarum sanguineum (fungus hématode), sanguinemque profundentem, sine dubio ab hæmorrhoidali fluxu suppresso ortum.

(1) Curat. medic. cent. 2, curat. 3.

(2) De hist. med. mirab. lib. 4, cap. 19.

(3) Dec. 2, ann. 4, obs. 19.

(4) Diss. sur l'hémoptysie. vide dict. des sc. méd. t. 20, p. 313.

(5) Interpres clinicus, pag. 147.

(6) Vol. 10, obs. 71.

(7) Observ. chirurg. fasc. 3, cap. 4, p. 60.

## §. 214.

Suppressæ hæmorrhoides diversos alios morbos, sæpius sola fluxus restitutione solutos, gignunt. Ex hac causa interdum apoplexiam et paralysem pendere affirmat Hippocrates in prænotionibus coacis. Imperator Trajanus, testante Dion. Cassio, suppressis hæmorrhoidibus consuetis, apoplexia et hemiplegia affectus est, brevique hydropè laborans e vita discessit.

Cl. Barthez (1) suppressionem hæmorrhoidum, atrocissimos dolores arthriticos, et paulo post paralysem extremitatum inferiorum producentem observavit: fluxu hæmorrhoidali aloeticorum ope revocato, ad sanitatem rediit æger.

Phrenitis (Hoffmannus (2)), diversæ mentis aberrationes, amentia, melancholia, mania (Zacutus Lusitanus (3)), hypochondriacum, hystericumque malum (Kleinus (4)), clavus hæmorrhoidalis sic dictus (acta nat. cur. (5)), epilepsia (Raymond (6)), amnesia (Louyer-Willermay (7)), etc., ex hæmorrhoidum inconsulta suppressione sobolescere cernuntur. Ab eadem causa diversi pectoris morbi, pneumonia (Montègre (8)), asthma convulsivum, phthisis (id. ibid.), etc., cordis (Loevius (9)) ac venarum (Alberti (10)) palpitationes quandoque proveniunt.

## §. 215.

Hæmorrhoidum metastases in abdomen nonnunquam producunt gastritidem

(1) Traité des mal. goutt. t. 1, pag. 266.

(2) De febre phrenetica. vid. op. omn. tom. 2, p. 131.

(3) Prax. med. admir. lib. 1, obs. 37 et 57.

(4) Interpres clinicus, 168.

(5) Vol. 1, obs. 161.

(6) Malad. qu'il est dang. de guérir, p. 189.

(7) Dict. des sc. méd. t. 32, p. 308. Maladies de la mémoire.

(8) Ibid. tom. 20, p. 537. art. hémorrhoides.

(9) Act. acad. nat. cur. vol. 1, appendix, ann. 1706.

(10) Diss. de hæmorrhoidibus juniorum, cap. 4.

acutam et chronicam (Montègre loc. cit.), cardialgiam (Hoffmannus (1)), peritonitidem, tympanitidem, (Delius (2)), (Selle (3)), hepatitidem, splenitidem, asciten (Montègre loc. cit.) etc. etc.

« A. suppressis hæmorrhoidibus renes (Galenus (4)), sæpius autem vesica afficiuntur, unde hujus organi inflammatio et quidem gangræna, ex sententia Hoffmanni (5) nasci possunt : » Vir quadragiuta annorum, narrat iste (6), sanguineo-cholericus, ex vitæ genere valde inquieto transiens ad quietum et sedentarium, experitur, brevi post, hæmorrhoidalem fluxum, quem præpostere remediis adhibitis suppressi curavit. Sequuta hinc mictio cruenta, singulis fere mensibus rediens, qua cessante anxietates præcordiorum, dolores lumborum, borborygmi ventris, prava digestio et inappetentia oborta. Ad tollenda hæc mala variis usus quidem remediis, thermis, lactis cura, sed non cum debito rigimine. Accessit hinc postea vesicæ inflammatio, cognoscenda satis, ex magno ardore, dolore in regione pubis, mictu difficili et dolorifico, febre, præcordiorum anxietate et delirio, ac post mortem vesica inflammata et sphacelata inventa est. » Persimilem historiam scripsit illust. Dethardingius in dissertatione de hæmorrhoidibus vesicæ mucosis.

Hæmorrhoides interceptæ aliquando blennorrhagiam producunt (Murray (7)), (Sauveur (8)); quod eximie observatum est a Brendelio in eximio opere cui titulus : De hæmorrhoidibus interceptis morbos verendorum aphrodisiacos simulantibus.

- 
- (1) De dolore cardialg. spasmod. et flat. vid. op. omn. t. 2, p. 258.  
 (2) Amænitat. medic. dec. 5, cas. 7, pag. 378.  
 (3) Neue beytrage zur. natur. und arzneywissench. th. 2, n<sup>o</sup>. 25, p. 106.  
 (4) Lib. Hippocrat. de aliment.; comment. 3, texte 25; t. 6, p. 271.  
 (5) De gravi spasm. et dolore vesicæ, op. omn. t. 2, p. 308, necnon de inflammat. vesicæ, op. omn. t. 2, p. 153.  
 (6) De inflammatione vesicæ, op. omn. t. 2, p. 155.  
 (7) De mater. arthrit. ad vereud. aberr.  
 (8) Prælectiones de pathologia speciali interna : ano. 1823.  
 (9) Practicum de pa...

Haud ab alia causa nonnunquam dolores rheumatici, arthritici dicti, vel yagi, vel fixi, nascuntur.

» Inter doloris podagrici causas, inquit Fr. Hoffmannus (1) non exiguum locum fluxuum sanguinis consuetorum, hæmorrhoidum et mensium intermissio vel interceptio tueri videtur: si quidem et firma experientia et unanimi veterum consensu et auctoritate confirmatum habemus, feminas, quamdiu menses rite fluunt, et viros in quibus consuetus hæmorrhoidum fluxus rite, ratione modi, quantitatis et temporis se habet, a molestissimis hisce affectionibus immunes degere, imo hos fluxus doloribus istis supervenientes, corpora ab iis præservare: ex adverso vero, si solemnes hæmorrhagicæ vacationes, vel ex vacillante naturæ robore, aut ex perversa diætâ, vel importuna et imprudenti medicatione restitunt, deficiunt, vel supprimuntur; atroces dolorificas has passiones generari imo recrudescere et ingravescere observatione identidem firma et stabili constat.»

» Un jeune homme d'environ 29 ans, narrant Cl. Pinel et Brichteau (2), tourmenté depuis long-temps par une douleur sciatique, en fut délivré par l'apparition du flux hémorrhoidal, et pendant dix ans, il rendit chaque jour à peu près deux onces d'un sang fleuri; mais dans la suite, cet écoulement disparut et la névralgie sciatique se montra de nouveau dans l'articulation de la cuisse gauche, la douleur qui la caractérisait suivait la direction du nerf sciatique de haut en bas. Après avoir employé divers médicamens, le malade fut pris d'une hématurie très-abondante, qu'on fit cesser à l'aide de moyens appropriés; mais immédiatement après la cessation de cette hémorrhagie, il se développa dans l'abdomen une tumeur, qu'on combattit par des sangsues appliquées à l'anus. Par l'effet de ce dernier traitement, les hémorroïdes se rétablirent, de manière que dans la suite, ce jeune homme jouit d'une bonne santé.»

Inter fluxum hæmorrhoidalem et affectus cutaneos non deest relatio (Lorry (3))

(1) De dolore podagr. et arthrit. ver. vid. op. omn. t. 2, p. 344.

(2) Dict. des sc. méd. t. 20, p. 240. Illud exemplum e Stahlio excerptum est.

(3) De morbis cutaneis pag. 303.

exemplum herpetis cum fluxu hæmorrhoidali alternantis in *Gazette de santé* (1) legimus.

Huic capiti finem impositurus, observationem maximi pretii, a Doct. Latour scriptam, quæ probat majora damna hæreditariarum hæmorrhoidum, quam accidentalium suppressionem œconomiae inferre hic transcribere lubet : « J'ai vu, inquit (2), des résultats variés et surprenans de la suppression d'hémorrhoides héréditaires, dans une famille très-nombreuse de Baugenci. Les parens, les enfans, les oncles et jusqu'aux arrière-neveux de ma connaissance, n'y jouissent jamais d'une santé parfaite, qu'à la faveur du gonflement des vaisseaux hémorrhoidaux, ou de leur flux qui se renouvelle de temps en temps. Les varices aux jambes tiennent lieu de ces deux dernières affections. Malheur à ceux qui se réjouissent de faire exception à cette idiosyncrasie de leurs proches; ils sont bientôt punis de cette persuasion aveugle. L'hématémèse, l'hémoptysie, l'hydropisie, des convulsions périodiques, ont été dans quatre individus de cette famille, les effets fâcheux de cette prétendue prérogative. »

#### DE EPISTAXEOS METASTASIBUS.

##### §. 217.

Epistaxis, præsertim activa, sæpius est hæmorrhagia sanitati valde necessaria, nec, nisi copiosissime fluat, ac ægrum toto sanguine orbatum mox conficiat, reprimenda. Istius suppressionem tanta sequuntur mala, ut, hoc in casu, cautissime ac prudentissime adstringentibus, repercutientibus, sæpe ab imperito vulgo inconsulte adhibitis, utendum est.

« Hæmorrhagia narium, inquit Hoffmannus (3), salutaris sæpe sanguinis

(1) Année 1788, n<sup>o</sup>. 21.

(2) Hist. des caus. des hémorrh. t. 2, p. 303.

(3) De remed. benign. abus. et nox. vid. op. omn. t. 6, p. 332.

excretio, aqua frigida ab imperitis medicastriis reprimitur. Sistitur ut plurimum quidem inde fluxus, sanguis autem huc translatus exitu prohibitus, ad alia loca transit, et ibi sæpius tragœdias suas ludit. Si ad interiora cerebri ruit, cephalalgias, phrenitidem et apoplexias, si ad aures, susurros et surditatem, quod in puero duodecim annorum vidi, si ad oculos, dolorificas inflammationes, sive cæcitates; si ad fauces, inflammationes anginodes; si ad pectus, summas anxietates præcordiales, quin in magis succulentis catarrhum suffocativum causat, quod in puella irregulariter menstruata notavi ».

« Une femme hystérique, narrat cl. Latour (1), fut attaquée d'une hémorrhagie nasale fréquente et quelquefois immodérée. Cette hémorrhagie ayant été arrêtée mal-à-propos, il survint une très-forte douleur de tête, perte de la parole, et enfin une attaque d'apoplexie qui la fit mourir tout-à-coup. Le crâne ayant été ouvert, et les méninges du côté droit ayant été incisées, il sortit beaucoup de sérosités. On trouva ensuite, dans la substance médullaire de l'hémisphère du même côté, une cavité contenant une once et demie de sang grumelé ». Hac in observatione notabile exemplum hæmorrhagiæ cerebri, quæ ex illustrissimi Rochoux eximiis observationibus, veram apoplexiam unice constituit, cernimus.

Fabricius Hildanus (2) apoplexiam et paralyisin, ab hæmorrhagia narium suppressa, ubi post mortem sanguis per os et nares excretus est, observavit. Hoffmannus (3) maniam et melancholiam, Hagendornius (4) epilepsiam ab epistaxeos suppressione oriri posse contendunt. Ex eadem causa cæcitatem memorant Annales Vratislavienses (5) necnon miscellanea acad. nat. curios (6).

(1) Histoire des causes des hémorrhagies, t. 1, p. 360.

(2) Observ. cent. 3, obs. 11.

(3) De delirio melancholico et maniaco, tom. 3, pag. 255.

(4) Observ. et histor. med. pract. cent. 1, obs. 20.

(5) Ann. 1726, mens. april. cap 4, p. 503.

(6) Dec 3, ann. 2, 1694, p. 121.

Morbus horrendus, sæpiusque lethalis, id est, tetanus, suppressam narium hæmorrhagiam interdum sequitur : » Un jeune homme du Comté de Nice, narrat D. Carron (1), d'un tempérament sanguin, âgé de 17 ans, sujet aux hémorrhagies, éprouva dans le mois d'Avril 1794, une hémorrhagie alarmante que l'on s'empessa d'arrêter en introduisant des petits tampons dans les narines. Il fut transporté à l'hôpital de Tende, où je le vis le soir, se plaignant de mal de tête, d'insomnie. Le lendemain matin, il éprouvait un resserrement spasmodique des mâchoires qui ne lui permettait ni de parler ni d'avalier ; le visage était rouge ; le pouls plein et accéléré ; la chaleur de la peau considérablement augmentée. J'examinai d'abord si le malade portait quelque blessure, et n'en ayant point reconnu ; d'après les renseignemens que j'obtins ; je pensai que la présence d'une humeur rhumatismale métastasée sur les muscles moteurs de la mâchoire inférieure pouvait être la cause du trismus. J'ordonnai une saignée et des lavemens émolliens, d'après le conseil de Stoll ; je fis appliquer sur le trajet des muscles masseter et crotaphite des cataplasmes avec la mie de pain et la jusquiame. A midi le malade éprouva une attaque parfaite d'emprostotonos, les yeux étaient saillans, le pouls dur, plein ; j'ordonnai une nouvelle saignée du pied, des lavemens nitrés, et je fis prendre un bain tiède ; et de la poudre tempérante de Stahl avec la liqueur d'Hoffman. Comme le malade, bien loin de ressentir du soulagement des bains et des saignées, éprouvait des attaques de tétanos, et plus fréquentes et plus violentes, j'eus recours au laudanum liquide en lavement ; et j'ordonnai intérieurement un grain d'opium à prendre chaque heure ; les spasmes devinrent affreux ; le malade tomba dans un état de stupeur entremêlée de délire ; les sueurs gluantes et froides et les lipothymies qui survinrent, me déterminèrent à abandonner l'usage de l'opium. La chute d'un petit tampon, suivie de quelques gouttes de sang, m'éclaira sur la nature

---

(1) Journ. génér. de médec. t. 20, p. 366.



de la maladie; j'appris seulement alors qu'il y avait eu hémorrhagie. Je cherchai, mais en vain, à la rappeler au moyen de la vapeur d'eau tiède et des sangsues. L'état de stupeur continuait; dans l'intervalle des accès la mâchoire était béante, le visage plombé. Le malade mourut le matin du 3<sup>e</sup>. jour, au milieu d'une attaque de tétanos avec des convulsions affreuses de tous les muscles de la peau ». *E morbo probabiliter evasisset miserrimus juvenis, si in principio, haud ignota tetani causa, fluxus sanguineus restitutus esset, ut in sequenti observatione ab eodem relata : « Un jeune homme, inquit (1) n'ayant jamais eu d'hémorrhagie, se livrait depuis quelque tems aux plaisirs de la table, lorsque, à la suite d'un exercice forcé à pied, il éprouva, dans le commencement de Fructidor an 8, une hémorrhagie nasale qui devint alarmante, malgré les saignées, l'électuaire de Diessou, le repos. Effrayé par la quantité de sang qu'il avait perdu, par la petitesse du pouls et par la pâleur des extrémités, il s'introduisit un tampon dans le nez; le flux cessa : mais une demi-heure après, les vaisseaux du visage se gorgeaient, la figure prenait une teinte violette, le malade éprouvait des vertiges et des envies de vomir; j'enlevai le tampon, et je sollicitai une dérivation des mouvemens désordonnés, en plaçant des moyens d'irritation sur des parties éloignées. J'ordonnai au malade des bains de pieds sinapisés, des vésicatoires volans aux jambes, et de petites doses de la poudre de Dower : une légère sueur survint; et l'hémorrhagie cessa insensiblement. »*

### §. 219.

*Epistaxis critica majori adhuc cum cautela pertractanda est; suppressa enim, non solum morbus, qui mox solvebatur, sæpius recrudescit, sed interdum multo gravior factus; lethalis evadit : « Un jeune homme de 22 ans, refert cl. Raymond (2) malade d'une fièvre qui avait commencé par de grands frissons, des défaillances*

(1) Journal général de médecine, tom. 20, p. 369.

(2) Maladies qu'il est dangereux de guérir, p. 193.

et le vomissement, et qui était accompagnée de grandes douleurs de tête, de beaucoup de soif et d'accablement, se trouva un peu soulagé par les saignées; les délayans et les doux purgatifs; le mal continuant, quoique moins violent, le malade sentit, dans la nuit du 8 au 9, le sang sortir du nez; il fit ce qu'il put pour l'arrêter: mais le voyant couler abondamment, il crut qu'avec le sang il allait perdre la vie, et se trouvant dans ce moment seul dans sa chambre, il se leva pour prendre une cruche d'eau froide dont il arrosa toute sa tête et son visage. Le sang s'arrêta sur-le-champ; mais le malade tomba dans un assoupissement léthargique dont il mourut le lendemain. »

Ex hisce omnibus relatis, metastases epistaxeos præsertim in caput irruere dilucide probatur.

## DE HÆMORRHAGIARUM DIVERSARUM METASTASIBUS.

### §. 220.

Nunc de quibusdam singularium hæmorrhagiarum metastasibus insolitis ac rarissimis, disserere oportet. Quidam sudore sanguineo habituali plus vel minus abundanti, sine ullo sanitatis incommodo, cujus autem suppressio nonnullis malis ansam præbet, laborant. Vir quidam, sexaginta annos natus temperamenti sanguinei, per extremitates inferiores sanguineum sudorem jam diu emittebat; quo suppresso, brevi post tempore apoplectico ictu confectus est. Raymond (1), Marcellus Donatus, Fernélius, Benivenius, et alii, similes casus memorant.

### §. 221.

De cujusdam hæmorrhagiæ singularis metastasi, quam hic referre sane nos

---

(1) Ibidem, pag. 160.

non tædet, mentionem movet illust. Latour (1) : « Jacques Sola, inquit, robuste, d'un tempérament sanguin, âgé de 25 ans, fut sujet, depuis sa quizième année, à un écoulement de sang par le bout du petit doigt de la main droite, qui revenait tous les mois presque aux mêmes jours. Le sang coulait chaque fois fort lentement goutte à goutte pendant deux jours. On ne voyait aucune ouverture. Dans les intervalles périodiques, sa santé était bonne, et il continuait ses travaux ordinaires. Un mal de tête, qui s'augmentait progressivement, annonçait l'hémorrhagie; il cessait quand elle finissait. Cette douleur de tête était accompagnée d'un engourdissement du bras droit, qui disparaissait aussi avec l'écoulement. Ces accidens devenaient plus intenses si le sang coulait en moindre quantité. Si l'on voulait les modérer, il suffisait de baigner une heure le bras, durant les trois jours qui précédaient l'époque de l'évacuation. Le malade s'étant mouillé les pieds dans un ruisseau par un temps très-froid, l'effusion sanguine périodique manqua, et aussitôt une péripneumonie et une dysenterie la remplacèrent. La péripneumonie céda facilement aux remèdes, mais la dysenterie fut opiniâtre. Le bain du bras put seul rappeler *l'hémorrhagie périodique du petit doigt, qui fit cesser sur le champ la dysenterie.* Trois mois après, le malade cracha encore du sang, parce que, depuis un temps pareil, l'évacuation du doigt était supprimée. Le bain déjà employé, en la rétablissant, remédia au crachement de sang qui ne revint plus. Il a constamment joui d'une santé parfaite pendant 16 ans ensuite, parce qu'il n'a cessé d'avoir son flux périodique ».

Idem mirandam historiam hæmathemeseos constitutionalis, innumeras hæmorrhagias successivas producentis, his verbis exponit (2) : « Catherine Merlin, de Chauluy, âgée de 46 ans, reçut, à 28 ans, un coup de pied d'un bœuf sur la région épigastrique. Elle tomba sans connaissance, et bientôt après elle rendit par la bouche une grande quantité de sang. Les secours de l'art ne purent

---

(1) Hist. des causes des hémorrhagies, t. 1, p. 260. Hæc observatio e Carrerio excerpta est.

(2) Histoire des causes des hémorrhagies, tom. 1, pag. 231.

s'opposer à cette hémorrhagie, qui se renouvelait journellement avec des efforts convulsifs. Les forces s'épuisaient; cependant tous les accidens cessèrent peu après; seulement et périodiquement de huit à quinze jours, elle ressentait des étouffemens, de l'ardeur dans l'estomac, et vomissait une livre de sang; puis elle était soulagée. Cette hématomèse dura de cette sorte pendant quinze ans, sans que le flux menstruel se dérangeât. Un médecin ignorant ayant donné intérieurement des astringens à cette femme, les vomissemens se supprimèrent en partie, et le sang se fit jour par l'extrémité des vaisseaux exhalans qui se terminent à la surface du corps, et transuda tous les jours sur quelques régions de la peau. Il n'est aucune partie de la surface cutanée, qui n'ait à son tour été le siège de cette diapédèse, le devant de la poitrine, le dos, les cuisses, les jambes, les pieds, les extrémités des doigts. Jamais les règles n'en ont été dérangées. Quand le sang a fini de couler, la malade perd l'appétit, est oppressée, a des malaises, et garde le lit. Cet état va en empirant pendant quelques jours; mais un prurit, survenu sur une partie quelconque du corps, annonce à la malade que son sang va couler: il coule en effet, et les accidens cessent. Il y a deux ans que la malade n'est plus réglée, cette révolution n'a causé aucun trouble ni aucun changement à la diapédèse. Même quantité de sang par les sueurs. C'était le cuir chevelu, ainsi que le dessus du menton, d'un angle de la mâchoire à l'autre, qui saignait lorsque l'observation a été publiée. Tous les jours deux fois, à des heures indéterminées, la malade sent un prurit et de la chaleur. La peau de l'endroit où la diapédèse a lieu est un peu gonflée; le sang sort par les pores, et coule à grosses gouttes. En promenant le doigt sur la peau gonflée, qui est douloureuse, on accélère la sortie du sang. Après l'écoulement on lave la peau, et elle ne diffère en rien de celle du reste du corps. Cette femme était en bonne santé, elle n'était pas affaiblie. Le médecin, à la couleur du sang, le juge artériel. La malade mange habituellement peu ».

§. 222.

Certis in casibus perraris vesica urinaria fons est hæmorrhagiæ constitutionalis, quandoque periodicæ, nonnisi magno cum periculo compescendæ: « Non-

nulli sunt, ait Aretæus (1), qui per quosdam circuitus sanguinem meiunt; hujusmodi affectus hæmorrhoidarum profluvio similis est: similis est quoque corporis constitutio, nam valde pallescunt, torpent, ignavi sunt, cibum fastidiunt, *cruditate* laborant: et, cum excretus est sanguis, languidi fiunt, membra resolvuntur, caput vero levius habent et agilius. At si per circuitum nihil sanguinis effluerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebet, tenebræ ejus observantur, vertiginem patiuntur, etc. »

Zacutus Lusitanus (2) cognovit virum imberbem, et toto corpore depilem, effeminatum, mulieris aut spadonis instar, cui a vigesimo usque ad quadragessimum quintum annum menstruæ purgationes per pudendum, statis mensibus, quatuor aut quinque dierum spatio, non parva copia emanabant; et si forte non recte fluebant, superveniente cum torminibus lumborum dolore, vena secta in talo illi remedio erat. Nunquam nupsit æger, imo, ex pleuritide retento menstruo suborta, occubuit.

Hic tandem metastaseon sigillatim consideratarum historiæ, revera perlongæ, sed, ob ingentem numerum selectarum ac maximi momenti observationum, attentione non indignæ, finem imponemus.

(1) De causis et signis morborum diuturnorum, cap. 4.

(2) Prax. med. admir. lib. 2. obs. CXI.

## PARS TERTIA.

## DE METASTASEON THEORIA.

Hæc, ut potero, explicabo.... homunculus  
unus, e multis probabiliora conjectura sequens.

CICERO.

## §. 223.

Jam tandem ad ultimam dissertationis nostræ partem pervenimus; in qua, cum una e pèrobscuris medicinæ doctrinis dilucidanda sit, hoc præcipue nobis cavendum, ne in errorem dilabamur.

Quis medicus non tremebit hoc verbo *theoria*, si tantum, quot errores produxerit, quotque deductis ab *absurdo* ratiociniis, humanam gentem prave affecerit ad mentem revocet? Sed hoc in casu, sicuti in plerisque aliis ex solo abusu nascitur malum. Absque ulla theoria, quamvis inde innumera mala, tum remediis inconsulto adhibitis, tum auctoribus falsa contagiosa cogitantibus, enata sint, vix adolevisset ars medeendi. Theoria plurimis observatis innixa, eo pervenerunt homines, ut collatis inter se factis, morborum causas, symptomata, mutationes, curationes etc., ac in quantum congruerent aut sibi invicem adversarentur, cognoverint. Procul sit igitur nobis ut has theorias scientiæ adjutrices, cum inanibus eorum somniis confundamus, qui naturæ scientiam de libris vel ingenio depromentes fabulam potius quam veram medicinæ historiam scripserunt.

Nunc quid de metastasibus tum veteres, tum recentiores cogitaverint auctores, rapido intuitu inquirendum arbitror.

## VETERUM AC RECENTIORUM DE METASTASI PLACITA.

## §. 224.

Antiqui, magis quid esset, quam quomodo accidisset, considerantes, observata metastaseon phænomena, in earum mechanismo inquisitione facta, mutuae naturam inter et morbum pugnae tantummodo adscribebant.

Ad audaciora autem contenderunt recentiores: ex actibus nimirum variis, unde forsitan oriri possint metastases, sedulo perpensis, theoriam ad istas metastases rite illustrandas, delucideque explicandas, efficere conati sunt. Quod concinne his verbis pronunciat Hecker: « Eo præcipue, inquit (1), doctrinae istae veterum et recentiorum differunt quod veteres magis productum vel morbi effectum respexerunt, cum nostris temporibus, magis disquirendis phænomeni causis internis pathologici insistant, phænomenon legibus accomodantes, quibus omnino actiones organismi vivae succedant ».

## §. 225.

In metastasi nil, nisi principium quoddam, morbo repugnans, vel victor ipsius vel ab illo devictum, ex ratione tamen naturae semper agens agnovisse videtur medicinae parens, vi cujus translatio materiae morbiferæ e loco quodam in alium, nulla admissa hujus translationis theoretica explicatione, fieret. Ex nonnullis tamen ejus scriptis, sympathiae legum aut saltem functionum vicariarum haud inscium fuisse Hippocratem sequitur.

## §. 226.

Galenus, humoralem doctrinam amplectentis, sententia de metastasibus ab Hippocratica parum differt. Non solum tamen vim naturae medicatricem, morbo

---

(1) Præc. de metast. sentent. pag. 25.

adversantem<sup>1</sup>, metastasesque producentem, sed etiam vires attractrices, retentrices, alterantes et repultrices; præter *pneuma*, summum vitale principium, ad ipsas metastases clarius explicandas admisit Pergamensis medicus. Ex ejus judicio, viribus repultricibus materia impura in partes ignobiliores deponitur, viriumque attractricium ope in eundem locum confluit, quo metastasis efformatur.

## §. 227.

Hiscæ theoriis, non quomodo, sed unde evenirent metastases explicantibus, palmam diu tribuerunt scholastici doctores, qui, Galeni sententiæ derogantes, medicum, ut ita dicam, sacrilegium committere arbitrarentur. Sedecimo autem sæculo, Paracelsus, Helmontius, Sylvius, etc., chemicis doctrinis, quibus omnem de re qualibet, dubitandi causam tollere affectabant, metastases illustrare enixi sunt. Eodem fere tempore, Italicæ medicinæ decus, doctissimus Fabrizio (vulgo Fabricius ab Aquapendente) has morborum mutationes, materie morbificæ trans varias corporis partes infiltrata, constitui docebat; huic autem opinioni, jam sæpius in medium prolata, nullo modo, et merito quidem, assentiebantur.

## §. 228.

Devictis nondum chemicis theoriis, antiquo *humorismo* nihilominus mechanicisque theoriis in auxilium sumptis illustrabantur metastases, sicuti ex sequentibus clarissimi Michaelis Etmulleri, qui circa annum 1670 florebat, videre possumus: » (1) Metastases fiunt, vel partium non admittentium culpa, vel humorum non invehentium vitio. Partes ineptæ sunt dum illarum pori et meatus angustiores succos non admittunt, aut retinent. Vitio vero humorum contingit metastasis, dum hi nondum secreti aut fixati sunt. Sic enim secreta pars, partem transeundo, huic adhæret. Quamdiu enim invicem permisti sunt, etiam vias angustiores permeare possunt, quando vero præcipitatio quædam facta est, præcipitatum hæret,

---

(1) Opera omnia, tom. 1, part. 2, pag. 276.



alterum transgreditur, hinc tales depositiones fiunt saltem post coctiones et præcipitationes. »

Iisdem temporibus memoranda vasorum lymphaticorum inventione anatomiam, medicinam, et præsertim metastaseon doctrinam locupletebat illustrissimus Th. Bartholinus.

§. 229.

Exeunte septimo decimo sæculo, metastases clarissimus in Anglia Mortonius, theoria spirituum animalium sic dicta, interpretabatur, quod sequentibus satis superque patebit.

» In sanguine, ait (1), tota humorum massa confunditur, celeri non interrupto motu agitur, et per vasa innumera æqualiter diffunditur, adeo ut materia morbifica tam subito separari nequeat, et ad partem aliquam singularem determinari: spiritus autem morbo percussos, pro genio suo volatili et versatili, alternatim jam hanc, jam illam partem, remotam licet, impetu quodam petere, distendere, vellicare vel spasmodice constringere, ibidemque morbum hujus modi vagum producere, quid impedit? cum sanguinem et humores per eam partem trajectos alterare valent, iisque characterem morbosum imprimere, atque hæc est ratio metastaseos morborum. »

§. 230.

Quid autem ex Sydenhami, Musgravii, Boerhaavii, Swieteniique doctrinis colligere possumus? Nil profecto nisi hosce auctores, materie morbiliferæ transmigrationibus, nulla de earum via habita nova ratione, metastases adscripsisse.

Attamen Swietenius materiam morbiliferam vasorum ope, iis autem non specialiter designatis transmigrare defendit, ita ut hæc materia in crisi vel foras expellatur, vel vasa crassitudine sua oblitterans, metastaticos abscessus efformet.

Sed ipsum de hisce loquentem audiamus (2): » Quando in febribus illud,

(1) Op. omn. medic. tom. 1, p. 14 et seq.

(2) Comment. in Boerhaav. aphor. 593, t. 2, p. 71 et 72.

quod coagulo suo causa materialis morbi fuerat; vel et mutati a naturali sua indole per febrim humores, post criticas illas perturbationes, expelluntur de corpore, sanitas redit. Verum sæpe non fiunt tales excretiones, sed materia illa critica ad quædam loca corporis deponitur, ibi novos morbos parit, turbando functiones partium, quas occupat. Si autem hæc materia critica, ad locum quemdam delata tantæ tenuitatis foret, ut libere *per vasa* transire posset; patet facile, quod tunc nec hæreret in loco nec accumulari posset. Unde apparet, quod tantæ molis debeant esse particulae illæ criticæ materiæ, ut vasa obstruant, vel dilatata minorum vasculorum orificia ingrediantur *errore loci*, per quorum ultimos fines transire nequeunt, vel denique ruptis vasis effundantur in cava vicina naturalia vel morbosa.»

Sequentia adhuc notabiliora, quæ materiam venarum opè transmigrare, ex Swietenii sententia, ostendunt: » Verum, inquit (1) in febribus aliquando observatur, verum pus, et magna quidem copia, deponi satis subito in quasdam partes corporis, atque inde eductum fuisse, licet nulla inflammatio in his partibus prægressa fuisset, et nulla signa docuissent, in aliis corporis locis pus illud collectum latuisse prius, quod dein *venis resorptum* ad alia loca deponi potuisset. Vidi hoc aliquoties, et miratus fui; imprimis in muliere, febre continua laborante, quæ jam vigesimum diem superaverat, et evasura videbatur, cum declinaret morbus et nulla terrificæ symptomata adessent: subito enim de dolore obtuso brachii utriusque conqueri coepit, cum tamen pridie nihil mali in his partibus percepisset: atque lustrans sedulo has partes sensi sub tegumentis, quorum color non mutatus erat, fluctuare magnam humoris copiam: apertura facta exivit pus et brevi depuratus fuit et consolidatus ille abscessus. Interim tamen in toto morbi decursu vel suppurationis notam in quadam corporis parte mihi observare licuit. Hinc credidi causam materialem morbi, per febrim sic subigi et mutari posse, ut puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vasa fluat, et deinde deponi illud pus jam factum in quædam loca

---

(1) Op. cit. aph. 593, t. 2, p. 75.

corporis; non vero illud gigni in illis partibus corporis in quibus collectum invenitur.» Cæterum nonnulla alia de venarum, ad efformandum metastasin, absorptione in commentario 837 (1) subjicit idem.

Permeabilitatis textus cellularis etiam mentionem movet Swietenius (2), quandoquidem contendit pus in mediastino collectum *proprio pondere* delabens nonnunquam miras vias sibi per substantiam cellulosa[m] facere, et in longe dissitis corporis locis tumorem purulentum excitare. Hoc autem in casu nullam metastasin sed potius phænomenon vere mechanicum, legibusque vitalibus plane alienum ut infra probabitur adesse patet.

#### §. 231.

Fr. Hoffmannus, quem non immerito inter optimos recentiorum temporum observatores numerandum arbitror, ad illustrandam quoad praxin metastaseon historiam, ipsa observatione nonnulla contulit, nil tamen novi circa earum theoriam, docuit. Opinionum luciditate ac concinnitate præstantissimus ille auctor, perobscurus fit et vix intelligi potest, cum in tenebrosis humorismi theoriis sese abdit.

#### §. 232.

Hebenstreitius qui Ernesto Etmullero, Michaelis Etmulleri filio, in docenda in Universitate Lipsiensi physiologia, successit, insignem admodum de morborum metaschematismis dissertationem edidit in qua prolatas a Stahlis opiniones, de modo quo corpus animo regitur, ut ex sequentibus recte constat, revocavit. « Cur eadem, inquit (3) qua incepit specie morbus, haud decurrat, ex regia via sæpe deflectat et diversam a priore formam induat, non cæca quidem

(1) Op. cit. t. 2, p. 687.

(2) Op. cit. comment. in aphor. 1185, t. 3, p. 669.

(3) De metaschemat. morbor. cap. 18.

sorte fit, sed ad facultatem principii vitalis necessitati corporum prospicientis, res revocanda erit. Uti autem natura causa morbi conversi aut translatici erit primaria, efficiens atque impellens, ita materialis et physicalis in reluctantia rerum, quum morbum priorem effecerant quærenda est unice. » Alio loco ubi de metastasi specialiter agitur sequentia addit (1) : « singularis est aliquis morborum eventus, quo illi a principio intelligente, sui que corporis conservationem procurante ex parte ad partem, a viscere ad viscus compelluntur ».

## §. 233.

Tandem venit Hallerus. Et quin metastases vasis diversi generis, uti fecerant antecessores, tribueret, earum viam in textu cellulari posuit. Contendit enim (2) ex qualibet telæ cellulosæ sede in quamlibet regionem viam esse patulam, adeo ut aër, vel liquor quicumque, qui in quamcumque sedem animalis corporis effusus fuerit, in omnem aliam partem etiam remotissimam per cellulas fluere et moveri possit (3).

Aliud argumentum quo tamen ad metastaseon theoriam illustrandam non usus est Hallerus, scilicet fere quemlibet humorem per quodcumque eorum separari posse, hic referre haud alienum puto : idem enim argumentum a Sprengelio et aliis postea allatum esse ad peculiarem metastaseon theoriam sustinendam videbimus.

Affirmat auctor noster (4) fere omnes humores humanos adeo jam sua definita indole perfectos per sanguinem circumire, ut suo proprio colo minime egeant, perque alienissimas sæpe glandulas, aut maxime varia viscera de sanguine secesserint, et nihil a se ipsis diversi visi sunt, dummodo aut proprius cuique excretorius ductus obstructus sit, aut alioquin is humor in sanguine abundaverit.

(1) Ibid. cap. 13.

(2) Element. physiol. vol. 1, p. 12.

(3) Hæc Halleri placita pulcherrime explicata reperies in dissertatione Clarissimi Thierry cui titulus : an in celluloso textu frequentius morbi et morborum mutationes?

(4) Element. physiol. vol. 2, p. 369.

## §. 234.

Non multo post quam opera sua physiologica edidisset Hallerus, alter physiologista, pari celebritate nec immerito gaudens, acutus Borden, permeabilitatem telæ cellulosæ, in præstantissimo de textu mucoso opere, in Gallia eximie prædicabat. Textum cellularem pingit auctor ut spongiosum et ita extensum organum ut eo contineantur vel potius, ex ipsius dictis, defigantur varia viscera, musculi, nervi, glandulæ, etc. Spongiosa istius immensi organi textura vaporum aquoso, secundum auctorem transpirationis materiam probabiliter efformanti, viam facilem perpetuo offert : » Cette fumée, inquit (1), peut aller et venir de tous côtés, et indifféremment d'un endroit à l'autre sans jamais trouver rien qui s'oppose à son cours dans l'état naturel : l'égalité dans sa marche, et les écoulemens de cette partie aqueuse ne seraient pas possibles, si elle ne passait d'une cellule à l'autre aussi aisément que l'eau dans l'atmosphère. L'organe cellulaire peut donc être comparé à une sorte d'atmosphère dans laquelle les humeurs ont ordinairement un cours libre et aisé ; ce cours venant à se déranger, occasionne des courans, des dépôts, des directions particulières qui ont leurs causes dans les différens degrés de force de ce même organe cellulaire. C'est de ces courans, et de ces directions de la matière de la transpiration, des mouvemens de convergence et de divergence, qu'elle prend par rapport à des parties particulières toujours poussées dans l'organe cellulaire, qu'on peut faire dépendre bien des phénomènes inexplicables dans tout autre système. » Inter quæ phenomena translationes metastaticas adnumerat auctor (2).

## §. 235.

Isdem fere temporibus, in Scotia florebat præstantissimus medicus, ill. Culenius, qui, a materiæ morbiferæ transmigracione in metastasibus abhorrens, doctrinam, a Stahlianâ non multum differentem, egregie profitebatur.

(1) Recherches sur le tissu muqueux. Vid. œuvr. compl. t. 2, p. 752.

(2) Conf. op. cit. tom. 2, pag. 760.

Ejus de arthritidis metastasibus placita notabiliora mihi videntur, ac digna sane ut ea hic referam : « Il y a chez quelques personnes, inquit (1), un certain état de vigueur et de pléthore du système, qui, à une période particulière de la vie, est sujet à une perte de ton dans les extrémités. Cette perte de ton se communique, jusqu'à un certain point, à tout le système, mais se manifeste particulièrement dans les fonctions de l'estomac. Lorsqu'elle survient pendant que l'énergie du cerveau conserve encore sa vigueur, la nature redouble ses efforts pour rétablir le ton des parties, et elle y parvient en excitant une affection inflammatoire dans quelque partie des extrémités. Lorsque cette affection inflammatoire a subsisté quelques jours, le ton des extrémités et de tout le système se rétablit et le malade recouvre son état ordinaire de santé. Tel est l'ordre des symptômes, dans le type ordinaire de la maladie, que nous nommons *goutte régulière*, mais il y a des circonstances où cet ordre est interrompu, ou varie. Ainsi, quand l'atonie subsiste, sans être suivie de réaction, elle continue dans l'estomac, ou peut-être dans d'autres parties internes, et produit l'état que nous avons nommé, pour des raisons qui sont maintenant sensibles, *goutte atonique*. Le second cas où l'ordre des symptômes varie, est celui où il succède à l'atonie un certain degré de réaction et d'inflammation, mais dans lequel le ton des extrémités, et peut-être de tout le système, est affaibli par des causes internes ou externes, de manière que l'état inflammatoire cesse tout-à-coup et entièrement, sans parvenir au degré convenable, ou durer un temps suffisant pour rétablir le ton du système. C'est pourquoi l'estomac et les autres parties internes retombent dans l'état d'atonie, et quelquefois même cet état est augmenté par l'atonie qui leur est communiquée des extrémités. Tous ces symptômes se manifestent dans ce que nous avons nommé *goutte rentrée*. Le troisième cas où l'ordre ordinaire des symptômes de la goutte varie, est celui où l'atonie qui précède communément l'accès, est suivie d'une réaction inflammatoire parfaite; mais où cette réaction, par quelques circonstances par-

---

(1) Elémens de médecine prat. chap. 14, de la goutte, § 533, § 534, § 535.

ticulières, ne peut se porter comme de coutume aux articulations, et est en conséquence déterminée sur une partie interne, où elle produit une affection inflammatoire : c'est cet état que nous avons appelé *goutte mal placée* ».

## §. 236.

Sub finem elapsi sæculi, celeberrimus Angliæ physiologista, Erasmus Darwinus, metastases ope motus retrogradi vasorum absorbentium explicare conabatur : quæ theoria, plurimis argumentis serius referendis impugnata, multa laude celebrata est.

## §. 237.

Eo fere tempore, inter physiologistas anatomistasque Germaniæ præstantissimus, illustr. Soemmeringus, metastases quoque systematis absorbentis ope, alio autem modo elucidare contendebat : » Metastaseos, inquit (1), nobilissimam ac difficillimam doctrinam magnopere illustrari, ni *perfecte* explicari posse, diligentiore systematis vasorum absorbentium observatione, nonnullis exemplis comprobabo. » Doctrinam tamen istam exemplis ab eo relatis minime illustrari nec probari sanè fatendum est.

Cæterum, quidquid de his sit, materiam metastaseon non solum per vasa prædicta, sed etiam per ductum thoracicum, venam, pulmones et totum systema sanguineum vehi profitetur auctor.

## §. 238.

Haud aliter de metastasibus sentire videtur cl. Sieboldius, quum in eximia systematis salivalis historia (2) distincte his verbis prædicet : » Metastases plerumque ministerio vasorum absorbentium, dum materiam morbosam excipiunt, et a loco ad locum ferunt, perficiuntur. »

(1) De morb. vasor. absorb, § 77, p. 173.

(2) Pag. 21.

Nunc ad metastaseon doctrinam a cel. Brandisio, Chiloniensis universitatis professore, in opere cui titulus: Versuch über die metastasen (quædam de metastasibus) expositam, ac in Germaniæ scholis ad cœlum sublatam, accedimus (1).

En præcipuas de metastasibus auctoris opiniones: Certis functionibus singulorum organorum, vel totius systematis, sive attenuatis, sive suppressis, sive non ad rectam vivendi rationem organisationis sufficientibus, in aliis organis aperiuntur aliarum functionem vivæ actiones, quæ, easdem iterum restituere videntur. Hæ vicariæ, illæ primariæ dicuntur. Primarias vitæ functiones distinguit in eas quæ voluntatis potestati subjectæ sint, quæque non sint. His *necessariis* dictis adnumerat istas, quæ præsertim tuendæ vicissitudini materiæ præsumunt, earumque organa secretoria necessaria adhuc vocat sensu latissimo. Has necessarias, si opprimuntur, excipiunt functiones vicariæ. Ad classem necessariarum omnes istas corporis secretiones refert, quæ, a natura ipsi simul ab organisationis suæ primordiis tributæ, sano ejusdem statui respondent et per totam vitam durant. Sed alias huc quoque pertinere asseverat secretiones, quæ natae irritamento quodam, vel in constitutione naturali corporis fundatæ, uti singulorum organorum periodicæ functiones, ulcera inveterata, secretiones insolitæ diuturniores, longinquitate temporis necessariæ factæ sunt. Addit, omnem vicariam functionem necessariam fieri, ita ut, paucis exceptis, haud possit supprimi nisi restituta necessaria, vel exorta vicaria nova (quod sæpius in hæmorrhagiis mensibus succedaneis observare licet.)

Insuper, eo major est inter producta actionis vicariæ ac primitivæ similitudo, quo major est inter utrumque organum convenientia. Sic, v. g., lactis secretionem suppressa, si actio vicaria nascitur in parte quæ majorem cum glandulis mammariis habet similitudinem, humor secretus magis conveniet cum lacte; minus

---

(1) Lingua Germanica, mihi ignota, scripsit auctor; unde istius doctrinæ analyses in thesibus scholarum Germaniæ prolatis, tantum hic referre queo.



vero, si minor erit similitudo. Si contra actio vicaria incidit in organum quod nullam cum primario habet convenientiam, nulla quoque inter effecta convenientia observabitur. Sic cessante subito in puerperis lactis secretionē, si actio vicaria cerebrum petit, oritur delirium: si secretio herpeticæ repente cessat, actione vicaria musculos occupante, fit contractio, paralysis. Hæc sunt præcipua de ista Brandisii doctrina, quæ, quamvis imperfecta, multa laude celebrata est.

§. 240.

Aliam theoriam, sympathia innixam, ab illustrissimo Idelero in Hufelandii Ephemeridibus (1) prolatam, necnon nostra attentione haud indignam hic negligere non possumus. Consensus partium, qui ut proxima metastaseos (2) causa considerari debet, duplex est, vel propior vel remotior. Propior nititur unione organi primarie patientis cum illo quod metastatice afficitur ope nervorum, ita quidem, ut utriusque partis nervorum initia se tangant sicque morbi perceptio ex uno organo reflexione in sensorio communi facile ad alterum deferatur. Remotior consensus ille est, quo omnia organa conspirant, quoniam systema nerveum omnia organa licet non directe vel immediate jungit. Hæc sympathica partium conjunctio in morbis a gradu suo naturali deflectit. Consensus in ipso morbo orti exemplum præbet angina parotidea, qua morbus parotidum aliquando ad mammas, vel partes genitales femininas, in viris ad testes defertur. Causæ metastaseon remotæ sunt irritabilitas organi pro affectione pathologica ejusdem generis, quod imprimis facit similitudo structuræ; altera causa remota sunt stimuli quicumque externi vel interni, materiales vel immateriales in unum vel in alterum, vel in utrumque organum agentes. Quo magis duo organa, quod ad structuram, inter se conveniunt, eo propius irritabilitatis

---

(1) Hufeland journal der practisch. Heilkunde tom. 11, p. 55.

(2) Auctoris idea de metastasibus strictior sane est, quum non tantum poscat ut morbus ex uno loco in alium migret, sed præterea, ut pars, quorsum tendit metastasis, eandem affectionem ac illa prius affecta patiatur.

gradu et modo et reactionis vi ad se accedent, eoque ad similes stimulos percipiendos aptiora magisque instructa erunt, consensum alent, et unum alterius actionem suppressam excipiet (1).

§. 241.

Anno 1803 illustr. Herzogius de metastasibus notabilem thesin conscripsit. Omnibus theoriis, systemati humorum innixis, et cunctis hypothesibus, quibus metastases explicantur, explosis, eas secundum Brownii doctrinam explicare conatur.

Sequentia profitetur auctor (2) : In morbi conversione metastasin adesse censet, si integra caeterarum partium incitatione, symptoma morbi in una parte cessat, in altera oritur. Inde congestio inflammationis evanescit, diarrhaea oritur, haemorrhagiae narium, intestini recti, vaginae, convertuntur ad pulmones et vice versa. Interdum nulla cognoscitur potentia nocens, quae in uno alterove organo patefecisset morbo aditum. Hoc quidem ab eo pendet : 1° an organon opportunitate morbi laboraverit, 2° an nimium sensibilis sit ejus conditio, v. g. oculi; sive energia minor, v. g., ligamenta, tela cellulosa, glandulae, organa discernentia? Hac ratione morbo ac congestione extinctis, curationis et aequationis ope novum invadit morbus organon, quia in illo crevit incitatio et energia, in hoc manet morbi opportunitas. Evenire hoc quam maxime remotioribus organis solet, quod nova suffulta incitationis actio difficulter ad ea procedit : inde conversio abscessuum, rheumatismus vagus, et arthritidis migratio est.

Auctoris nostri opinio, quoad congestiones ad organa secretoria, notabilior evadit ut eam hic non referre nequeam : « Ratum igitur, inquit (3), habeatnus oportet, omnem congestionem et secretionem ab *asthenia* organi, in quo efficitur, exoriri, licet saepissime hujusmodi congestio non repugnet normae. »

(1) Cum etiam germanica lingua usus sit auctor, e thesibus in Germania scriptis et praesertim e dissertatione cl. Calceii haec omnia excerpta debui.

(2) Vid. diss. de metastasi, p. 16 et seq.

(3) Op. citat. p. 17.

Tandem sic Herzogii theoriam colligo : istius obscuritate silentio præterita , ea potius auctoris placitis quam phænomenorum naturalium observatione stabilita mihi videtur.

§. 242.

Eandem fere ac Brandisius sententiam fert Cl. Reilius (1) Antecessorum enim opiniones circa migrationem materiæ morbiferæ repudiat, et doctrinam suam nervorum affectibus superstruxit.

Sed, ut sequentia intelligere possimus, scire oportet Reilium omnes morbos nervosos habere, quia nullus prostat morbus qui symptomata a nervorum læsione pendentia non offerat. Insuper sedulo distinguit morbos manifeste nervosos (scilicet morbos nervosos auctorum) ab iis quorum natura nervosa obscure latecit.

His positis, quatuor metastaseos species adesse prædicat, scilicet : 1° Si morbus manifeste nervosus in alium ejusdem generis transit, quo in casu, reactionem morbosam nervi unius in alium nervum vel in totum systema translata esse affirmat. 2° Si morbus manifeste nervosus in morbum obscure nervosum transmutatur. 3° Si contra morbus obscure nervosus, manifeste nervosum gignit. 4° Si denique morbus obscure nervosus morbum obscure nervosum excipit.

Hæc singularis theoria nil novi, nisi voces inusitatas, mihi sane offert.

§. 243.

Tum, alius auctor Germanus, illustrissimus Sprengelius theoriam de metastasibus haud ignotam, sed lucidius quam antea explicatam, emittebat.

Humorum transmigrationses de loco quodam corporis in alium, ope sive textus cellularis, sive vasculorum, sive cujuscumque alius viæ plane rejicit auctor, doctrinamque suam affectibus sympathicis et functionibus vicariis stabilit :

(1) Vid. journal der Erfindungen (inventorum ephemerides, vol. 6, p. 66. — Vol. 7, p. 55; necnon, Entwurf einer allgemeinen pathologie (Elementa pathologiæ generalis) etc.

« Repugnat, inquit (1), immunitas sanguinis ab omnibus vitis quæ peregrina et semel excreta possent generare. Cui accedit, quod neutiquam venis, solis vasis absorbentibus humores secreti possint revehi, quæ cum perpetuo eos in glandulas avchant, necesse est ibi transformentur. Dein etiam nunquam aliquid in sanguine vel microscopiorum ope detectum fuit, quod migrationem secretorum humorum et contaminationem sanguinis probare posset. Neque tempus brevissimum sufficit quo evanescere, altero prodire loco secretiones videmus, ut per longam eam viam, quam glandulæ aperiunt migrationem statuamus. Neque tela cellularis, quæ utique propellit peregrina, phænomena hæc exponere potest, cum tardiores sint progressus ii, quam quæ ea phænomena, de quibus hic loquimur dilucidare possint. » Hocce modo rejectis humorum transpositionibus, elucidationem metastaseon quas affectibus sympathicis nervosis tribuit, evolvere tentat auctor his verbis: « Partes in quas fit metastasis, ope nervorum conjunctæ sunt cum partibus prius affectis, similemque experiuntur affectionem (quam vicariam appellat), nova secretio oritur, ob similem quidem organi secundarie affecti fabricam similis, sed ob differentiam diversa. Bilis ipsa, quam hepar secernit a cute produci nequit, desunt enim cuti organa omnia, deest totus venæ portarum apparatus quorum ope humor ille hepatis inquilinus gignitur. Sed insunt sanguini soda carbonica, extractivæ partes pigmentum constituentes, oleum grave et hydrogenes carbonicum; quæ elementa si abundant in vasis cutaneis capillaribus icteri colorem producunt. Urina si intercluditur ipsa non migrat ad cutis aut aliarum partium vasa, ut sudores urinosos, salivam urinam redolentem producat; sed insunt sanguini sales phosphorici, inest azotici copia, quæ in urina constituit peculiarem eam substantiam citissime putrescentem; quæ si abundant in sanguine, accedente cutis incitatione, in hanc congeruntur, ut similis oriatur odor (2). Lactis secretionem præpedita, idem neutiquam lac in aliis organis secernitur sed similis solummodo colore latex, qui nec easdem omnes habet particulas, sed longe diversas. Scabie suppressa, internorum viscerum oriuntur mala, similia

---

(1) Patholog. général. lib. 1, cap. 4, vid. institut medic. tom. 3, p. 164.

(2) Hæc omnia ab experimentis ab illust. Comhaire institutis, infraque referendis, refelluntur.

quidem sed nequaquam scabiosa. In blennorrhæa penis sufflaminata, oritur ophthalmia cum secretione purulenti laticis qui simulat quidem blennorrhœicum humorem, alienus ab hoc est. » (1).

§. 244.

Nec tamen silentio prætermittere queo celeb. Hufelandium qui de metastasi sane pereximie cogitavit ac scripsit. Ejus hac de materia placita in diversis operibus scilicet in *ideis de pathogenia* (2), in systemate artis medicæ practicæ, (3) nec non in excellentissimis ejusdem ephemeridibus reperienda, sequentibus patescunt.

Metastasis, quas pro crisi imperfecta, nostro ævo magis quam Hippocratico crebriori, habet, duplicem originem assignat auctor, id est, dynamicam et materialem. Metastasis dinamica pendet ab universali antagonismi lege, qua, si æquilibrium vel motuum vel virium cujusvis œconomiae partis tollitur, cæterorum organorum motus ac vires contrarii eliciuntur, ut æquilibrium restituatur. Sic ex suppressione exanthematis nascuntur per legem antagonismi nonnulla mala interna. In metastasi autem materiali, materia morbosa ab hac parte in illam, aut ab universo in singulum corporis organum transfertur: uti videmus in abscessibus, qui subito evanescentes, alio in loco apparent, vel organis secretoriis secernuntur, quod quandoque per vasa absorbentia, quandoque per telam cellulosa, denique certis in casibus per viam ignotam fieri videtur (4).

(1) Conf. institut. medic. tom. 3 pag. 170.

(2) Pag. 191-195.

(3) Tom. 1, p. 388.

(4) Etiamsi celeberrimus Treviranus de metastasis, in suo aureo de Biologia opere, nostra attentione ac miratione sive propter modum quo confectus est, sive ob immensam materiam quam amplectitur, sane digno, non tractaverit; attamen ejus opiniones de permeabilitate textus cellularis quæ, uti jam cernere potuimus quum de Hallero et Bordeu ageretur, ad metastaseon theoriam forte illustrandam spectat, optime hoc in loco quadrabuunt. Silentio prætermittam argumenta quibus permeabilitatem telæ cellularis probare conatur, quippe quæ nil novi offerant.

## §. 245.

Succincta opinionum præcipuorum auctorum, qui de metastasibus scripserunt, enumeratione, facile videtur illos ad duo capita reduci posse, hi enim materialem translationem negantes, metastases sympathiarum ope vel functionum vicariarum explicant, dum illi hanc materiæ transmigrationem admittentes, varias huic vias scilicet telam cellularem, systema lymphaticum, sanguinem tribuunt. In eo tamen fere omnes errasse arbitrør, quod unicam semper opinionem, exclusis aliis, protulerint: in theoria enim, quam modo evoluturus sum, plures harum sententiarum uniri posse manifeste perspicitur.

Cæterum theoriarum supra explicatarum censuram, quæ ex sequentibus sat elucescet, sigillatim instituere plane inutile duxi.

## AUCTORIS DE METASTASI THEORIA.

## §. 246.

Existitne materia morbifera, id est, materia peculiaris, quæ causa morbi immediate salutari possit, an morbus unice a proprietatum vitalium solidorum læsione, ac dein liquidorum alteratione dependet? Hæc immensa quæstio, de qua tam disputatum est, ex physiologo-pathologistorum, qui humorismum

---

Sed opinionem auctori peculiarem, valdeque singularem, de ista proprietate systematis cellulosi haud referre nequeo. Etenim soppōit auctor (Biologia, t. 4, p. 513) textum cellulosum omnia liquida, et præsertim chylum absorbere, quæ de cellula in cellulam successive usque ad lienem sive ad thymum, sive ad thyroïdeum corpus, sive ad capsulas suprarenales transmissa, ibique apte elaborata, in sanguinem denique stillantur. Experientiam refert sequentem ut asserta probet: in ventriculum animalis vita gaudentis, pyloro-tigato, rhei tincturam introduxit quam paulo post in liene et cellulis vicinis, quin hujus pars vel minima in vasculis lymphaticis adfuerit, reperiisse contendit.

Hanc parvam digressionem ob opinionis singularitatem mihi condonabunt lectores.

inter errores veterum medicorum vetularumque adnumerant, sententia, nunc illustrata ac plane soluta est. Attamen multum abest quin obstacula omnia aversa sint, et quamvis plurimis in casibus solida primario affecta credam, morbi tamen, praesertim illi qui a viru originem ducunt primariam humorum laesionem accusantes deprehenduntur.

Etiamsi hujus quaestionis solidissimi et humorismi solutio perfecta et evidens desideratissima sit, illam tamen in nostra metastaseon theoria minoris momenti arbitror; quod ex sequentibus patebit.

Reipsa in omnibus casibus, uti mox probare conabor, metastases non nisi in organon vel idiopathice vel sympathice irritatum ruunt. Si jam morbus vitiatibus humoribus adscribitur, locus irritatus istos humores e loco quem occupabant educet, necnon ad se trahet, si autem a solidorum laesione dependere dicitur, irritatio in uno organo existens in aliud irritatum devehetur, ideoque morbus eandem mutationem subire observabitur.

#### §. 247.

Sed nunc probandum est quod modo suppositum erat, scilicet, metastases non nisi in organon irritatum fieri. Istud assertum praesertim exacta morbi observatione, remediorumque quotidiana actione probatur. Si v. g. per podagram, morbum eminenter metastaticum seu sponte, seu intempestiva medicatione inflammatio in ventriculo seu alio quoque organo oriatur, nonne in hunc locum fiet metastasis? In ventriculum non irritatum, sed saburris saltem repletum, eundem morbum transilire posse mihi forsitan objicietur, sed patet saburram, sive ex irritatione sive ex debilitate (quod negare nolo) ortam, non minus, ex testimonio omnium fere practicum, ipsiusque Musgravii, irritationum gastricarum certe non sectatoris, ut corpus quodcumque heterogeneum ventriculum irritare, sicque facile podagræ metastasin adpellare posse.

Alia adhuc objectatio afferri potest: experientia comprobata est organum uniuscujusque debile metastasibus magis obnoxium esse. Sed quid sub organo debili intelligatur neminem sane latet: si quis enim pectoris inflammationibus, hæmoptysi, etc., sæpius excrucietur, ille pectore debili præditus esse dici-

tur, dum contra verus irritationis status habitualis ejus pectus ad inflammationes magis proum reddiderit. Hocce sensu, metastases in organum debile sæpissime fieri libenter ac candide fateor.

§. 248.

Remediorum actione, uti jam diximus, assertum adhuc firmatur, ne dicam illud omnino probari. Si enim affectionem morbosam quamcumque in organon minus nobile, v. g., cutim, attrahere volumus, non illam debilitando sed epispasticorum ope irritando, hunc scopum attingere valemus. Eodem modo in tubum intestinalem purgantibus derivamus fluxionem, quæ in organa lac secermentia irruebat, etc., etc.

§. 249.

Ad ultimum denique objectamentum, sane speciosissimum, licet serium examen sustinendo impar, venio: Si evacuatio habitualis, v. g., menstrua in femina, optima valetudine fruente, subito a frigore vel ab alia locali applicatione supprimuntur, quomodo tunc explicari poterit, cur in organum determinatum metastases irruant? Facile autem huic respondetur: Si enim ponamus, quod perraro evenit, omnia organa perfecto æquilibrio stare, suppressio mensium in totum organismum aget, sympathiarum catervam excitabit, quæ organum quoddam magis afficientes, in illud fluxionem in utero antea existentem avertent, ac in eadem parte sæpissime hæmorrhagiam succedaneam gignent: unde, hoc in casu, ut in omnibus aliis, irritatio metastasin manifeste præcessit.

§. 250.

Illos, qui, humorismo ultra modum addicti, humorem peccantem, sede quam occupaverat derelicta, in œconomia errantem, fortuitoque unum vel alterum organon corripientem assumant, refutando tempus sane non teram: istius assertionis ridiculum, nullum effugiet. Inde enim humori morbifero, qui forsitan nonnisi in pathologistarum cerebro existit, voluntas, morositas, libidines adscriberentur.



Ex præcedentibus assertum luce clarius demonstrari mihi videtur, unde lex generalis omnibus metastasibus applicanda duci potest : *Metastasis non nisi in organon cujus proprietates vitales magis quam in statu naturali excitatae sunt, fieri potest.* Lex ista a solidorum aut humorum theoria, uti jam prædicavimus, plane independens, mihi videtur genuina consequentia aphorismi divini Coi oraculi, quod his verbis enunciatur : ἀτάρ, ἢ καὶ προπρωϊηκος τὶ ἢ πρὸ τῷ νοσήσει, ἐνταῦθα στήριξις ἢ νόσος. (Sed si quid doluerit ante morbum, ibi se figit morbus) (1).

## §. 252.

Antequam ulterius progrediamur, diversas conditiones quibus irritationis translatio, omnium metastaseon genitrix, evenit, exponere decet.

Ex omnibus modo expositis sequitur, duabus causis generalibus hanc translationem fieri posse : 1° irritatione a causa quacumque directe in organon metastasi corripendum producta; 2° irritatione in idem organon sympathice procreata.

Illarum examen a prima incipiemus.

## §. 253.

Famosum axioma; δύο πόνων ἅμα γινωσκίτων, μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἄμαυροὶ τὸν ἕτερον. (Duobus doloribus simul obortis, non eodem loco, vehementior obscurat alterum) (2), hic primum oculis sese offert. Istud mirandum effatum, forsitan totius medicinæ secundissimum, solumque, divinum auctorem, tot aliis dictis illustrem, immortalitatis palma coronando sufficiens, istud effatum, inquam, ex mea de metastasibus allata idea, earum theoriæ præcipuum cardinem sistit. Si autem ad actionem vitalem quaecumque, ad inflammationem, ad fluxionem, etc., extenduntur quæ Hippocrates de doloribus prædixit, hujus axiomatis applicationi limites adhuc latiores circumscribentur.

(1) Hippocrat. aphor. 33, sect. 4.

(2) Hippocrat. aphor. 46, sect. 2.

Quidquid de his sit, ex hippocratica lege evidenter perspicitur actionem vitalem eo difficiliter ab alia tolli, quo intensior evaserit. Notandum tamen dolorem exactam ejus mensuram non semper præbere; dolores enim nervosos intensissimos facilius loco amovere possumus quam inflammationes dolore multo minori insignitas.

Actio vitalis aliam superare potest, dum intensior fit, aut dum illa, sibi opposita, imminuitur vel evanescit. Practici hisce duabus methodis conjunctis, scilicet organi primitus affecti irritationem minuendo, eodemque tempore aliud organum minus nobile stimulando, faustam derivationem producere tentant. — Actio vitalis in aliam eo magis ægre commutabitur quo longiori tempore perduraverit, partisque affectæ vitalitas exquisitior observetur. A conditionibus contrariis, contrariâ gigni, metastasinque adjuvari facile cuivis patebit. — Partis irritatæ cum illa, in quam irritatio transvehenda est, relatio maximam attentionem meretur. Quæ de hac doctrina, textus cellularis distributioni innixa, censuit illustr. Bordèu, novimus.

Hisce absolutis quæ de irritatione idiopathica organi metastasi afficiendi dicenda credidi, irritationis ejusdem sympathicæ effectus aggredimur.

#### §. 254.

E legibus generalibus quæ nostrum organismum regunt hæc sequens sane notanda, scilicet: actionem quamlibet naturæ, seu inflammationem seu fluxionem, etc., subito aboleri nequire, quin alium in locum, varia ibi phænomena producens, transcurrat, quod omnium temporum experientia probatur: videndum autem ad quemnam locum œconomix nova irritatio, nova actio, vergere debeat.

Huic quæstioni partim jam responsum dedimus: si enim organon adsit irritatione pollens, huc sæpissime fiet translatio (1). Hac autem conditione deficiente,

---

(1) Irritatio, cæterum, ut metastasin appellare valeat, quibusdam conditionibus, quas illi præesse vidimus, instructa esse debet. Ut exemplo res clarior fiat, si frigoris ad genitalia applicatione fluxio menstrualis in femina, cantherium in brachio gestante, supprimitur, fluxio menstrualis cum hac brachii irritatione parum consentiens non in brachium, etsi irritatio ibi vigeat, sed in aliam partem, pulmoues, v. g., transire poterit.

translatio sympathia, uti supra vidimus, dirigitur; sed ista fusius examinanda sunt.

§. 255.

Physiologiam, phænomenis œconomiae enodandis ac dilucidandis imparem, sympathiam ad auxilium vocare jam dictum est. Etiam si fatendum physiologistas hoc verbo uti, sicut aliam gentem non nominandam mysteriis, ut hoc pallio ignorantiam suam obvelent; attamen negari nequimus sympathias tanti momenti esse ut nulla vix actio vitalis, quæ magnum illarum numerum non suscitet, afferri possit: quod paucis tam concinne dixerat venerandus senex (1): *συμμαχία μία, σύνοσις μία, συμπράξις πάντα* (Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia).

Si mirandam illam harmoniam, relationem intimam quæ inter omnes organismi partes intercedit, et cujus ope organon quoddam affici nequit, quin alia permulta secundarie doleant, si, uno verbo, phænomena sympathica considerabimus, facile quid de propositione, de qua jam agitur, censendum sit perspiciemus: non amplius mirabimur quamcumque œconomiae functionem, quemcumque ipsius laborem interruptum, totum organismum turbare, sympathiarum catervam, uti jam prædicavimus, procreare, exindeque metastases gignere.

Sympathiarum in producendis metastasibus actio, meo quidem iudicio, adhuc dilucide probatur ex eo quod metastases inter organa, sympathiis connexa, sæpius fiant. Sic pulmones, qui tam intimo nexu cum utero junguntur, sæpius a mensium suppressione metastasi afficiuntur (2). Facile tamen intelligimus hanc regulam, ob maximam sympathiarum diversitatem a morbi natura, idiosyncrasia ægrotantis, aliisque permultis productam, nonnullis exceptionibus ob-

(1) Hippocrat. de alimento.

(2) Notandum est a morbo novas sympathias, pathologicas nuncupatas evolvi, quod explicatur metastases peculiariter ad organa determinata fluant; etiam si in statu physiologico sympathiæ inter hæc organa aut non existant, aut leviores sint: ex. gr. metastasis blennorrhagiæ in oculos, in articulos, sæpius observatur, quamvis inter hæc organa et membranam penis mucosam, in statu sano nulla vel saltem minima extet correlatio sympathica.

noxiam esse, quibus tamen ejus veritas nullo modo infirmatur. Sed dixerit forsitan aliquis me, irritationis translationem sympathiis tribuentem, difficultatem solum retroagere, quum ipsæ enodari non possint? Sympathiarum theoriam hic evolvere nec volo, nec debeo, mihi saltem liceat prædicare systema nervosum probabiliter, ne dicam certissime organa his phænomenis præfixum esse. Cæterum eo minus hæc examini subjiciam quod anno præterlapso a doctissimo Hennau, in eximia dissertatione præmio ornata in Universitate Leodiensi exposita sint, ad quam lectorem demitto.

§. 256.

In præcedentibus assertum et probatum est omnes metastases ab irritatione locomota pendere. Sed non adhuc metam attigimus. Discussio examinanda superest, ex qua innumera volumina profluxerunt; metastaseon materiam dico. An, præter irritationis translationem, existat etiam materiei translatio, a priori sane dependens, sed nullatenus, ut affirmatum est, quod tamen absolute denegavimus, metastaseos causam efformans, perpendemus.

Ut ista disquisitio, tam ardua, methodice instituatur, sequentia, pensitare licet; 1°. an in posteriori irritationis loco, materies existat eandem naturam ac in priori induens: 2°. an humores in posteriori loco reperti ibi efformati fuerint, aut in sede prioris affectus; 3°. Denique, si materies de loco ad locum translata est, qua via id factum? Immensum spatium diversis opinionibus hæc offerunt. Dubia omnino aperire in spe non est; sed dilucidiorum methodum forte statuum.

§. 257.

Harum quæstionum modo primam aggrediamur, id est, an fluida, morbo secundario efformata ejusdem sint naturæ ac fluida quæ eo loco unde metastasis exorta est reperiebantur. Liquida, majori cura observata, sane sunt pus et præsertim lac.

Non ita pridem omnes fere medicos persuasio induxerat concretiones in peri-

toneo feminarum, peritonitide puerperali confectarum, repertas, lac verum coagulatum sistere (1) : « Quoi que le lait répandu, inquit clarissimus Puzos (2), puisse se fixer dans tous les viscères, dans la tête, dans la poitrine, ou même à l'habitude du corps, cependant les feuillettes du péritoine sont le siège le plus ordinaire de ces dépôts laiteux. » Diaria medica, varia de morbis puerperarum opera, magnam continent observationum copiam ex quibus probationem lactis præsentiae in peritonæo elicere vellent, quæ autem nil aliud quam observatorum credulitatem ac chemiæ ignorantiam probant. Dolæus (3), Smellie (4), Leclerc (5), Darwin (6), Fr. Hoffmannus, Hufelandius, Balmes, Assolant, etc., se vomitus diarrhæasque manifesto lacteas vidisse affirmant (7).

§. 258.

Nec desiderantur observationes urinæ lacteæ : clarissimus Chapotin, in insulæ Galliæ topographia, anno 1812 edita, observationem refert juvenis colonæ urinas lactiformas emittentis, quæ refrigeratione coagulabantur. Tres ejusdem casus historias memorat auctor, sed non addit an hæc urinæ, post lactis e mammis retrogressionem, provenerint. Videre possumus adhuc exempla, præcedentibus haud absimilia, apud F. Platerum (8), Rhodium (9), Silvaticum (10), Vanderwiël (11); in Hufelandii Ephemeridibus (12) in Ephemeridibus academiæ naturæ cu-

(1) Hæc concretiones in viris peritonitide mortuis etiam inveniuntur, quod assertum plane infirmat.

(2) Traité des accouchemens, pag. 344.

(3) Epist. ad Woldschmidt, pag. 57.

(4) Observ. sur les accouch.

(5) Hist. natur. de l'homme malade.

(6) Zoonomic.

(7) Conf. etiam Ephemerid. nat. curiosor. dec. 2, ann. 6, obs. 76.

(8) Observat. lib. 3, p. 136.

(9) Observat. anatom. med. cent. 3 obs. 32.

(10) Consilior. et respons. medic. cent. 3, obs. 54.

(11) Observat. cent. 2, obs. 38.

(12) Hufeland journal der practischen Heilkunde B. 14, st. 2, p. 130, 140, 149, 169, 171.

riosorum (1), necnon in actis ejusdem societatis (2). Legitur in Journal des savans (3), historia a cl. Bourdon scripta, puellæ quæ per mammas alternis vicibus et per pustulas femori, pubi, magnis labris eruptas, lac emittebat, quarum pustularum exsiccatarum denique partes implevit sudor lacteus e cruribus promanans.

Doctor Marchelli, eximius Italiæ medicus, in Ephemeridibus societatis medicæ Genuensis (4) sequentem metastaseos lacteæ observationem inseruit, in bibliotheca Britannica (5) relata: « Anne de Choudens fut vivement émue trois jours après avoir accouché, par une dispute qui eut lieu dans sa chambre. Son lait disparut aussitôt; neuf jours après elle se plaignit d'une sensation douloureuse à la malléole externe de la jambe droite, et il s'y forma une tumeur qui augmenta successivement de volume. Au dix-neuvième jour, après la disparition du lait, il se forma une tumeur semblable à la malléole interne de la même jambe. Bientôt on sentit de la fluctuation dans les deux tumeurs; on les ouvrit l'une et l'autre; il en sortit une humeur, qui non seulement pour la couleur, l'odeur, le goût et la consistance, était parfaitement semblable au lait de femme, mais qui, soumise à une analyse comparative très-exacte, se trouva n'être absolument autre chose que du lait ».

In Ephemeridibus acad. natur. curios. (6) refertur lac repertum fuisse sub cucurbitula femori puerperæ admota!!!

Legimus in eodem opere (7) alteram observationem in qua lac ex umbilico

(1) Dec. 1, ann. 1, obs. 89. — Dec. 3, ann. 1, obs. 116.

(2) Vol. 1, obs. 247.

(3) Juin 1684.

(4) Memor. della societ. med. d'emulazione di Genova, t. 2, quadrim. 1, p. 71.

(5) Mars 1813, partie des sc. et des arts, t. 52, p. 267.

(6) Ann. 9 et 10, obs. 65 et 66.

(7) Dec. 2, ann. 8, obs. 177.

profluebat; quod etiam ab Autenrieth (1), Jaeger (2), Milleret (3), observatum fuit.

§. 259.

Quid dicam de apoplexiis, de peripneumoniis, de peritonitidibus lacteis, etc. Nil aliud quam eas esse apoplexias, peripneumonias etc. quæ nullo modo differunt ab iis quibus viri vel feminæ haud puerperales afficiantur, nisi tamen a statu puerperali, ut infra videbimus, modificentur ægrotantesque in majus discrimen sæpius adducant.

Alias citare possem observationes lacteæ deviationis; non autem numero observationum, sed auctoritati attendendum (4).

Usque nunc, probatio gravissima ac firmissima, id est, analysis chemica perfecta, desideratur, ut lactis præsentia alio loco quam in mammis immutabiliter probetur; fatendum enim est analyses chemicas a nonnullis institutas lac in lochiis, in urinis, in materia vomitu rejecta etc., minime demonstrasse (5).

(1) Versuch für die praktische Heilkunde t. 1. p. 150.

(2) Dissert. de lactis metastasibus.

(3) Journ. de med., tom. 42, p. 231.

(4) Qui frequentes colligere volent metastaseon lactearum historias, confugiant ad tractatum de morbis puerperarum in quo D. Gastellier suas, aliasque ex auctoribus depromptas observationes collegit, necnon ad Diarii selecta cl. Bang, tom. 2, pag. 292, 231, 262, 375.

(5) Non possum hic non transcribere notabiliorum professoris Ansiaux annotationem ad chirurgiam Callisenii de metastasibus lacteis. Loquitur Callisensius, inquit illustrissimus Professor (Op. cit. tom. 1, pag. 513) de metastasi lactea ac si putaret lac in mammis formatum ipsum in alias corporis partes depelli; cui auctoris nostri sententiæ observationes quasdam addamus, medicis in hoc capite miuime consentientibus. Tumores, recedente ex mammis lacte in alio loco subito nascentes, ex hoc lacte vasibus absorbentibus illuc ducto gigni, quidam auctores opinantur, quam sententiam solummodo veram fore alii dicunt, si liquidi tumore contenti substantiam eandem, qua lac consistit chemica analysis demonstraret; cum vero non idem principium inveniatur in eo liquido, hoc nec lac ipsum, sed aliam substantiam in loco quo reperitur ortam, dicendum esse docent. Nondum hanc questionem sufficienter solvi posse, putamus. Intendant, quæso, posterioris opinionis auctores in has quæstiones: 1º An examina illa chemica, quibus observa-

Optima sane analysis chemica, quæ tamen multas dubitationes relinquit, legitur in 55° volumine (p. 64) annalium chemiæ et physicæ, a Doctore Caballo instituta dirigente ill. Vauquelin. Etenim reperta est in urina lactea, quæ experimentis sincerissimis submissa erat, materia quædam omnes casei proprietates exhibens. Sed accurate notandum est, matronam quæ illud lotium emittebat, duorum quidem liberorum matrem, multis autem annis viduam, nullis unquam morbis lacteis laborasse, hasque tantum post viduitatem urinas reddidisse: « Cette femme, narrat cl. Alibert, qui ægram observavit, n'ayant pas les mammelles plus gonflées que dans l'état ordinaire des femmes, la pression n'en pouvant faire sortir du lait, il est permis de penser que le fromage qui se trouve dans ses urines est formé par d'autres organes. »

Aliæ adhuc reperiuntur analyses quibus translationem lactis probare tentarunt; sed plane imperfectæ, nec nostra attentione dignæ. (1)

---

tiones laudatæ nituntur, sat accurata fuerint, ut plane nullum dubium de iis habere possimus? 2° Lac subito de mammis recedens quod nullo excretionis ductu ex corpore exire videmus, quonam redit, quid de eo fit? 3° Si, ut ipse observavi, subita lactis suppressio, nulla alia ex causa, nisi quæ in mammas agebat, provenit, quin in ulla alia corporis parte irritatio nota præcesserit, qua ratione formatio abscessuum sine metastasi explicari potest? 4° Quodsi dubitare non possumus, existere metastases purulentas aliasque; quare, si probatæ fuerint, lacteæ esse non possint? 5° Liquidum abscessibus, lactei qui vocantur, contentum, nonne maximam cum lacte similitudinem physicam habere solet? Donec sufficienter hisce quæstionibus responsum sit, historiam Callisenii de natura metastaseos teneamus, quam veteres sequebantur, multique in recentioribus denuo adoptaverunt ». Quamquam ill. Professoris modestia laude digna sit, fatendum tamen est quæstiones quas sibi proposuit non insolubiles esse, ut patebit ex nostræ commentationis lectione. Præterea longiores dare potero explicationes, si thesin coram facultate, cujus pars non indecora est, defendere liceat.

(1) Observatio vomitus lactei cum analysi chemica materiæ ejectæ legitur in opere nuperime edito, cui titulus: recherches sur les métastases, a doctore Charmeil (p. 33 et seq.). Hæc observatio sane notabilis est; at analysis tam imperfecta, argumenta quibus innitur auctor tam parum probantia sunt, ut hæc famosa historia, quæ totam fere libri materiam sistit, nullo modo metastaseon lactearum theoriam enodaverit. Aliam observationem simillimam in actis societatis æmulationis (Bulletins de la société médicale d'émulation, Juin 1817) reperire possumus.



## §. 260.

Ex omnibus supra allatis elucet nullum observatum, si quædam metastases lacteas adjuvare videantur, nullum, inquam, has directe probare. Sed contra plurima sunt, quæ hanc sententiam infirmant, si non omnino revellunt.

Reipsa observatæ sunt variæ *lacteæ* secretiones non modo apud virgines, quarum mammæ lac nunquam secreverant, sed etiam in *viris* qui, absque dubio, hunc emittere liquorem non poterant.

Celeb. Assalani (1) ex umbilico viri fluidum, lacti simile, effluere vidit. Wurzer refert in physicæ Diario (2) observationem viri cujusdam, qui urinas lactiformes, post refrigerationem in coagulum abeuntes, emittebat, etc.

## §. 261.

His exemplis addendum analyses jam relatas, inconcinnas nullatenus metastasin lacteam probare, nam analysis doctoris Caballi de urina mulieris, cujus lac non evanuerat, et morbus, longo post partum tempore, apparuerat, desumpta erat; quod quoque de aliis, quas silentio prætermisi, dici potest: unde concludere licet has excretiones ex metastasi vel potius transmigracione lactis minime pendere, sed potius ex alteratione peculiari organi quo secernuntur. Humoris excreti cum lacte similitudo errori ansam præbuit. Præterea, hujus lactis creationem quomodo explicare possunt? Mammæ enim hoc in casu lac non præparant; ergo intra massam sanguinis vel renum aliorumve organorum actione lac efformari asserendum esset: quarum opinionum prior sane, ut demonstratum est, admitti nequit, posterior autem tantum vacui in se habet, ut a nullo auctore amplectatur. Iterum assero: has diversas secretiones, uti a quadam organi læsione productas, considerare debemus. Quum diabetem saccharatum ab alteratione peculiari proprietatum secernentium renis pendere in confesso sit,

---

(1) Conf. Sœmmering. de morb. vas. absorb. p. 179.

(2) Journal de physique, Février 1812.

cur in aliis casibus diversæ urinarum alterationes e diversa renum alteratione non orirentur? Sine dubio hoc provenit ex colore lacteo urinarum, analogiam cum lacte simulantium. Dum autem ex nullo œconomix organo sacchari secretionem desumere possent, quoad diabetem materiæ saccharatæ translationem abnegarunt ac renum localem morbum admittere debuerunt (1).

§. 262.

Attamen aliquid incertitudinis adhuc forsitan remanebit, ex eo quod metastases de quibus nunc agitur, urinæ lactiformes, abscessus pure albescenti referti, frequentes in puerperis appareant, in aliis autem feminis ac viris perraro observentur.

Hujus autem quæstionis dilucidatio nullas ambages offert: durante graviditate, eximia susceptibilitas nervosa existit, quæ metastasibus admodum favet, in puerperio adhuc adaucta. In hoc rerum statu, mammis irritationem peculiarem infigit natura, qua succi mulierem infarciunt, veramque plethoram lymphaticam constituentes, ad istas glandulas appelluntur. Exinde sane non mirandum, insolita irritatione, etiam levi, in determinato organo apparente, fluxionem quæ ad mammas tendebat, illuc vergere, unde lac supprimitur, et varia incommoda nascuntur. Morborum productus hoc in casu lacti sæpius persimiles, uti pus album, lochiæ lactescentes, etc., non a lactis præsentia, sed ab hac plethora lymphatica, de qua modo sermo fuit, sine dubio proveniunt.

Ex præcedentibus legitime concludere possumus metastases lacteas non solum existere, sed etiam sæpissime observari; cito autem notabimus ab irritatione devia cas pendere, minime ab humoris lactei transmigratione, irritatione quidem secundaria; attamen hæc ultima opinio non adhuc dilucide nobis probatur.

---

(1) Diabetem quidem a deviatione chyli, paululum sacchari continentis provenire assertum: est quæ tamen opinio, valde claudicans brevi cecidit.

## §. 263.

Antequam de metastasibus lacteis finem faciam, objectionem sæpius propositam, cujus responsum haud difficile mihi videtur, discutere licet.

Quid fit de lacte in mammis contento dum metastasis contingit, nisi ad centrum novæ irritationis deferatur? Lymphaticis absorptum, ut infra probabitur, ad sanguinis torrentem devehitur, ubi turbas, de quibus incusatur, non movet; constat enim experientia lac in venas injectum, nullatenus sanitati nocuisse, unde adhuc colligendum est morbos puerperarum minime a lactis sed ab irritationis locomotione ortum ducere.

## §. 264.

Quo plus ad metam propero, eo istud opusculum in brevius cogere conor: itaque in hoc capite pernecessaria unice exposui quæ latius explanare licebit, si de novo de eadem materia tractare erit occasio; et ideo cum, quod de lacte assertum est, etiam de lochiorum metastasibus prædicari possit, has silentio præterire queo, quin aliquid in mea dissertatione deficiat.

## §. 265.

Pus eodem modo de loco ad locum metastatice transferri dictum est. Qua via hæc translatio fiat hic considerare non interest; sed operæ pretium est scire an pus loco quodam evanescens in alia parte appareat, vel ex nova inflammatione oriatur. In capite de metastasibus purulentis diversas observationes, hic non referendas, quibus istud assertum affirmative probatur, legere possumus. Ita ut, si metastases lacteæ in statu præsentis scientiæ nullatenus admittendæ, etiamsi in posterum earum existentia fortasse demonstrari possit, metastasibus purulentis fidem denegare certe nequeamus.

## §. 266.

At, quibus mediis natura has translationes operatur, sive lactis, (eas existere ponendo), sive puris, sive alterius cujuscumque materiæ, vel causam vel

effectum morbi sistentis, humoristis solidistisve favendo? Metastaseon materiam a parte quadam ad aliam via plus vel minus sinuosa transmigrare vulgo creditur; quæ opinio infra accuratius perpendetur. Alii contra materiem sic transferri negant, sed in loco, stimulo recentius lacessito, novam materiem, priori persimilem, efformari defendunt: cui naturæ labori nomen imposuerunt *functionum vicariarum*, de quibus modo sermo erit.

§. 267.

Adsunt quædam organismo innatæ, vel evolutioni ejus necessariae, organorum functiones, quibus suppressis, continuo solidorum fluidorumque ad sanitatem necessaria ratio tollitur: itaque naturæ primum conamen est, tali functione suppressa, suppressæ analogam in alio quodam organo provocare, et æquilibrium functionum rectamque partium rationem restituere: quas functiones, *vicarias* nuncuparunt.

Hæc theoria, quam nonnulli amplexi sunt, novæ scholæ *Broussinianæ* non displicuisse videtur: ejus placita sequentibus eluscescit: « La question relative aux métastases laiteuses, aiant Cl. Fournier et Bégin (1) se rallie à l'histoire de tous les autres phénomènes morbifiques dans lesquels on a cru reconnaître les transports du produit d'une sécrétion d'un lieu à un autre. Un grand nombre d'obstacles s'opposent encore à ce que l'on puisse acquérir des notions parfaitement exactes sur cette partie de la pathologie. Il n'est pas de notre sujet de nous en occuper spécialement. Nous dirons seulement ici que plusieurs des cas dans lesquels on a prétendu trouver des preuves de la réalité des métastases proprement dites, avaient leur cause dans la *tendance* que tous les tissus du corps humain ont à l'imitation. Cette loi, dont les physiologistes n'avaient pas reconnu l'existence, et dont M. Broussais a, dans ces derniers temps, montré de nombreuses applications, peut être exprimée en ces termes: lorsqu'une irritation se développe dans une partie du corps, toutes les autres parties ten-

---

(1) Dict. des sc. medic. t. 36, pag. 297, art. nourrice.

dent dès lors à devenir le siège d'une irritation semblable qui y produira les mêmes altérations, et qui donnera naissance aux mêmes produits. C'est par l'effet de cette tendance que l'on voit s'établir les diathèses morbides; c'est par elle que nous pouvons rendre raison de la reproduction du cancer dans des organes plus ou moins éloignés de celui qui en était primitivement le siège; c'est par la même cause enfin que l'on voit chez certains sujets les phlegmasies les plus légères donner naissance, avec la plus grande rapidité, à des foyers purulens dont il est presque impossible de tarir l'écoulement. Il n'est pas rare, chez les sujets qui sont atteints de solutions de continuité considérables aux parties molles, de trouver, du jour au lendemain, la surface de la plaie décolorée, les bourgeons cellulux et vasculaires affaissés, l'appareil imbibé d'une sérosité jaunâtre. On s'informe de la cause qui a provoqué ce changement, et l'on apprend qu'une fenêtre laissée ouverte, que le froid dont a été saisi le malade en quittant imprudemment son lit ou sa chambre, qu'un excès dans le régime, une agitation violente, etc., ont déterminé un point de côté ou tel autre symptôme qui caractérise une phlegmasie interne, et que dès lors la plaie a cessé d'être le point vers lequel se dirigeaient les mouvemens vitaux. Lorsque, malgré les moyens les mieux appropriés, le malade succombe, on trouve que le poumon, la plèvre, le péritoine, le foie et d'autres organes sont déjà le siège d'une suppuration analogue à celle que fournissait la plaie. Il y a plus, on sait qu'il est malheureusement très-ordinaire, lorsqu'on ampute des membres qui sont le siège de suppurations excessives et intarissables, de perdre les malades à la suite de phlegmasies internes, dont les symptômes sont souvent très-peu apparens, et qui laissent dans les viscères des foyers énormes dont le pus est analogue à celui qui s'écoulait de la partie amputée. Cependant, avant le développement subit de l'inflammation interne, dans le premier cas; avant l'amputation, dans le second, il n'existait chez le sujet aucun signe de la résorption du pus, aucun indice d'une maladie des organes intérieurs. La suppuration n'a pu être subitement résorbée ni dans l'un ni dans l'autre, puisque le travail qui la formait a cessé, dans le premier, à l'instant où l'irritation interne s'est développée, et que, dans le second, l'organe sécréteur du pus était

retranché à l'époque où les viscères sont devenus malades. Il serait facile d'accumuler des faits semblables ; ils prouveraient tous que les métastases, dans quelques circonstances qu'elles aient lieu, ne sont autre chose que le transport de l'irritation d'une partie à une autre, et que le produit de cette irritation reste étranger à ce transport dont le système nerveux est l'agent principal ».

§. 268.

Etiamsi aliquid veritati consonum in hac idea de aptitudine textuum corporis humani ad imitationem reperiatur, attamen cum fautoribus functionum vicariarum concipere nequeo, humorem quemcumque a glandula peculiari secretum, ab alio organo etiam secerni ; lac, v. g. mammis ejus secretioni non amplius incumbentibus, a plaga, ulcere, etc., præparari posse ; bilem, in hepate haud formatam, a cute, membrana adnata ; etc., produci.

Re quidem ipsa Hallerus expressim prædicavit (1), *urinæ secretionem* et exitu impeditis, urinam per alvum, sudorem, mammas, salivam, et cellulosa telam exire.

Quidquid autem sit de immensa Halleri fama, urinam a renibus non secretam, ut jam dixi, ab alio organo secerni nego et pernego ; meum enim assertum innumera observata probant et præsertim pericula a doctore Comhaire, nunc illustriss. Universitatis Leodiensis professore, instituta et in thesi sua de renum exstirpatione relata. Nempe renibus multorum canum, quorum plurimi post experientiam aliquot dies supervixerunt, exsertis, nullum symptoma febris dictæ urinosæ, cujus eximium exemplum legitur in physiologia professoris Richerand (2), detexit ; quod probat in casibus, ab Hallero allatis, urinam vere excretam fuisse et dein resorptam.

§. 269.

Si probatur metastases humorum, ab organo peculiari provenientium, functio-

(1) Elementa physiologiæ, t. 2, p. 370, lib. 7, sect. 1.

(2) Tom. 1, pag. 278 et seq.

nibus vicariis enodari non posse; minime idem concludendum quum metastaseos materia, uti pus, in omnibus œconomiae partibus efformari valet. Facta, physiologiae principiis contraria, hic non existunt; sed ista theoria, proprie hypothetica, quoad multas metastases plane falsa ac praeterea melioribus cedens, rejicienda est.

Ideo vera materiae translatio, quibusdam in casibus, existit, sed qua via? Meditationibus istud subjiciendum est.

§. 270.

Textum cellularem, systema lymphaticum, sanguineum, hæc duo systemata, proxime nominata simul sumpta, ad metastases materiales enodandas, uti jam vidimus, in medium attulerunt. Hæ variae opiniones eximiorum auctorum scriptis fulciuntur, easque denuo accuratissime discutiemus: felices si ex hoc opinionum conflictu aliquid scintillet luminis!

§. 271.

Opiniones Halleri, Borden, Trevirani, de permeabilitate textus cellularis, uti hujusce theoriae fulcimenta, jam retulimus. Hac autem in theoria haud facile concipitur cur e loco ad alium recte determinatum transmigret materia, quin longe lateque diffundatur. Caterum nullum observatum vel anatomiae pathologicae vel physiologiae hanc viam demonstrat. Errores auctorum modo laudatorum provenerunt ex eo quod Hallerus et Borden absorbentium systema non adhuc, nisi leviter, noscentes, hujus attributa textui cellulari adjudicant, dum Treviranus, ratiocinia falsis opinionibus stabilieus, uti in praesentia urinæ intra vesicam post ureterum ligaturam, et abnegatione absorptionis venarum, perverse concludere sane debuerit.

Attamen quandam textus cellularis permeabilitatem negare nequimus, dum collectiones purulentæ ex. gr., colli, trans cellulas istius textus usque ad interiora pectoris, abdominis, ad membra inferiora ruunt; sed hæc potius mechanicum quam vitalem effectum observamus, nullo modo metastasin constituentem:

vi quoque mechanica aër vel liquida, in telam cellulosa injecta, per cellulas fluunt et ad partes remotissimas sensim sensimque extenduntur.

Quidquid de his sit, cellularis textus actio quoad metastases efformandas opinionem fere omnino, nec sane immerito, delet.

§. 272.

Ex immensis observatis, quæ sibi comparavit anatomia lymphaticorum indagacionibus celeb. Cruishankii et Mascagnii, nonnulla œconomiae humanæ phenomena, et præsertim metastaseon theoria dilucidius explicata est. Idcirco physiologistæ fere omnes vasculorum lymphaticorum ope metastases fieri, ab illo tempore, asseverarunt et nunc adhuc asseverant. Attamen inter systematici lymphatici ad explicandas metastases fautores, duæ sententiæ diversæ, et sedulo distinguendæ vigent: alii enim, metastases solis lymphaticis agi credunt, dum alii translationem materiæ intra circulationis sanguineæ torrentem deferri contendunt, unde ad varia loca, ex legibus cognitis hujus circulationis, amandatur.

Physiologistarum, sententiam priorem defendentium, princeps Cel. Darwinus notabiliorem, uti jam vidimus, dissertationem conscripsit de motu retrogrado vasorum absorbentium, in qua transmissionem liquidorum a ventriculo ad vesicam (1) quin leges circulationis subeant, indicat, uti alias transmissiones metastaticas. Dum auctor infinitas lymphaticorum anastomoses considerat, immensum reticulum, hoc systemate efformatum, videt, unde via omnibus liquidis patet, quæ per universum corpus quaquaversum *diffluent*. Revera innumeræ valvulæ motui retrogrado lymphaticorum, id est, a trunco ad ramos obices opponunt; respondet Darwin, has metas prætergredi materiam metastaticam, quum vasculorum actio vel *minuitur* vel *adlaugetur*. Attamen argumenta et pericula quibus fulcitur istud systema, a sincera observatione plane aversum, tam levis ponderis, vel sæpius tam falsa videntur, ut mirum sit illud sat diu floruisse. Cæterum

---

(1) Hanc transmissionem absque circulationis sanguineæ intercessu, jam supra jure negavimus.



in bibliotheca Britannica (1) analysis eximiae dissertationis a doctissimo Jacopi scriptae, in qua et ratiocinia et experimenta Angli physiologistae apprime referuntur, legenda est.

Quidam Galliae medici, inter quos illustr. Richerand nominabo, Darwini theoriam de metastasibus amplexi sunt. In quarta enim tractatus physiologiae editione sic loquitur laudatus auctor (2) : « Lorsque tous les réseaux lymphatiques sont remplis de mercure, on voit alors que nos organes en sont recouverts; et le corps entier paraît enveloppé par un filet à mailles étroites et rapprochées. Le transport des humeurs, d'une partie dans une autre très-éloignée, paraît très facile à expliquer à celui qui a vu ces nombreuses anastomoses rendues sensibles par les injections. *Les métastases cessent d'être pour lui un phénomène inexplicable*; il conçoit également sans peine, qu'au moyen des vaisseaux lymphatiques toutes les parties communiquent ensemble; que des liqueurs absorbées par ces vaisseaux dans un organe, peuvent se porter dans un autre et parcourir tout le corps, sans passer par les routes tortueuses de la circulation : qu'ainsi les boissons peuvent être directement portées de l'estomac dans la vessie, et le lait du tube intestinal dans les mamelles; que du pus peut abandonner le foyer dans lequel il s'est formé pour se porter vers l'endroit où l'irritation l'appelle, etc. Tout ce que dit Bordeu des oscillations, des courans des humeurs à travers le tissu cellulaire, dans ses recherches sur le tissu muqueux, s'explique également par les anastomoses des vaisseaux lymphatiques. »

Brevi tempore sententiam mutavit Richerand; nam in 5<sup>a</sup> editione physiologiae (3) legitur opinionem, modo de motu absorbentium retrogrado expositam, parum probabilem esse, quamvis possibilitati non repugnet; et in 7<sup>a</sup> editione, primae sententiae omnino adversatur, dicens (4) : « L'existence des val-

(1) Janvier 1813, physiologie, t. 52, p. 54. — Février 1813, phys. t. 52, p. 154. — Mars 1813, phys. t. 52, p. 254.

(2) Nouveaux élémens de physiologie, 4<sup>e</sup> édition. Paris, 1807, 2<sup>e</sup> vol. in-8<sup>o</sup>, t. 1, p. 268 et seq.

(3) Tom. 1, pag. 270.

(4) Tom. 1, pag. 302 et seq.

vules dans les vaisseaux de la lymphe détermine son cours d'une manière en quelque sorte nécessaire, et rend impossible le transport des humeurs dans un autre sens; de manière que, dans l'état actuel de la science, on doit absolument rejeter les conjectures de nos prédécesseurs sur la possibilité du transport de l'urine vers la vessie, ou du lait vers les mamelles, au moyen des vaisseaux lymphatiques. » *Illustrissimum Richerand minime sane vitupero ex eo quod, errores deponendo, a sententia discesserit, notabo tamen illum non attulisse rationes quibus impulsus fuerat ut systema Darwinii adoptaret, nec quibus postea illud rejiceret : quo vitio sæpius laborat cl. professor.*

D. Itard, Galliaë medicus magni nominis retrogradum absorbentium motum etiam admittit quo metastases præsertim hydropum enodare conatur : » Ce que j'ai appelé l'exhalation des absorbans, inquit (1), est cette propriété en vertu de laquelle ces vaisseaux exhaleraient dans une cavité un liquide puisé presque en même temps dans un autre, ou recueilli sur les surfaces cutanée ou pulmonaire. Ce n'est que par ce mode indéterminé d'absorption qu'on peut expliquer la sécrétion, ou plutôt la perspiration de l'urine de la boisson et du bain, le passage direct de l'estomac dans la vessie d'une solution de prussiate de potasse, dont on ne trouve aucune trace dans le sérum du sang (Wollaston); les abondantes évacuations d'urine qui, chez les hydropiques, suivent quelquefois, d'une manière très-prompte, l'usage des diurétiques, et les brusques métastases qui, dans ces maladies, déplacent souvent les collections séreuses, les portent d'une cavité dans une autre, ou les versent par torrens dans le système urinaire. Ne serait-on pas forcé à croire, d'après ces derniers faits, que le canal thoracique est uniquement réservé au transport des sucs nourriciers, et que la sérosité qui baigne toutes les cavités du corps, ainsi que les organes qui y sont contenus, a des voies plus directes pour rentrer dans la circulation véneuse? Mais est-il bien prouvé qu'elle y rentre? Cela paraît fort douteux, quoique généralement admis. Je suis fort disposé à croire que le produit de l'exhalation qui se fait dans les cavités séreuses est immédiatement rejeté au dehors par les transpi-

---

(1) Dict. des sc. méd. t. 22, p. 370, art. hydropisie.

rations cutanée ou pulmonaire, ou par les sécrétions alvines, au moyen de ces nombreuses anastomoses des absorbans, qui font de ce système un réseau continu, qui enveloppe tous les organes, et établit entre eux des communications directes (1). »

Argumenta, Darwini theoriæ objecta, etiam infirmant doctrinam cel. Itard, quæ cæterum plane inutilis erat, quum phænomena, de quibus loquitur, ex legibus cognitæ circulationis sanguinæ et lymphaticæ perfacile enodentur.

Ut concludam : hæc theoria motus retrogradi vasorum absorbentium plane hypothetica argumentis ac periculis illustrissimorum Soemmeringii (2), Sprengelii (3), Meckelii (4) aliarumque physiologistarum, funditus eversa est, unde metastaseon doctrina hoc motu suffulta, omnino rejicienda est.

### §. 273.

Opinio qua absorbentium ope materia metastasis ad sanguinæ circulationis torrentem amandatur plurimos, nec immerito, auctores sibi devinxit. Hac in theoria nullo modo, ut in præcedente, leges circulationis lymphaticæ evertuntur; contra, genuina observata pro illa mire pugnant : materies enim metastaseon intra lymphaticos, necnon a ramis ad truncum progrediens, reperta est. Lac in mammarum vasis absorbentibus, ad glandulas axillares abeuntibus, invenit cl. Soemmeringius (5) : eundem humorem in ipsis glandulis axillaribus, apud feminas, partu enixas, nec lactantes vidit Assalani (6). Adhuc notabilior est observatio sequens ab ill. Cruveilhier (7) scripta de autopsia enormis tumoris, parte superiore femoris siti : « M. le professeur Dupuytren fit l'ouver-

(1) Hæc omnia in historia theoriarum de metastasibus aptius quam in hocce loco sane quadrarent; sed ad hanc mutationem efficiendam tempus defuit.

(2) De morb. vasor. absorb. multis locis.

(3) Handbuch der pathologie, § 515.

(4) Handbuch der menschlichen anatomie v. 1, p. 231 et seq.

(5) De morb. vasor. absorb. pag. 179.

(6) Essai médical sur les vaisseaux lymphatiques, p. 41.

(7) Essai sur l'anatomie pathologique, t. 1, p. 200.

ture du cadavre en présence de MM. Asselin et Petit, médecins à l'Hôtel-Dieu, et d'un grand nombre d'élèves. A peine eut-il divisé la peau dans une certaine étendue, qu'il vit se former des points blancs sur l'une et l'autre lèvre de l'incision. Surpris de ce phénomène, il dissèque, avec le plus grand soin, la peau qui recouvre la tumeur, et voit le tissu cellulaire entassé, parcouru par des lignes blanchâtres, dont quelques-unes étaient grosses comme des plumes de corbeau. Ces lignes étaient évidemment des vaisseaux absorbans. En effet, lorsqu'on poussait le liquide depuis l'origine de ces vaisseaux jusqu'au corps lymphatique, on n'éprouvait aucun obstacle; mais le dirigeait-on en sens inverse, aussitôt se manifestaient des nodosités, séparées par des enfoncemens circulaires qui répondaient aux valvules, et le liquide ne pouvait pas circuler. Les corps lymphatiques étaient aussi bien injectés par le pus, qu'ils l'auraient été par le mercure, dans les préparations les plus délicates. C'était du véritable pus, il en avait l'opacité, la couleur blanche et la consistance. Les vaisseaux lymphatiques, poursuivis au-dessus de la tumeur jusques dans le bassin, étaient remplis de pus jusqu'après des corps lymphatiques de la région lombaire; mais ces corps lymphatiques et le canal thorachique n'en présentaient aucune trace (1) ».

*Reipsa observationes modo relatæ non directe probant metastases per vasa lymphatica mediante sanguinea circulatione) fieri, sed saltem demonstrant pus et lac per ista vasa absorpta in sanguinis torrentem devehî posse, quod sane notandum erat.*

*Attamen objectiones, nodo non facile solubili, contra metastaseon theoriam, de qua nunc agitur, occurrunt: materiam lymphaticis resorptam non modificari vel omnino mutari sive actione vasculorum et præsertim gangliorum lymphaticorum sive permistione cum sanguine, per pulmones, ægre admodum concipitur: quod assertum tamen œconomiæ legibus non repugnat (2).*

(1) Illud phænomenon, absorptionis ope quæ fit post mortem enodatum fuit; sed assertio illa, nullo modo probat hanc absorptionem per vitam non contigisse; unde vana objectatio.

(2) Bilem resorptam in sanguine existere modo probabitur; ac certe diversorum organorum quæ nominavi actionem subierat, quin immutaretur.

Huic doctrinæ aliud adhuc opponunt, nempe materiam metastaseon absorptam et ad torrentem circulationis transmissam, nullatenus sanguini misceri posse, quin decompositionem subeat. Quod stabilire professor Dupuytren conatus est, subsequenti periculo: bilis uncias duas intra venas equi injecit, quam bilem non obtulit sanguis, paulo post, vena alia extractus: hæc autem experientia ab altera a professore Deyeux instituta, plane infringitur, qua principium bilis colorans in sanguine ictericorum integrum demonstravit; præterea D. Clarion *cuncta* principia hujus humoris non solum in sanguine sed etiam in solidis et in ipsa cerebri substantia apud ictericos existere probavit.

Cæterum, qui difficultates analyseon substantiarum animalium perpendent, parum luminis inde profluxisse non mirabuntur. Ideoque dum chemia animalis nihil aliud patefecerit de natura sanguinis, et de extraneorum cum illo mistione, theoria metastaseon materialium vasculorum lymphaticorum ope, mediante sanguinea circulatione, etsi probabilior ad hypotheses amandabitur.

#### §. 274.

Absorptio venosa nunc examini subjicienda est, ut cunctas vias, quibus translationes materiæ metastaticæ explicatæ sunt, perpendamus.

Paulo post immortalè inventum Harveyanum, vasis sympathicis parum vel minime inspectis, absorptio fere omnino venis tribuebatur, unde etiam venis tribuebantur metastases. Detecto autem immenso lymphaticorum systemate sibi totam absorptionem vindicavit istud systema, et venæ sanguinem ab omnibus corporis partibus ad cor tantummodo adduxerunt. Attamen novæ iterum experientiæ nostris temporibus a physiologis fide dignissimis, ut ill. Home, Emmert, Mayer, Tiedemann et Gmelin (1), ac præsertim Magendie (2) et Delile (3), institutæ, virium absorbentium venarum existentiam plane indubitatam patefecerunt; ita ut translationes metastaticas, quibusdam in casibus a systemate san-

---

(1) Versuche über die vege auf Welchen etc. p. 112 et seq.

(2) Mémoire sur les organes de l'absorption.

(3) Dissert. sur les effets d'un poison de Java, etc.

guineo unice fieri posset. Verumtamen, quum pus observetur ex abscessibus proveniens intra lymphatica, dum similia in systemate venoso non adhuc observata fuerint, venarum actio, in metastasibus efformandis hoc tempore, quo ex novis experimentis lux desideratur, admitti nequit.

### CONCLUSIO.

---

#### §. 275.

Sic tandem metastaseon theoriam colligere volo.

In omni metastasi irritatio, in principio, locum mutat, unde metastasis in organon, in quod vergit irritatio, provocatur.

Præterea, quibusdam in peculiaribus casibus, materies ubi morbi vel effectus vel causa allicitur, quæ probabiliter vasculorum lymphaticorum ope et dein vasorum sanguiferorum transfertur.

In hac theoria regulas veræ physiologiæ strictius observasse, theoriasque ingeniosas sed futiles rejecisse arbitror.

Dissertationi nunc finem impono.

In quæstione tam perardua, tam vires superante nonnulla sine dubio desiderantur, sed memores sitis, amplissimi ornatissimique professores, hanc immensam materiam, quæ medici, praxi longa illustrati, ingenium sane exposceret, ab imperito juvene tractatam fuisse. Ideo vestræ indulgentiæ confisus, istud opus judicio committere audeo.

TANTUM.

1 JUN 1885











